

2403

274

TRACTATUS IN TRES

ANIMASTICÆ LIBROS, AD MEN-
tem Nostri Subtilis Doctoris.

TOMUS TERTIUS

COMPREHENDENS TRES LIBROS

Es de. de Anima, Philipe, tris
ET

UNIVERSAM METAPHYSICAM.

*ELABORATUS AB A.R.P.N.F. MAR-
co Ordoñez, Lectore bis Jubilato, Apost.
Div. Jacobi Provinciæ, & hujus Im-
maculatæ Conceptionis Patre.*

CUM LICENTIJS IN TOM. I. HUIUS PHILOSO-
phici tradditis.

Vallif-Oleti: Ex Typographia Thomæ à Santander, Univer-
sitatis Thipographi, & Gazophilacij. Ann. 1768.

ERRATA NOTABILIORA

sic corriges.

*P. Paginam denotat. C. Colum-
nam. L. Lineam.*

PAG. 3 L. 5. excelentiam. *leg.* excellentiam. *ibid.* l. 6. habendum est. *leg.* habendus est. p. 5. c. 1. l. 26. prædictæ *leg.* præditæ, *ibid.* c. 2. l. 11. suastantiali *leg.* substantiali. P. 6. c. 2. l. 8. assiens *leg.* assistens. *ibid.* l. 10. informatibus *leg.* informativus. P. 10. c. 2. l. 21. extrancum *leg.* extraneum. P. 14. c. 2. l. 22. conitionis *leg.* cognitionis. *ibid.* l. 29. elicere *leg.* eliceret. P. 15. c. 2. l. 25. perfectiones *leg.* perfectionis. P. 25. c. 1. l. 29. disineret *leg.* desineret. P. 40. c. 2. l. 11. de furrectione *leg.* resurrectione. P. 42. c. 2. l. 37. ratio *leg.* ratione. P. 46. c. 2. l. 23. diffunditur *leg.* diffunduntur. P. 66. c. 2. l. penult. vilem *leg.* vitalem. P. 67. c. 1. l. 12. respectivus *leg.* respectibus. P. 68. c. 1. l. 24. vitalis *leg.* vitales. P. 71. c. 2. l. 15. citatus *leg.* citatum. P. 85. c. 2. l. 8. actibus *leg.* activus. P. 95. c. 1. l. 12. cognitiva *leg.* cognoscitiva. P. 97. c. 1. l. 3. reprasentatio *leg.* representatio. P. 97. c. 1. l. 38. immanans *leg.* immanens. P. 99. c. 1. l. 38. necasaria. *leg.* necesaria. P. 104. col. 1. l. 4. excludans *leg.* excludant. P. 110. c. 2. l. 30. actionis *leg.* actiones. P. 111. c. 1. l. 32. merito *leg.* merito. *ibid.* c. 32. vel *leg.* sed. P. 114. c. 1. l. 27. an de *leg.* unde. P. 118. c. 2. l. 28. differentia inter adde: ista est differentia inter. P. 119. c. 2. l. 5. alijs *leg.* alij. P. 135. c. 2. l. 6. consoquenter. *leg.* consequenter. P. 144. c. 1. l. 25. Gigno *leg.* Cygno. P. 178. c. 1. l. 2. expereatia *leg.* experientia. P. 188. c. 1. l. 13. prevenientes *leg.* pravenientes. P. 196. c. 2. l. 5. fiedie *leg.* fidei. P. 205. c. 2. l. 18. egendum *leg.* agendum. P. 215. c. 1. l. 27. proloquimi *leg.* proloquium. P. 225. c. 1. lin. 1. dele: sensibilis ut patet discurrendo per singulos sensus. P. 230. c. 2. l. 39. gimnat *leg.* gignat. & quoties scri-

vatur per m. ibid. lin. 25. intellectui *leg.* intellecti P. 232. c. 1. l. 29. nobi *leg.* nobis. P. 233. c. 1. l. 5. aam *leg.* eam. ibid. col. 2. à linea 7. usque ad 12. *sic leg.* : *secundam quæstionem*, quod aliquid potest esse primum cognitum tripliciter : primum primitate perfectionis : Et primum cognitum in hoc sensu est ens perfectissimum ab intellectu cognitum, quale est Deus P. 235. c. 1. l. 36. minus *leg.* minus. P. 245. c. 2. l. 14. puod *leg.* quod. P. 256. col. 1. lin. 30. consequens *leg.* consequentis. P. 260. c. 1. l. 3. sanuum *leg.* sensuum. ibid. lin. 33. non curreret *leg.* non concurreret. ibid. col. 2. lin. 4. respectus *leg.* respectus. P. 262. c. 2. lin. 11. intuitivam *leg.* abstractivam P. 265. c. 2. lin. ultim. producere *leg.* procedere. Pag. 267. col. 1. lin. 8. modum *leg.* modum. Pag. 276. col. 1. lin. 7. habent *leg.* habet. P. 277. col. 1. lin. 14. necesse aliqua *leg.* necesse est aliqua. P. 292. col. 2. lin. 7. memorandum *leg.* immorandum. P. 296. col. 2. lin. 7. talis *leg.* tali. ibid. lin. 17. dequit *leg.* nequit. P. 301. col. 2. lin. penultim. producere *leg.* producere. P. 303. c. 1. lin. 4. repræsentantum *leg.* repræsentatum. *idem corrig.* in Pag. 304. col. 1. lin. 14. Pag. 317. col. 2. lin. 11. TRATAVIMUS *leg.* TRACTAVIMUS. P. 335. col. 1. lin. 9. rependa *leg.* repetenda. P. 339. col. 1. lin. 2. passione *leg.* passiones. P. 342. col. 1. lin. 10. superflueret *leg.* superflueret. P. 345. col. 2. lin. 31. possibile ad evitendum *leg.* possibile ad existendum. P. 348. col. 2. lin. 25. in *leg.* in. P. 349. col. 1. lin. penultim. in quantum esse, & non quantum *leg.* in quantum, & non quantum esse. P. 376. col. 1. lin. 1. *post illud rei addè quæ sequantur* : à ratione Deitatis : ergo importat realitatem ex natura rei distinctam à Deo, Pag. 398. col. 1. lin. ultim. posite *leg.* posita ibid. col. 2. lin. 18. potentialis *leg.* potentialitas. P. 400. col. 2. lin. 28. regugnancia *leg.* repugnancia. P. 403. c. 2. à lin. 26. usque ad 29. *sic leg.* quia ex quo aliqua univocata ita se habeant, quod unum dependeat ab alio, & quod hoc sit, &c. ibid. lin. 35. humanitate *leg.* humanitate. P. 417. col. 2. lin. 32. non essentialiter *leg.* non sunt essentialiter. P. 440. col. 2. lin. 20. simplicibus *leg.* simplicibus. P. 444. col. 1. lin. 33. indefectibilitas *leg.* indefectibilitas. P. 444. col. 1. lin. ultim. possibilem *leg.* possibilitatem. P. 445. col. 2. lin. 33. naturæ *leg.* naturæ. ibid. lin. 34. iogicè *leg.* logicè. P. 446. col. 1. lin. 35. aliunde *leg.* aliunde.

aliundé. *ibid.* col. 2. lin. 33. *sive leg. sine.* P. 446. col. 2. lin. 12. *atrumque leg. utrumque.* P. 449. col. 1. lin. 26. *si Deus, ergo dele: ergo.* P. 451. col. 2. lin. 5. *parificatur leg. parificatur.* P. 455. col. 2. lin. 30, *sed creatura leg. sed si creatura.* P. 460. col. 2. lin. 27. *efficiant leg. efficaciam* P. 464. col. 1. lin. 1. *posi quidditativum leg. positivum, & P. 467. c. 1. lin. 29. infra leg. intra, ibid, lin, 32. & leg. est.*

Felipe Tristan

Hec sunt, quæ irrepsere maioris notæ errata, quæ vel sensuum grammaticalem immutant, vel non xiguam afferunt in scriptura deformitatem, Reliquæ evero parvi momenti, quæ vel ex contextu facile dignoscuntur, vel se ipsa oculis sunt obviat & bone lector corrige.

Esta Metaphisica es del

uso de Sr. Felipe Tristan

Estudiante en Arevalo

1795
año de 16 y 77.



MCC

Christiana, Aristoteli



PRÆLUDIUM.



INTER OMNES TRACTATUS PHILOSOPHICOS (Metaphysica excepta) est Animastica, quæ principaliorem occupat locum: nam, qui ejus dignitatem, & excellentiam ignorat, veluti rationalis bellua intellectualemque brutum habendum est. De hac ergò per tres Libros Philosophus differuit. Et quamvis circa objectum horum Librorum aliqualis sit dissensio apud A.A.: alij statuentes corpus animatum pro sub-

jecto, alij vero ipsammet Animam. Sed sanè, si Animastica sumatur pro parte Philosophiæ, certum debet esse, quod corpus animatum sit ejus subjectum; quia subjectum alicujus partialis Tractatus debet esse species aliqua, quæ contineatur sub objecto totali; sed non anima, sed corpus animatum est species contenta sub objecto adæquato Philosophiæ; scilicet, corpore naturali: igitur &c. Hunc ergò Tract. non per Libros, sed Disputationes secabimus, hæque; in Questiones, & si opus fuerit, istas in Sectiones dividemus, ut notitri moris est. Sit ergò

DISPUT. I.

DE ESSENTIA, ET SPECIEBUS ANIMÆ UT SIC.

QUIA ratione generica alicujus rei cognita, facilis fit additus ad rationes speciales dignoscendas; ideo prius de Anima in communi, seu in universali, quam de ejus speciebus agere placuit. Et cum quilibet suis proprijs operationibus evidenter noscat in se animam habere merito omittimus disputare: *an detur anima?* Et solum: *quid sit?* Quærimus

QUÆST. I.

Quid, & quotuplex sit anima?

FUNDAMENTUM pro prima difficultate desumitur ex eo, quod Philosoph. animam dupliciter definivit in 2. Lib. de Animast. cap. 1. Sic enim eam primò definivit: *est actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis.* Postea verò text. 24. sic iterum eam definit: *est principium primum, quo vivimus, sentimus,*

movemur, & intelligimus. Ex hoc ergò duplici modo, quo Philosoph. animam definivit, queritur: *quænam ex his sit recta: an verò ambæ, ut bonæ tenendæ sint? Quid nobis? Breviter dicemus.*

2 Dico 1. : *definitio animæ ut sic, tradita à Philos. per hæc verba: est actus primus corporis physici organici, potentia vitam habentis, est recta, & benè tradita.* Hæc conclusio est communis apud Philosoph. Et probatur explicando singulas ejus particulas. Primò ponitur *ly actus*, tamquam ratio generis; quia per hoc convenit cum omnibus formis, sive substantiales sint, sive accidentales; & per hoc excluditur materia, quæ, ex dictis. 1. Physic.; non est actus, sed potentia. Sed nota, quod actus hic fumitur pro actu informante, & non præcisé pro assitente, ut se habet Gubernator navis, & Angelus respectu motus Cœli. Ponitur secundò *primus*, per quod distinguitur à forma accidentali, quæ cum non tribuat esse substantiale, sed illud præsupponat, non possunt dici actus primi, nec prioritate naturæ, nec perfectionis: differet etiam ab omnibus operationibus, quæ non sunt, actus primi; sed secundi; quia Anima est principium operandi præcedens ipsam actualem operationem.

3 Dicitur 3. *corporis*, per quod

quod differt ab alijs formis substantialibus, quæ sunt Animæ; quia licet tales formæ sint actus primi informantes, non tamen informant corpus; sed immediatè materiam primam. Unde, per *ly corpus* non intelligitur in presenti sola materia prima, aut ipsa cum temperamento proportionato qualitatum, sed vel sumitur pro altera parte viventis, constituta ex materia prima, & forma corporeitatis: vel pro ipso toto resultante ex corpore, & anima. Subditur *physici*, hoc est, *naturalis*, per quod differt à corpore artificiali, media arte confecto, & corpore mathematico, scilicèt quantitate trine dimensionis constante; quia hæc corpora non informat Anima; sed solum corpus physicum naturale. Sed additur *organici*; per quod differt ab omnibus formis substantialibus inanimatorum; quia istæ, cum non sint prædictæ potentijs activis vitalibus, non requirunt in subjecto, quod informant, partes substantiales dissimiles, & ethærogeneas, quæ sint organa, per quas operationes exercent; cum vero anima hujusmodi diversas operationes vitæ habeat, hinc est, quod petit corpus habens varias partes substantiales dissimiles, & ethærogeneas, ut carnem, os, nervum, cor, &c.

4 Tandem ponitur in prædicta definitione: *potentia vi-*

tam habentis: quæ particula melius explicat tres antecedentes, scilicèt, *corporis physici organici*. Sed, ut omnis æquivocatio tollatur erga istam particulam, notandum est, quod intelligenda est distributione quadam accommodata. Si ergo *ly corpus* sumatur pro altera parte, tunc *ly vitam* accipere debemus pro vita substantiali, & in actu primò; nam ad istam est corpus organicum in potentia. Si autem *ly corpus organicum* sumatur pro toto constituto ex anima, & corpore, tunc *ly vitam* sumere debemus pro operatione, seu actu vitali; nam ad istum est in potentia corpus, sic sumptum: ad quemque exercendum organa dantur, ut instrumenta. Quo autem sensu sumenda sit *ly vitam* in presenti? Dubitant AA. Nos cum Pontio dicimus, quod melius intelligitur vita in actu 2., quam in 1. Ex dictis patet, hanc primam definitionem Philos. esse optimam, cum consistat genere, & differentia, habeatque alias condiciones ad bonam definitionem requisitas. Sed tamen contra ipsam aliqua obijci possunt.

5 Dices 1.: hæc definitio convenit alijs à suo definito: ergò non est recta. Prob. antec.: forma corporeitatis est actus corporis physici organici, potentia vitam habentis; sed forma corporeitatis non est anima: ergo, &c. Confirm.: convenit

Angelo, dum assumit corpus; sed Angelus non est Anima: ergo. Resp. nego antec. Ad prob. nego maior; quia forma corporeitatis non est actus corporis physici, & organici, sed materiæ primæ, quæ non est corpus physicum, & organicum. Ad confirm. nego antec.; quia Angelus assumens corpus non est actus ipsum informans; sed ipsi purè assitens cum non constituat unum per se compositum vivens cum corpore assumpto.

6 Dices 2.: anima est prædicatum perfectius, quod reperitur in viventi; sed hoc ipso nequit definiri per actum primum: ergo, &c. Prob. minor: actus secundus est perfectior primo; cum iste ordinetur ad illum, sitque posterior generatione, & ad ipsum ordinetur actus primus. Resp. neg. min. Ad probationem nego, quod semper actus secundus sit perfectior primo; alias quælibet operatio esset perfectior essentia, quod est falsum. Undè, quando actus primus est substantia, & secundus accidens, tunc propositio est falsa; quia actus primus est perfectior secundo. Deinde: quando actus primus est finis principalis *qui*; actus verò secundus non est talis finis, sed solum accidentaliter perficiens, seu dans esse *secundum quid*, tunc actus primus est perfectior 2. Sic se habent Anima, & ejus operatio.

7 Dices ultimò: prædicta definitio Animæ non convenit omni suo definitio: ergo non est recta. Probat. antec.: non convenit Animæ rationali: ergo &c. Prob. antec.: Anima rationalis non est actus informans corpus, sed purè ei assitens: ergo animæ rationali, &c. Prob. ant.: actus informatibus debet proportionari cum potentia, quam informat; sed Anima rationalis & corpus physicum organicum non proportionantur: ergo, &c. De hac difficultate postea agemus inquirendo: an Anima rationalis, qua rationalis, informet corpus? Nunc autem respondeò negando propositiones, per suum ordinem negatæ. De Fide namque definita in Concilio Vientiensi, & Lateranensi, est, quod Anima rationalis sit actus informans corpus absolute loquendo: An verò reduplicativè, ut rationalis? Affirmat Doct. in 4. dist. 43. q. 2. num. 6. Et de hoc postea erit sermo.

8 Dico 2.: secunda definitio tradita à Philos. hic Lib. 2. cap. 1. text. 24. per hæc verba: *est principium primum, quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus*; si explicetur rectè, potest admitti, ut definitio descriptiva animæ. Declaratur hoc: *ly principium*, sumitur pro interno, ad excludendam causam extrinsecam vitæ, sive efficientem, qualis est Deus, sive assitentem, qua-

qualis est Angelus movens Cœlum. Ly *primum* excludit potentias, quæ solùm sunt principia secundaria, sive proxima suarum operationum; anima autem solùm est principium radicale. Reliquæ autem particulæ talis definitionis explicare videntur operationes graduum animatorum. Sed nota, quod non debent sumi absolutè copulativè; nam alias per talem definitionem solùm definiretur Anima rationalis: nec similiter debent sumi absolutè disjunctivè; ita ut sensus sit: est principium, quo, vel vivimus, vel sentimus, vel intelligimus; nam plures ex his particulis, immò & omnes uni animæ conveniunt; undè malè disjungerentur, ac si unum uni conveniat absolutè, & non aliud. Quare genuinus sensus est, ut disjunctivè sumatur cum copulatione ad præcedens, sic: anima est principium, quo vegetamus (si est solùm vegetativa): vel quo vegetamus, & sentimus (si est sensitiva): vel quo vegetamus sentimus, & intelligimus, (si est rationalis). Res postea amplius constabit,

9 Quoad secundum, quod inquiritur, fuit error Manichæorum, qui dicebant, tantum dari Animam rationalem; undè ex consequenti asseriebant, nedum homines, sed & plantas & bruta esse rationalia, & sic homicidium esse, evellere folia, & ramos arborum; occidereque bru-

ta. Sed hoc errore omisso, fuit etiam opinio aliquorum antiquorum, qui tantummodò admittebant duas animas, rationalem scilicet, & sensitivam: ex quibus, aliqui judicabant, quod plantæ vivebant anima sensitiva: alij autem per oppositum dicebant, quod plantæ nullo modo vita gaudent. Nec defuere AA. qui quatuor animas ponebant scilicet: vegetativam, sensitivam, loco motivam, & rationalem, per ordinem ad numerum quaternariorum graduum viventium. Sed nos

10 Dicimus, quod tantum sunt tres animæ, scilicet: vegetativa, sensitiva, & rationalis; hoc est, vegetativa tantum, quæ reperitur in plantis: sensitiva, continens vegetativam, quæ reperitur in brutis: & tandem rationalis continens vegetativam, & sensitivam, quæ constituit hominem, & in ipso reperitur. De modo hujus continentię postea erit sermo quæst. 3. Hæc conclusio sic explicata est communis apud AA. Verum enim est, quod à priori non potest probari: quare tota ratio hujus conclusionis desumenda est à posteriori, scilicet, ex diversis operationibus vitalibus, quæ in viventibus reperiuntur. Prob. ergò sic: tot animæ assignari debent, quot sunt operationes distinguentes rationem communem entis inanimati, ut talis; sed hu-

hujusmodi operationes sunt tantum tres: ergò & tantum tres animæ assignari debent. Maior constat. Prob. minor.: primò reperiuntur in viventibus aliquæ operationes vitales, quæ fiunt omninò independentèr, tam à qualitate materiali, quam ab organo corporeo, ut intellectio, & volitio; sed hujusmodi operationes nequeunt fieri, nisi media anima rationali: ergò jam dantur operationes animæ rationalis.

II. Secundò dantur etiam in viventibus, ut contra distinctis ab entibus inanimatis, aliquæ operationes, quæ fiunt per organa corporea; sed non medijs qualitibus merè naturalibus, sed subtilibus, & aliquantillèr à materia depuratis, quales sunt species intentionales; sed istæ debent pertinere ad genus animæ sensitivæ, ut dùm de ipsa ex professò agamus, dicemus: ergo iam datur anima sensitiva. Tertiò tandèm etiam in viventibus reperiuntur aliæ operationes, quæ, licèt fiant per qualitates corporeas; & materiales, fiunt tamèn per organa, seu medijs partibus dissimilaribus, & ethrogenicis; sed istæ operationes petunt animam vegetativam: ergò datur hujusmodi genus animæ: ergo dantur tres operationes, distinguentes rationem comunem operandi entis inanimati; consequentèrque tria genera animarum. Pro hac ultima parte probat. nota, quod

non benè audiunt in Philosophia Scotica aliqui dicentes, operationes inanimatorum fieri medio organo corporeo, cum nullù corpus, præter vivens habeat organa; alias non teneret definitio animæ, quam supra, ut rectam, dedimus, scilicèt, quod sit actus corporis phisici organici, &c.

12. Dices tamen contra hoc; vel ratio probans, tres dari animas, non est recta, vel dantur quatuor genera animarum: ergo &c. Prob. antec.: ideò ponuntur tres animæ, quia quælibet habet suam operationem distinctam, estquè principium peculiaris actionis; sed, si hæc ratio probat, probat etiam, quod datur anima *locomotiva*; cum hæc sit principium peculiaris actionis vitalis, scilicèt, motus vitalis secundum locum: ergò &c. Minor constat; quia motus localis secundum locum, non est proprius, nec animæ vegetivæ; ut constat, nec rationalis, nec animæ sensitivæ: ergò est proprius animæ locomotivæ. Antec. quoad ultimam partem, in qua, inest difficultas, constat; quia sunt aliqua animalia sensitiva, quæ localitèr non moventur, ut communitèr asseritur de ostreis, & alijs animalibus conchileis, quæ localitèr non se movent; sed semper affixi manent rupibus, & petris: ergò, &c.

13. Resp. I. cum aliquibus

bus, negando propositiones ordine, quo manent negatæ, & ad ultimam nego experientiam; quia motus vitalis secundum locum est proprius animæ sensitivæ; nam quæ sentiunt, si lædantur, ex dolore, quem recipiunt, contrahunt se, vel efficiunt aliquid alium motum, saltim inadæquatum. Deinde, falsum est, quod ostræ, & alia huiusmodi non se moveant aliquo motu progressivo, licet diminito, & tardissimo, & hoc ad minus in mari: vel dicant AA.: an semper eas viderint affixas eidem petræ? Non dicent, si credendum est incolentibus littora maris. Resp. 2. negando ant.: ad cuius probat. dico, quod anima loco-motiva, licet sit principium peculiaris actionis, scilicet, motus vitalis secundum locum, non est tamen principium, constituens membrum condistinctum specificè à reliquis assignatis, sed continetur, tamquam species sub anima sensitiva, quæ postea subdividitur, in purè sensitivam, & in eam, quæ est etiam loco-motivam.

14 Ex his ergo habes I., quod, quamvis gradus animatorum communitè, & regularitè assignetur quaternarius, scilicet, *vegetativus, sensitivus, loco-motivus, & intellectivus*, hoc tamen non fit, ut notat N. Mast., & Pont. hic, ex aliqua urgentissima necessitate,

sed potius ex communi usu loquendi: quòd satis constat ex diversitate, qua Philof. hos gradus animatorum assignavit; nam modò assignat tres, modò quatuor. Quarè, sicut qui dicunt, tres tantum dari animas, postea sensitivam subdividunt, in purè sensitivam, & in loco-motivam, sic gradus sensitivus potest subdividi, in purè sensitivum, & in sensitivum locomotivum. Si autem quæras: quot sit genera potentiarum animatorum? Resp., quod quinque communitè assignantur, scilicet, vegetativa, sensitiva, locomotiva, appetitiva, & intellectiva: quæ divisio, sicut, & graduum, non est etiam ob aliquam rationem metaphysicam; quamvis desumatur ex diverso modo eliciendi operationes: nam sunt, quæ fiunt sine cognitione, & istæ sunt potentie vegetativæ: sunt, quæ fiunt per organum, & species intentionales, quod est proprium animæ sensitivæ, ut sic: sunt, quæ fiunt per modum inclinationis naturalis, & tendentiæ in objectum, & hæc sunt potentie appetitivæ: sunt, quæ fiunt per motum progressivum, & istæ sunt potentie loco-motivæ: sunt tandem operationes, quæ fiunt omninò independentè ab organo, & qualitate materiali, & istæ sunt potentie rationalis. De his omnibus potentijs erit specialis sermo, dum de anima-

bus in particulari agamus.

QUÆST. II.

In quo consistat ratio vitæ in actu primo?

NOTATE 1. quod vita, seu vitalitas est duplex: una *intentionalis*, seu *operativa*: alia vero *physica*, seu *productiva*. Vita *intentionalis* attenditur ex ordine, quem dicit anima medijs suis potentijs ad objectum in quod tendit: & hæc vitalitas, seu vita solum convenit viventi cognoscitivo, vel appetitivo. Vita *physica*, seu *productiva* desumitur ex parte principij productivi actus vitalis, seu penes ordinem ad illum. Præterea, utraque vita adhuc est duplex, in *actu primo*, & in *actu secundo*. Vita *intentionalis* in *actu primo* stat formaliter in potentia, potente tendere in objectum, seu illud percipere medio actu productivo per vitam physicam: in *actu secundo* est ipsa actualis tendentia, & perceptio exercita ipsius objecti. Vita *physica* in actu primo consistit in potentia elicendi, & producendi actum vitalem: in actu vero secundo stat in ipsamet actuali productione. In præsentī non quærimus de vita *intentionali*, seu *operativa*, nec in actu primo, nec in actu secundo; nam de hac pos-

tea, dum agamus de vitalitate actuū. Inquirimus ergo de vita *physica*, aut *productiva*, non in actu secundo, sed *potentiali*, seu *radicali*: per quid scilicet principium vivens creatum differat à principio non viventi productivo? Pro quo

2. Notate 2. ex dictis in *Physica*, quod non viventia, ut gravia, & levia habent principium *intrinsicum* se movendi *inmanentèr*, ut pater in gravi se moventi deorsum, & etiam in aqua calida, se ipsam redeunte ad *pristinam* frigiditatem: & etiam, si considerentur *ultra* statum sibi *connaturalem*, habent virtutem ad operandum *transientèr*, seu in passum extraneum, sibi *aproximatum*; aqua enim frigescit manum, & ignis calefacit. Quare *necessè* est quætere aliquod discrimen inter viventia, & non viventia, præter hoc, quod est habere principium *intrinsicum* se movendi *inmanentèr*, ad propriam perfectionem *adquirendam*: quidquid dicant Thomistæ, communiter asserentes, conceptum vitæ consistere præcisè, & absolute in principio se movendi, ad propriam perfectionem *adquirendam*, alias gravia, & levia viverent, quod est falsum.

3. Discrimen, quod nos reperimus inter viventia, & non viventia, stat in hoc, quod, licet non viventia ex se ipsis habeant

beant principium se movendi immanentèr ad acquirendam aliquam perfectionem, sibi debitam, hæc perfectio est ipsis debita in instanti, & pro instanti generationis: ità quod sine tali perfectione essent in statu violento. Ceterùm, talia non viventia numquàm agunt immanentèr dum sunt in statu sibi connaturalitèr debito; quamvis pro tunc possint agere transeuntèr. Hoc patet in gravibus, & levibus, quæ dum sunt extra proprium, & naturalem locum, moventur immanentèr; si vero in proprio loco ponantur, tunc quiescunt. Per oppositum discurremus de viventibus, nam hæc habeat principium per se, & primariò productivum immanentèr, institutumque à natura, ad acquirendam ipsimet viventi aliquam perfectionem ultra statum connaturalem, seu ipsi non debitam ex vi generationis, & pro instanti talis generationis; quamvis secundariò, & per accidens possit esse principium operationis transeuntis, ut cum Angelus v.g., in probabili opinione, causat in intellectu alterius intellectionem. His notatis, sit

CONCLUSIO.

4 **R**ATIO vitæ physicæ, seu productivæ in actu primo (communis omnibus

viventibus creatis) consistit formalitèr in eo, quod vivens creatum habeat principium intrinsecum, immanentèr productivum alicujus perfectionis ipsi indebitæ pro instanti generationis. Hæc Conclusio est communis apud Socraticas, quam etiam tenent aliqui Jesuitæ. Et nota, quod notantèr apposuimus: *communis omnibus viventibus creatis*; quia talis ratio vitæ non est communis Deo viventi; cum Deus non habeat principium ad acquirendum sibi aliquam perfectionem, quæ ei non sit debita semper, & pro semper. Prob. ergò 1. Conclus. ratione: in eo stat formalitèr ratio vitæ physicæ in actu primo, quod omni viventi creato convenit, & nulli alteri non viventi convenit; sed talis est ratio, à nobis assignata in Conclusionè: ergò in ipsa stat formalitèr ratio vitæ. Maior communitèr accipitur. Prob. min. quoad prim. part., numpostea probabitur quoad secundam: omne vivens creatum, vel est planta, vel brutum, vel homo, vel Angelus; sed quodlibet horum in suo statu connaturali positum, habet principium immanentèr productivum in se, alicujus perfectionis, sibi indebitæ pro primo instanti generationis: ergò.

5 Minor, quoad plantas constat; nam planta habet principium acquirendi novam

nutritionem, & augmentationem, & consequenter novas partes, quas non habet, nec exigit habere pro instanti generationis. Deindè : brutum, ultra istas perfectiones, quas acquirit per nutritionem, & augmentationem, habet etiam principium productivum sensationum materialium. Tertio homo, ultra præfatas perfectiones, quæ sunt communes plantis, & brutis, habet principium productivum intellectus, & volitionis. Tandem: Angelus, quamvis non habeat principium relatarum perfectionum, quæ conveniunt plantis, & brutis, habet tamen respectu intellectus, & volitionis, independentem à phantasmatis. Nunc sic; sed omnes istæ perfectiones non debentur viventibus pro primo instanti generationis: ergò in hoc principio stat ratio vitæ.

6 Prob. nunc minor supra posita, scilicet, quod non viventibus non convenit habere hujusmodi principium productivum alicujus perfectionis, ipsis indebitæ pro instanti generationis: licet aqua v. g. habeat principium productivum per actionem immanentem aliquarum qualitarum; ut cum primo producit, aut postea se reducit ad pristinam frigiditatem; istæ tamen qualitates non sunt indebitæ aquæ pro instanti generationis: ergò non viventia non ha-

bent, &c. Prob. antec.: istæ qualitates pertinent ad statum connaturalem aquæ; ita quod aqua sine illis, vel esset absolute violenta, vel saltem in aliquo gradu: ergò aqua non habet principium productivum perfectionis, ipsi indebitæ, &c. Idem argumentum fit de igne; & de motu gravium, & levium ad sua centra. Conf.: quia licet non viventia, dum sunt in statu sibi connaturali habeant principium producendi transeunter, & in passio sibi aproximato tales qualitates, ut dum aqua infrigidat manum, non tamen immanentem, & in se ipsis: ergò ipsis non convenit conceptus vitæ jam explicatus; & consequenter talis conceptus solum convenit viventibus.

Solvuntur Argumenta.

7 ARG. 1.: viventibus, ex vi suæ generationis debetur tota illa perfectio, quæ requiritur, ut ipsum constituat in suo esse naturali; sed perfecta magnitudo v. g. constituit vivens in suo statu naturali: ergò ista perfecta magnitudo debetur cuilibet viventibus ex vi suæ generationis; & consequenter falsum est, quod vivens habeat principium productivum alicujus per-

se-

fectionis, ipsi *indebitæ*. Probat. antec. : vivens, habendo perfectam magnitudinem, habet totam suam perfectionem, ita ut sine illa sit aliquomodo violentum; ut patet in homine, qui sine perfecta magnitudine est incapax exercere plures operationes vitales. Hoc argumentum laborat æquivocatione. Quare resp. disting. maiorem : viventi debetur ex vi generationis, & pro primò instanti generationis, vél pro instantibus sequentibus tota illa perfectio, quæ ipsum, &c. conc. maior. : in primò instanti, & semper pro primò instanti debetur, &c., nego mai. Et distinguo min. : sed perfecta magnitudo constituit vivens in suo statu naturali pro aliquo sequenti instanti, ad instans generationis, conc. min. : sed perfecta magnitudo debetur viventi præcisè pro primò instanti generationis, nego minorem. Eisdem terminis explicatur probatio, & negatur absolute violentia hominis.

8 Itaque est magna differentia inter viventia, & non viventia : non viventia, etsi possint acquirere suam propriam perfectionem, quam non habent pro primò instanti generationis, hæc tamen perfectio est ipsis debita; quia pro primo instanti generationis petunt ab intrinseco totam perfectionem, quam possunt habere : grave enim si produceretur extra proprium suum cen-

trum, esset violentum pro toto & singulo instanti, quo ad ipsum non descenderet. E contra viventia : licet possint acquirere perfectionem, quæ ipsis non debetur, tamen ex vi generationis non petunt omnem perfectionem possibilem haberi : cuius ratio est; quia vivens ab intrinseco nature petit pro hoc instanti talem magnitudinem, & pro alio instanti aliam magnitudinem; ita ut abs dubio pro monstruo haberetur homo, qui in instanti nativitatis haberet totam quantitatem corpoream, quæ decursu vitæ posset habere. Ex quo sequitur, quod licet homo pro primò instanti nativitatis, non possit exercere omnes actiones vitales, non ob hoc est violentus; ut patet in catulo, cui licet ut tali debeatur visus, non tamen pro primò die nativitatis.

9 Replicabis : supponamus quod homo ab instanti nativitatis habeat totam magnitudinem, quam postea posset habere : In hoc casu homo esset vivens; sed non haberet principium productivum alicujus perfectionis, ipsi *indebitæ*; cum supponamus, eam habere: ergo male explicatur conceptus vitæ. Quod esset vivens constat; quia talis homo per nutritionem posset acquirere partes, quæ in ipso perderentur; sed nutritio est actus vitalis : ergo, &c. Variè res-

pondent A.A. huic replicæ. Quidam negant absolutè possibilitatem casus. Sed ipso admisso, & concessò, quod tunc talis homo esset vivens, nego min.; quia, quantum est ex se, talis homo haberet principium productivum magnitudinis, quam pro tunc haberet; nam supponere debemus, quod talis magnitudo non esset connaturalitè debita tali homini pro primò instanti nativitatìs; sed extraordinariè à Deo ipsi concessa. Quod haberet tale principium, ex ipsamet replica constat; nam semèl, ac illi conceditur virtus nutritiva; & posse depèrdere partes, cur non concedenda est, & virtus augmentativa?

10 Arg. 2. : Deus in nostris principijs, ut postea videbimus, potest se solo producere intellectionem in intellectu nostro, vel Angelico, ipso merè passivè se habente; quo dato, homo, vel Angelus per talem intellectionem viverent; sed hæc vita non esset à principio inrifecò immanentèr operante, cum esset à Deo: ergò, &c. In primis hoc argum. supponit, quod vita consistat, seu sit in actu secundo ipsamet intellectio, quod est falsum, ut postea videbimus; quia est qualitas, seu effectus vitæ physicæ, scilicèt, actionis, quæ sit actualis productio intellectionis. Sed hoc pro nunc omisso, distinguo maior.: quo dato,

homo, vel Angelus per illam intellectionem viverent vita intentionali, conc. mai.: vita physica, de qua in præsentì, nego mai.: & concessa min. de principio *productivo*, nego ipsam de principio operativo, tendenti, vel percipienti objectum: Solutio factis constat ex dictis notabili 1. hujus. Vidè ibi.

11 Arg. 3. ; cognitio, qua Angelus se ipsam, & Deum cognoscit, est vitalis; sed hujusmodi cognitio est debita Angelo ex vi suæ creationis, & pro primò instanti ipsius: ergò ratio vitæ in Angelo non benè explicatur à nobis. Prob. min.: intellectus Angelicus ex sua naturali vi habet virtutem cognoscitivam Dei, vel ad minus sui: & alias objectum talis conditionis est proportionatum, & applicatum suæ potentie; sed hoc stante, debetur ipsi pro primo instanti suæ creationis cognitio Dei, vel ad minus sui: ergò &c. Probat. min.: si, his suppositis, talis intellectus non eliceret cognitionem sui, esset violentus, non minus, ac lapis, si detineretur furum: ergò, &c. Prob. antec.: idèò lapis esset violentus; quia suæ gravitati deberetur talis deficientis; ergò si intellectui Angelico sic disposito cum præsentia, & applicatione objecti, non concederetur cognitio sui, esset violentus, sicut lapis detentus furum. Hoc argumentum, maxi-
me

mè quoad cognitionem ipsiusmet Angeli, aliquam videtur preferre difficultatem.

12 Resp. tamén negando minorem. Ad cuius prob., omiffa mai. quoad secund. part., disting. min.: sed hoc ipfo talis intellectio debetur debito latè sumpto intellectui Angelico, conc. min.: debito connaturalitatis, & exigentiæ, quæ requiritur ad violentiam, nego min. Ad probationes, ipsas distinguo eisdem terminis. Itaque hoc argum. in rei veritate nimis probat; nam probat, quod Angelus perpetuò deberet esse alligatus cognitioni sui; ità ut non posset cognoscere alia objecta. Angelus enim, licèt ab innitio suæ creationis habeat potentiam cognoscitivam sui (nam de Deo, naturalitè loquendo negatur), & objectum, seu sua essentia sit ipsi proportionata, non ob hoc exigit exigentia connaturalitatis, necessaria ad violentiam actualem cognitionem sui, ità quod, sine tali cognitione esset violentus, sicut lapis ratione gravitatis, si detineretur sursum. Et ratio est; quia ex voluntate sua potest Angelus se divertere ad cognitionem Dei, & aliorum objectorum. Ex quo sequitur, quod si privetur sui cognitione, nulla ei inferatur violentia.

13 Arg. ultimò: stat aliquod principium non vitale, quod possit acquirere perfe-

ctionem sibi non debitam pro instanti generationis: ergò male explicatur à nobis conceptus vitæ, cum conveniat alijs à viventibus. Prob. antec.: ignis, & aqua v.g., sunt principia non vitalia; sed possunt producere aliam ignem, & aqua aliam frigiditatem, quæ perfectiones non sunt ipsis debitæ pro instanti generationis: ergò stat principium, &c. Resp. disting. antec.: stat principium non vitale, potens acquirere perfectionem indebitam pro instanti generationis, & hoc media actione transeunte, conc. antec.: media actione immanente, nego antec., & consequ. Ad prob. eisdem terminis ipsam distinguo. Itaque, non in quocumque principio productivo cuiuscumque perfectionis, constituitur formalitè rationem vitæ, sed in principio productivo perfectiones sibi, seu immanenter. Hoc autem non convenit igni, neque ejus actioni activæ; cum sit omninò transiens, nec per illam acquirat sibi aliquid, quod ipsum perficiat, cum sit alius ignis, quem generat. Idem dicendum de aqua dùm producit frigiditatem in passo extraneo.

14 Replicabis: ad conceptum vitæ non requiritur, quod perfectio indebita acquiratur media actione immanenti: ergò nulla est solutio. Prob. antec.: nutritio est actio vitalis, procedens

à principio vitali, sed nutritio fit media actione transeunti, & non immanenti: ergò ad conceptum vitæ &c. Prob. minor: terminus, qui producitur per nutritionem est nova pars substantialis viventis in materia alimenti: ergò talis actio non est immanens, sed transiens. Respondeo negando antec. Ad probat., concessa mai., distingo minor; sed talis actio est transiens, & non immanens, sumpta immanentia strictè, & in rigore sermonis, conc. antec.: immanentia largè sumpta, nego antec. Eisdem terminis distingui potest minor probat.

15 In duplici ergo sensu potest aliqua actio dici immanens: primo strictè, & rigorosè: & est, quando principium activum est etiam receptivum termini producti per ipsam: & in hoc sensu certum est, quod actiones vegetativæ non sunt immanentes, ut probat replica; & docuit etiam Subt. Doct. in 4. dist. 49. quest. 8. §. *Secundo*, v. *Ex hoc*, ubi docet, quod omnes formæ inferiores sensitiva; quales sunt nutritiva, generativa, & augmentativa, non operantur immanentèr, sumpta immanentia, pro illa, quæ requiritur ad vitam intentionalem. Secundò sumitur actio immanens latè, hoc est, pro illa, cujus principium est pars alicujus suppositi, & etiam subiectum termini acquisiti est

pars ejusdemmet suppositi, ut evenit in augmentatione: aut quando nova materia, & nova forma acquisita etiam fiunt propriæ suppositi præcedentis, ut accidit in nutritione. Tunc enim talis actio dicitur immanens, sufficitque ad rationem vitæ vegetativæ, quæ est infima in ratione vitæ. Et hujusmodi actio in hoc secundo sensu sumpta, nequit reperiri in non viventibus, ut consideranti patebit.

QUEST. III.

An in quolibet viventi reperiantur plures animæ

NON disputamus in presenti contra Platonicos, qui asserbant, in homine reperiri tres animas realitèr distinctas ratione loci, & subiecti; ponebant siquidem vegetativam in hepate, sensitivam in corde, & rationalem in cerebro. Hæc enim opinio prorsus rejecta est ab Scholis; & ejus falsitas satis constat ex eo, quod alias homo non esset unum per se compositum substantiale physicum. Similitèr: nec est nobis sermo contra Manichæos, qui ponebant duas animas racionales in homine, quarum una erat ad bonum: ad malum altera excitabat. Hic enim error pluries damnatus fuit: principalitèr vero in octava Synodo generali can.

11. : & à ratione impugnatur sicut præcedens. Difficultas igitur est : an in eodem vivente animali reperiantur insimul anima vegetativa, & sensitiva; & in homine, ultra istas, Anima rationalis, tamquam formæ realitèr distinctæ; quamvis subordinatæ, sicut nos posuimus in Physica, Disp. ultima Libr. 1., formam corporeitatis cum anima?

2. Ratio dubitandi (quæ quamvis communis sit sensitivæ, & rationali), principalius de ista exagitur, proptèr speciales difficultates. Ratio ergò dubitandi oritur ex eo; quia videmus, quod homo elicit operationes vegetandi, sentiendi, & ratiozinandi; hebetque prædicatum vegetativi, & sensitivi; sed hæc omnia necessariò videntur supponere formam, à qua, tamquam à principio, eliciantur huiusmodi operationes: & etiam à qua, tamquam à comparte intrinsecè componente, oriuntur huiusmodi prædicata: igitur videtur necessariè in homine ponere tres formas realitèr distinctas. Urgetur hoc amplius, quia cùm formæ vegetativæ, & sensitivæ videantur præferre materialitatem, hæcque repugnet Animæ rationali, ex consequenti hæc non sufficere in homine. Quid igitur? Est in brutò ponenda anima vegetativa, realitèr distincta à sensitiva? Et in homine anima vegetativa, & sensitiva, inter se realitèr distinctæ, & ani-

ma rationalis, etiam ab illis realitèr distincta? Vél sufficere unica, scilicet rationalis, vegetativam, & sensitivam continens? Et casu, quo hoc secundum dicitur, oritur alia difficultas: quomodo scilicet, anima rationalis, quæ spiritualis est, poterit continere vegetativam, & sensitivam? Res, & ratio dubitandi per duplicem examinabitur conclusionem. Sed ante resolutionem.

3. Notate primò, quod gradus sensitivus, & vegetativus duplicitèr possunt considerari: primò, prout sunt quedam rationes communes, & transcendentes, abstrahentes ab speciebus infimis plantarum, & brutorum: & sub hac consideratione solum habent operationes communes vegetandi, & sentiendi. Secundò possunt considerari huiusmodi gradus, prout sunt contracti per suas formas specificas plantarum, & brutorum: & in hoc sensu operationes propriæ plantarum, & brutorum conveniunt istis gradibus vegetandi, & sentiendi. Nota 2. pro intelligentia secundæ partis difficultatis, quod continentia virtualis est duplex: una in genere causæ efficientis; & est, qua forma superior dicitur aliam continere, aut quia potest illam producere, ut Sol virtualitèr continet calorem: aut quia, licèt ipsam producere non valeat, potest tamén causare effectus, & operationes

ralis formæ. Sic forma mixti continet virtualitèr elementa; quia perfectius perficit materiam, quam formæ elementorum; & in aliquo gradu potest causare effectus, seu qualitates elementorum.

4. **A**lia est continentia in genere causæ formalis: & hæc adhuc est triplex: prima est, qua forma superior continet aliam per simplicem excessum perfectionis: ut anima equi excedit animam vermis: secunda est, qua forma perfectior perficit materiam perfectiori gradu, quam imperfectior & in gradu formæ imperfectioris; sed non formalitèr, & actualitèr, sed solùm virtualitèr, & potentialitèr, eo modo, quo forma mixti continet formam Elementi, quamvis non det formalitèr esse ignis, vel terræ. Tertia continentia est, qua forma perfectior continet imperfectiorem, & perficit materiam perfectiori gradu, & hoc formalitèr, & factualitèr, quia potest præstare effectum formalem, & gradum alterius formæ. His ergo suppositis, si in prima parte difficultatis assertur; quod in brutis datur solùm anima sensitiva, & in homine sola rationalis: in secunda erit investigandum, quomodo hæc contineat illas:

an in genere causæ efficientis, vel formalis: vel utriusque simul. Sit

ergò

PRIMA CONCLUSIO.

5. **I**N homine solùm datur Anima rationalis, vegetativam, & sensitivam continens, modo postea explicando in secunda Conclusionè. Idem proportionalitèr dicendum est de Anima sensitiva brutorum, comparativè ad vegetativam. Hæc Conclusio communis est inter Philosophos cum N. Doct. in 4. dist. 44. q. 1. n. 4. in fine. Est tamen contra Occamum, & alios paucos antiquos. Et quamvis in Conclusionè conveniat communis Philosop., non tamen est omnium una mens ad ipsam probandam. Omisissis aliorum probationibus: Prob. 1. auctoritatibus: S. Athanasius in Symbolo Fidei sic ait: *sicut Anima rationalis, & caro unus est homo: ita, &c.*; sed hoc non teneret, si essent in homine plures animæ realitèr distinctæ; nam tunc non solùm anima rationalis, & caro esset unus homo, sed & anima vegetativa, & sensitiva: ergò, &c. Idem habetur in Clementina unica de Summa Trinitatis, ubi dicitur, Christum assumpsisse partes, nostræ naturæ unitas, corpus scilicet, & Animam rationalem; sed hic, nec alibi SS. PP., dum de Anima rationali loquuntur, faciunt mentionem de alijs animabus, sed solùm in singula-

ri loquuntur : ergò quia solum in homine datur anima rationalis.

6 Prob. 2. Conclusio ratione: si in homine darentur plures animæ, realiter distinctæ, posset tolli dispositio sufficiens ad animam rationalem, permanente adhuc dispositione sufficienti ad animam vegetativam, & sensitivam; sed hoc nequit dici: ergò, nec quod dentur in homine tres animæ realiter distinctæ. Minor constat; quia tunc casus sequeretur, quod deficiente anima rationali, defectu dispositionis prærequisite ad ipsius conservationem, adhuc manerent vegetativa, & sensitiva, manentibus ipsarum dispositionibus: & consequenter, quamvis moreretur homo, adhuc maneret animal, & vivens, quod est contra experientiam. Prob. sequela mai.: ad animam rationalem, requiruntur dispositiones perfectiores pro sui conservatione, & inductione, quam quæ requiruntur pro animabus vegetativa, & sensitiva; cum sit forma perfectior: qua ratione dicunt Adversarij, quod prius infunditur anima vegetativa, postea per novas dispositiones sensitiva, & tandem, quando illud compositum est magis dispositum infunditur rationalis: ergò possunt deficere dispositiones hujus, quin deficient dispositiones illarum: & consequenter,

si in homine sunt realiter distinctæ, potest desinere esse anima rationalis, non deficientibus vegetativa, & sensitiva.

7 Prob. tandem Conclusio ratione communi, & generali: non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas ponendi in homine tres animas, realiter distinctas: ergò non dantur. Prob. min.: si aliqua esset necessitas, maxime ad hoc, ut homo posset elicere operationes vegetativas, & sensitivas; sed ad istas eliciendas non requiruntur plures animæ: ergò, &c. Maior est fundamentum Contrariorum. Prob. min.: Anima rationalis sufficit, ad prædictas operationes eliciendas in homine: ergò non requiruntur, aliæ animæ. Prob. antec.: anima rationalis est principium formale quo vegetandi, & sentiendi; licet non totale; ad minus parziale, cum forma corporeitatis: ergò sufficit ad tales operationes. Ant. patet, tum ex dictis Lib. 1. Physic: Disput. ult.ima, agendo, tum de tertia entitate, tum de forma corporeitatis: & amplius: etiam constabit ex solutione argumentorum.

Solvuntur argu-
menta.

8. ARG. 1. ex Sacra Script. : in ipsa distinguitur in homine, spiritus ab anima : ergo datur in homine, & spiritus, & anima. Nunc sic ; sed per spiritum communiter intelligitur apud SS. PP. anima rationalis : ergo per animam intelligitur vegetativa, & sensitiva ; & consequenter, &c. Primum antec. constat ex illo Danielis 3. : *benedicite spiritus, & animæ sustorum Dno.* Et ex illo ad Thetolon. 5. : *Deus pacis sanctificet vos, ut integer spiritus vester, & anima, & corpus servetur.* Resp. disting. antec. : in Script. distinguitur in homine spiritus ab anima, penes officia, conc. antec. : penes entitatem, & substantiam, nego antec., & conseq. Itaque in Sacra Script. eadem entitativè, & substantialitèr anima rationalis potest considerari secundum portionem superiorem, hoc est, quatenus respicit æterna, & prout sic dicitur *spiritus* : potest secundò considerari secundum portionem inferiorem, hoc est, prout dicit ordinem ad temporalia & creata, & tunc vocatur *anima*. Undè solum penes diversa officia, & respectus distinguitur spiritus ab anima.

9. ARG. 2. ex Philosop. 2. de generatione animalium, ubi docet, quod embryo in utero matris, prius vivit vita plantæ ; deindè vita animalis ; & tandem vita hominis ; sed ad hoc est necesse, quod prius habeat animam vegetativam, deindè sensitivam & tandem rationalem : ergo dantur in homine hæ tres animæ, realitèr distinctæ. Resp. explicando Philos. : embryo hominis prius vivit vita plantæ, deindè, &c., in actu secundo, conc. mai. : prius vivit, &c., in actu primo, nego mai., minorem, & conseq. Explicatur hæ solutio : corpus informatum anima rationali, prius recipit dispositiones ad exercendas operationes vegetativas, quàm sensitivas : & prius ad sensitivas, quàm ad operationes rationales exercendas ; ideòque in actu secundo prius exercet operationes vegetandi, postea sentiendi, & tandem ratiocinandi. Quod expressè docuit ipse Philosop. 7. Politicorum cap. 15. Verumtamen in actu primo non prius informatur anima vegetativa, deindè sensitiva, & tandem rationali ; quia hæc est unica, & indivisibilis ; etsi ex diverso tempore operationum inferretur diversa informatio animæ, anima rationalis non poneretur in homine, nisi post multum temporis nativitatis ipsius.

10 Dices tamen : ergò in embryo non inducitur anima vegetativa, nec sensitiva, usque dum informetur anima rationali : ergò si toto illo tempore, quo embryo incipit habere operationes vegetativas, destruat, qui ipsum destrueret, maneret irregularis ; siquidem occideret vivens vita rationali ; sed hoc est contra communem Theolog. : ergò & id, ex quo sequitur. Resp. concedendo primam consequ., & disting. secundum consequ. : ergò, si toto illo tempore, quo embryo incipit habere operationes vegetativas à se, & intrinsicè, destrueretur, &c., concedo consequ. : incipit habere operationes vegetativas ab extrinseco, hoc est, à matre, destrueretur, &c. nego consequ. & min. subsumptam, in sensu distinctionis. Itaque, non omnis motus, aut augmentum embryonis in utero matris arguit in ipso presentiam ullius animæ propriæ ; siquidem hic motus, & augmentum potest provenire ab extrinseco, scilicet à matre : motus habet pro causa spiritus vitales ipsius matris, & ad augmentum virtutem generativam ejus. Quare, si pro tunc destruat, docent Theologi, non incurrit irregularitatem ; secus vero docent, semel ac desinat esse rigurose embryo, & incipiat esse vivens ; nam ibi supponitur anima rationalis, & q̄i a v̄banib

11 Arg. 3. : ideò non ponimus in homine nisi animam rationalem ; quia ista continet vegetativam, & sensitivam ; sed nequit ipsas continere : ergò, &c. Prob. min. : quod est spirituale, & inextensum, nequit continere id, quod ex sua ratione formali est materiale, & extensum ; sed anima rationalis est spiritualis, & inextensa : vegetativa autem, & sensitiva sunt materiales, & extensa : ergò, &c. Resp. concessa mai., negando min. : ad cuius probat., concessa mai., distingo min., quoad secund. part. ; sed anima vegetativa, & sensitiva, est materialis, & extensa, prout ista animæ sunt contractæ ad differentias específicas plantarum, & brutorum, conē. min. : ex sua ratione formali, & prout præciadunt à prædicis d. florens, nego min., & consequ. Anima igitur vegetativa, & sensitiva ex se, & ex sua ratione formali solum habent esse principium formale quo vegetandi, & sentiendi : & prout sic, nullam materialitatem præferunt. Ratio totius est, quia gradus metaphysici ex sua ratione formali, non important aliquam materialitatem ; cum hæc proveniat à prædicis physicis ; sed gradus vegetandi, & sentiendi in communi, & transcendentaliter sumpti, sunt gradus metaphysici ; igitur nullam materialitatem

tem important.

12 Arg. 4. : operatio propria necessario arguit propriam formam ; sed in homine reperiuntur operationes animæ vegetativæ , & sensitivæ ; homo siquidem , non solum ratiocinat , sed & vegetat , & sentit : ergo in homine reperiuntur propriæ formæ , à quibus huiusmodi operationes proveniant. Nunc sic ; sed huiusmodi formæ sunt anima vegetativa , & sensitiva : ergo in homine reperiuntur huiusmodi formæ. Resp. disting. mai. : operatio propria arguit propriam formam , vel aliam perfectiorem , & superiorem , includentem illam formam , conc. mai. : arguit semper , & præcisè propriam formam , nego mai. , & conc. min. , nego consequentiam. Eisdem terminis distinguitur minor subsumpta. Itaque certum est , quod in homine reperiuntur operationes animæ vegetativæ , & sensitivæ , quæ operationes necessario arguunt , vel animas , sensitivam , & vegetativam , vel aliam perfectiorem istis ; cuiusmodi est anima rationalis.

13 Arg. 5. : operationes vitales immanentes recipiuntur in principio productivo rationalium operationum ; sed vegetationes , & sensationes sunt operationes vitales immanentes : ergo petunt recipi in proprio principio , productivo ipsarum. Nunc

sic ; sed huiusmodi operationes non possunt recipi in Anima rationali : ergo neque possunt produci ab ipsa : ergo necessario recipiuntur in animabus vegetativis , & sensitivis , realitèr distinctis ab Anima rationali ; & consequenter reperiuntur istæ animæ in homine. Minor subsumpta patet ; quia accidentia corporea , ex dictis Lib. 1. Physic. , nequeunt recipi in subiecto spirituali ; sed vegetationes , & sensationes sunt accidentia corporea : ergo , &c. Resp. , concessio toto primo syllogismo , & etiam minori subsumpta , negando suppositum secundi consequentis ; supponit namque consequens , quod principium productivum sensationis in homine est anima sensitiva ; & vegetationis , vegetativa , quod falsum est in nostris principiis ; quia huiusmodi principium in homine est tertia entitas , resultans ex corpore , & anima rationali , realitèr distincta ab ipsis ; & quia sunt operationes immanentes , recipiuntur in eademmet tertia entitate. Videte , quæ diximus 1. Physic. Disp. ultima.

14 Arg. ultimo , & est confirmatio argumenti , fundati in autoritate Philosophi : experientia constat , quod in homine post mortem manet in corpore anima sensitiva , & vegetativa : ergo dantur istæ animæ realitèr distinctæ in ipso. Probo antec.

primò experientia unguium, & capillorum cadaverum, quæ certè post mortem crescant: secundò, quia cor hominis, recentè extractum à corpore persèpè visum est moveri: tertio tandè; quia si caput amputetur in saltus prorumpit, & fursùm movetur; sed hi effectus non possunt verificari in homine mortuo, nisi in ipso post mortem maneat animæ vegetativa, & sensitiva: ergò, &c. Resp. neg. antec.: Ad primam experientiam probatiosis de unguibus, & capillis cadaverum, dicemus quæst. ultima hujus dum de partibus, quæ ab anima informantur, agamus. Ad secundam, & tertiam resp., quod illi motus, tam cordis recentè abstracti, quam capitis abscissi, non causantur vi alicujus animæ, sed virtute spirituum animalium per aliquod breve spacium existentium in illis partibus, ut experientia nos docet in angue, quæ etsi fecetur in partes, adhuc istæ moventur.

SECUNDA CONCLUSIO.

15 **A**NIMA rationalis continet virtualiter vegetativam, & sensitivam, non solum in genere causæ efficientis, sed etiam in genere causæ formalis, modo explicato num. 3., & 4. hujus. Idem proportionalitè dicendum est de anima sensitiva, comparativè ad vegetativam. Hæc con-

clus. sequitur ex ant.; undè habet ferè eisdem Patronos. Prob. de Anima rationali: in homine reperiuntur operationes vegetandi, & sentiendi: necnon & prædicata vegetativi, & sensitivi, directè reponibilia in prædicamento: ergò istæ operationes supponunt in homine aliquam formam, quæ sit principium parziale efficiens illarum: & similiter hæc prædicata, aut gradus supponunt aliquam formam, quæ communicata, & exhibitæ homini, ipsum in tali esse constituat. Nunc sic; sed hujusmodi formæ in homine non sunt anima vegetativa, et sensitiva, ut probatum est conclus. antec.: ergò anima rationalis. Antec. est evidens. Consequentia infertur. Confirm.: ut homo sit formalitè vegetativus, & sensitivus, non sufficit continentia in genere causæ efficientis; alias mixtum esset formalitè elementum: ergò requiritur continentia virtualis in genere causæ formalis: ergò anima rationalis sic continet vegetativam, & sensitivam.

16 Prob. nunc specialitè de anima sensitiva, respectu vegetativæ: anima sensitiva in bruto est principium formale quo anima nutritur, augetur, & aliud animal generat; sed istæ sunt operationes animæ vegetativæ: ergò anima sensitiva continet virtualitè vegetativam. Probat. mai.: in nutritione, & augmen-

mentatione animalis, non solum acquiritur nova pars animę vegetativę, sed etiam sensitivę; nam non solum vegetans nutritur, & augetur, sed & sentiens: ergo principium harum operationum est anima sensitiva. Prob. consequentia: anima vegetativa est imperfectior sensitiva: ergo in nutritione, aut augmentatione non est principium producendi part. formę sensitivę; quia imperfectius nequit producere perfectius.

17 Dices 1. contra hoc: anima rationalis, per nos, continet virtualiter vegetativam, & sensitivam: ergo non continet eas in genere causę formalis. Consequentia constat; quia continentia in genere causę formalis, non est solum continentia virtualis; cum ultra istam addat dans esse, per informationem: ergo si continet virtualiter, non continet &c. Resp. disting. antec.: anima rationalis continet virtualiter, & in simul formaliter, animas vegetativam, & sensitivam, conc. antec.: continet præcisè virtualiter, nego antec., & consequ. Itaque continentia virtualis, & formalis non opponuntur, sed continentia virtualis se habet tamquam quid superius, quę alia est in genere causę efficientis, in quantum potest producere effectus formę contentę: alia formalis, in quantum per modum formę communicat, &

exhibet subjecto, ipsi tribuit suum effectum formalem: Et dicimus, quod utraque hæc continentia convenit animę rationali comparativè ad sensitivam, & vegetativam in homine; nam ex dicendis Disp. de Anima rationali in particulari, constabit, quid sit forma in-formans, & constituens hominem.

18 Dices 2.: repugnat quod anima rationalis sit formaliter vegetativa, & sensitiva, sed hoc ipso nequit continere in genere causę formalis animas vegetativam, & sensitivam: ergo &c. Prob. mai.: anima rationalis nequit esse formaliter vegetans, aut sentiens: ergo neque potest esse formaliter vegetativa, & sensitiva. Prob. antec.: vegetare, & sentire formaliter sunt operationes materiales, repugnantes animę rationali: ergo anima rationalis non est formaliter vegetans, & sentiens. Resp. disting. mai.: anima rationalis nequit esse formaliter vegetativa, & sensitiva, *ut quod*, conc. mai.: *ut quo*, nego mai., & min. Eisdem terminis distinguitur antec. prob. Itaque, ut aliqua forma per exhibitionem suę entitatis, tribuat composito suum effectum formalem, non est necesse, quod sit talis formaliter, *ut quod*, sed solum quod sit principium constitutivum formale compositi in tali esse. Patet hoc in albedine, quę constituit subjectum formaliter album

bum; cum ipsa non sit alba, ut quod, sed solum, ut quo. Sic ergo Anima rationalis: quamvis non sit formaliter vegetativa, & sensitiva ut quod, nec ut quod formaliter vegetans, & sentiens; potest tamen esse principium partiale quo vegetations, & sensationis formaliter; nam principium quod est tertia entitas in nostris principijs.

19 Replicabis: sed anima rationalis nequit esse adhuc principium formale quo vegetations, & sensationis: ergo nulla est solutio. Prob. min. subsumpta: Anima rationalis in nostris principijs nequit esse principium formale, & quo corporis physici organici: ergo nec vegetations, & sensationis. Probat. consequent. ideo nequit esse principium quo formaliter corporis physici organici; quia corpus organicum est essentialiter corporeum; sed vegetations, & sensationes sunt operationes corporee: ergo, &c. Resp. negando min. Ad prob., concessio antec., nego consequent.: & distingo mai. probationis: ideo, &c.; quia corpus organicum est essentialiter, & formaliter corporeum, & indepurabile à corporeitate, conc. mai.: & est depurabile à corporeitate, seu materialitate, nego mai.: in versis terminis distingo min., & nego consequent. Itaque est differentia inter corpus organicum, & gradus vegetandi, & sentiendi; illud enim est essen-

tialiter, & formaliter corporeum, ita ut non possit à corporeitate præscindere: gradus vero vegetandi, & sentiendi ut quo, secundum suam rationem formalem præcisam, abstrahunt ab spirituali, & corporeo, quæ sunt differentie propriæ inferiorum, ad quæ contrahuntur.

20 Sed ut omnia hucusquæ dicta clariùs percipiantur advertendum est ex dictis num. 3. hujus, quod, quândo asserimus, animam rationalem esse formaliter vegetativam, & sensitivam plantarum, & brutorum non dicimus, eas continere, secundum rationem specificam, & differentias particulares, quibus hujusmodi animæ sunt contractæ ad inferiora, scilicet plantas & bruta: Sed sermo est de conceptu formali communissimo animæ vegetativæ, & sensitivæ, qui conceptus est communis omnibus viventibus. Sed, si loquamur de continentia virtuali, benè potest dici, quod Anima rationalis contineat vegetativam, & sensitivam, quæ reperitur in plantis, & brutis: tum, quia anima rationalis excedit in perfectione illas alias animas, & ratione hujus excessus, benè potest dici, quod eas contineat virtualiter. Tunc, & principalius; quia Anima rationalis est principium quo operationum communium animæ vegetativæ, quæ reperitur in plantis, et animæ sensitivæ, quæ reperitur in brutis. Ex quo appa-

ret., quod nulla apparet contradic-
 ctio in terminis, quibus nostra
 proponitur & fundatur; conclusio;
 cum continentia animæ rationalis
 respectu aliarum animarum,
 sit & virtualis rigurosa, & for-
 malis, seu in genere causæ for-
 malis, modo jam explicato.

21. Ultra advertendum
 est, quod, quamvis dicatur, ani-
 mam rationalem continere vege-
 tativam, & sensitivam, non prop-
 terea debet dici, esse triplicem
 formam, formaliter distinctam;
 nam nomen formæ est nomen
 entitatis physicæ, quod nequit apli-
 cari formalitatibus metaphysi-
 cis. Est ergo asserendum, ani-
 mam rationalem esse unicam for-
 mam, includentem plures ratio-
 nes superiores, & inferiores for-
 maliter distinctas; quia, ut ait
 Noster Doct. in 2. dist. 1. q. 2.,
 gradus vegetativi, sensitivi, &
 rationalis, inclusi in eadem ani-
 ma, distinguuntur *formaliter ex
 natura rei*. Tandem advertendum
 est, quod, quamvis dicamus, quod
 anima sensitiva in brutis continet
 vegetativam, sicut, & rationalis
 vegetativam, & sensitivam; tamē
 ly *sicut*, cum aliqua disparitate
 sumendum est; quia anima ra-
 tionalis solum potest esse princi-
 pium *ut quo* vegetandi, & senti-
 endi; anima verò sensitiva est
 principium *quo, & quod*, respec-
 tu vegetationis; quia cum in
 brutis sit materialis, non minus
 est capax vegandi, ac sentiendi.

QUÆST. IV.

*An omnes animæ sint divisibili-
 les? Et quæ sunt, in quas
 que partes?*

I. **P**RO resolutione pri-
 mæ part. difficul-
 tatis. notandum
 est 1., quod nulla est anima,
 quæ non sit divisibilis, seu com-
 posita metaphysicè: omnis enim
 anima est composita ex ratione
 generica, & differentiali, quod
 etiam convenit Animæ rationali,
 ut potè forma creata. Not. est
 2., quod omnis anima est indivi-
 sibilis in partes essentielles phy-
 sicas, scilicet materiam, & for-
 mam. Et ratio est; quia, ex
 dictis, anima est actus materiæ
 primus in lynea viventis; sed
 hoc esset falsum, si aliqua ani-
 ma esset composita ex materia,
 & forma physica; nam tunc
 illa alia forma esset primus ac-
 tus materiæ, & sic usque in in-
 finitum, vel usque dum perve-
 niretur ad aliquam, quæ non
 esset composita physicè: ergo,
 &c. Hic ex professione non agimus
 de ista compositione; nam pos-
 set forsam erit sermo, dum de
 spiritualitate animæ rationalis
 agamus. Difficultas ergò, prout
 in præsentī proponitur, unicè pro-
 cedit de simplicitate in partes in-
 tegralis: quæque per duplicem
 conclus. resolveretur quoad prim.
 part. ipsius. Sit ergo

PRIMA CONCLUSIO.

ANIMA rationalis est omnino indivisibilis in partes integrales. Hæc conclusio est communis inter omnes Catholicos, contra plures ex Stoicis. Prob. 1. conclusio: anima rationalis est immortalis: ergo & est indivisibilis in partes integrales. Antec. supponitur, tanquam de Fidé definitum, in Concil. 3. Lateranensi sub Leone X. Sess. 8. Prob. consequ.: si anima rationalis esset divisibilis si ab homine abscinderetur manus, vel pes, etiam abscinderetur illa pars animæ, quæ responderet parti abscissæ; sed ista pars animæ non esset immortalis: ergo, &c. Maior sequitur. Prob. min.: illa pars animæ abscissa non posset se contrahere ad materiam remanentem; quia eadem pars materiæ nequit naturaliter informari à duabus partibus formæ simul; sed si maneret in parte abscissa; cum ipsa pars abscissa certo deficeret, etiam dissineret esse ipsamet pars animæ, ipsam informans: g. Urgetur: maneat pars animæ cū parte corporis abscissa: & hæc pars abscindatur dum homo est in statu gratiæ, hæc pars animæ salvabitur: desinant esse aliæ partes hominis, & consequenter animæ, dum homo est in peccato mortali; istæ partes animæ damnabuntur; & consequen-

tèr eadem anima salvabitur, & damnabitur, quod est maximum inconveniens: ergo & id ex quo sequitur, scilicet, quod anima rationalis sit divisibilis in partes integrales.

3 Dices 1.: juxta commune proloquium; *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*; sed recipiens animam rationalem, scilicet, corpus physicum organicum, est divisibile in partes integrales: ergo & anima rationalis recepta. Hoc axioma non absolute admittitur, quin immò, ab aliquibus absolute negatur. Sed respondeo ipsum explicando: *quidquid recipitur, &c.* recipitur ad modum, hoc est, juxta capacitatem recipientis, concedo mai.: ad modum, hoc est, debet habere proportionem enitativam cum recipienti, nego mai., & concessa minor., nego consequentiam. Itaque, ad hoc, ut anima rationalis proportionetur cum corpore, ad hoc ut ipsa nata sit actuare potentialitatem illius, non requiritur divisibilitas ex parte animæ: sufficit enim, quod ipsum corpus sit capax talis actuationis. Unde, potest dici, quod anima rationalis est virtualiter divisibilis absque ulla divisione formali; nam, sicut Angelus, quia virtualiter divisibilis absque sui divisione formali est in loco formaliter divisibili, sic pariformiter anima rationalis, respectu corporis.

4 Dices 2. : si Anima rationalis esset indivisibilis, ipsa à se ipsa distaret, esset in pluribus locis, simulquæ moveretur, & quiesceret; sed omnia hæc repugnant: ergò & quod anima rationalis sit indivisibilis. Maior constat; quia esset animam in pluribus partibus, distantibus inter se: quæque sunt in diversis locis, & quarum una quiescit, altera mota: ergò &c. Confirm.: si anima rationalis esset indivisibilis, esset tota in toto, & tota in qualibet parte cum suis potentijs, realitèr identificatis; sed hoc est falsum: ergò, &c. Prob. min.: tunc quælibet pars hominis intelligeret, & velet; cum in qualibet parte esset anima cum intellectu, & voluntate: ergò, &c. Resp. negando. mai.: distantia enim distinguitur penes diversitatem loci adæquati, cum ergo totum corpus, ejusque partes sint locus adæquatus, respectu animæ, hinc est, quod nec distaret à se ipsa, nec esset in pluribus locis adæquatis. Et quamvis posset concedi, quod simul moveretur & quiesceret, hic motus esset penès diversas virtualitates, repperas in anima, secundum diversas partes corporis, per quod evitaretur contradictio. Ad confirmat. nego min.: & ad ejus probationem nego suppositum; nam non est quælibet pars hominis, quæ intelligit, aut vult,

sed totus perfectus homo, sicut totus homo ambulat à pedibus Vide N. Mast. hic quæst. 5. à num. 65.

SECUNDA CONCLUSIO.

5. **A**NIMA, tam vegetativa, quam sensitiva, est integralitèr divisibilis: & hoc etiam sensitiva animalium perfectorum ut Leonis, equi &c. Conclus.: quoad animam vegetativam, & sensitivam animalium imperfectorum, est communis: quoad animam vero sensitivam brutorum perfectorum est contra communem Thomistarum. Probat. conclus. quoad animam vegetativam: experientia constat, quod si ramus abscindatur ab arbore, & alibi plantetur, radicat, flores, & fructus parit, eosque conservat usque ad maturitatem: ergò quia anima vegetativa arboris est divisibilis. Prob. similiter conclusio, quoad animam sensitivam animalium imperfectorum: partes lacertæ, anguilæ, lumbrici, & aliorum vermium abscissæ: vivunt vita sensitiva; ergo quia eorum anima sensitiva est divisibilis. Antec. constat experientia, qua videmus, quod, si tales partes dissectæ percutiantur, moventur, & sensationem eliciunt, se contrahendo, aut fugiendo: ergò &c. Circa hoc est clarum testi-
mo-

monium Divi August. Libr. de
quantitate animæ, cap. 31. Vi-
dete Nost. Mast. hic.

Prob. ergo nunc
Conclus. quoad animam sensi-
tivam animalium perfectorum :
talis anima, adhuc in sententia
Thomæ, dependet à materia ;
ergo nequit esse indivisibilis.
Prob. conseq. : si dependens à
materia, simul esset indivisibi-
bilis, sequeretur quod idem
effectus produceretur, & simul
dependeret naturaliter à pluribus
causis totalibus, vel ad minus
ab una totali, & altera partia-
li, sed hoc est falsum, ex
dictis 1. & 2. Physic. : ergo si
anima sensitiva dependet à ma-
teria, non est indivisibilis.
Prob. sequela maioris : in gene-
ratione, equi v. g., ejus anima
adæquatè educitur de tota illa
materia, quæ concurrat ad ge-
nerationem ; sed postea in nu-
tritione eademmet anima debe-
ret se extendere ad novam ma-
teriam, quæ in ipsa acquiritur,
ab ipsaque dependeret ; ergo
iam eadem anima dependeret na-
turaliter à pluribus causis totali-
bus, vel ab una totali, habita
per generationem, & alia
partiali acquisita per nutritio-
nem ; & consequenter, &c. Si
negetur min. ; sequitur, quod
anima informat materiam, quin
ex ea educatur nec ab ipsa de-
pendeat, quod est falsum, cum
hoc sit proprium animæ ratio-

nalis. Variè respondent aliqui
Thom. huic rationi.

7 non Primo dicunt, quod
anima sensitiva in adventu no-
væ materiæ per nutritionem,
pendet totaliter adæquatè à tota
illa materia habita, tam per ge-
nerationem, quam per nutri-
tionem. Ratio est ; nam prima
materia ratione adventus alte-
rius per nutritionem, attempe-
rat suum concursum, & sic, quæ
erat totalis, fit partialis. Sed
contra ; quia, licet dum simul
applicantur plures causæ ad
unum effectum, agant ad me-
dium, seu partialiter, tamen,
si una jam est applicata, & exi-
vit in actionem, sibi adæqua-
tam, nequit impediri ab illa
actione per causam ejusdem
rationis ; nam omne impedi-
mentum provenit à contrario, &
non à simili : ergo falsum est,
quod prior materia attemperet
suum concursum, & fiat causa
partialis.

8 Secundò respondent, quod
anima sensitiva solum dependet à
à prima materia, habita per ge-
nerationem, non vero ab alia,
quæ de novo advenit per nutri-
tionem. Sed hæc responsio, in
primis est contra suppositionem,
quam faciunt Thomistæ, quod
anima sensitiva dependeat à tota
materia. Deindè : ex hac res-
ponsione sequeretur, quod, si
ab equo v. g., abscindatur ali-
qua pars principalis non habita
per

per generationem, sed per nutritionem, talis equus non moreretur; quia forma non destruitur ad destructionem subjecti, à quo non dependet in esse; sed sequela est falsa: ergo &c. Tandem respondent, quod à materia, acquisita per nutritionem, dependet anima sensitiva in conservari: non vero in fieri, & consequenter non educitur ex ipsa. Sed contra: quia, si pendet in conservari à materia, habita per nutritionem: ergo etiam educitur ex ejus potentia. Consequenter constat ex dictis 1. Physic. agendo, de educatione formarum ex materia. Deinde: perfectius esset compositum, resultans ex materia nutritionis, quam ex materia generationis siquidem illud esset independentius isto, quod non est dicendum.

Solvuntur Argumenta.

9 ARG. 1. ex Philos.

Lib. de juventute, & senectute,

ubi, postquam duas primas partes conclusionis statuit: loquens de animalibus perfectis, ait: *quæ vero perfectissima corporis fabricatione formatur, dissecta vivere non queunt; quoniam illorum natura quoad ejus fieri potest, maxime una est; sed si maxime una est illorum natura, seu anima, in-*

divisibilis est: ergo est indivisibilis. Noster Mast. tam longe abest, ut hanc authorit. contra se objiciat, ut ex ipsa probet conclusionem. Sed hoc omisso, explico ultima verba: *quoniam illorum natura: maxime una est, omnimoda unitate, quæ cum indivisibilitate convertitur, nego hunc esse sensum Philosophi: maxime una est, unitate compositibili cum corporeitate, conc. hunc esse sensum; et nego minor., et consequenter.* Hæc ergo solutio fundatur in ipsamet authoritate, et etiam in intento ipsiusmet Philosophi in præfati. Authoritas ergo ait, quod anima sensitiva brutorum est maxime una, quoad ejus fieri potest, non autem dicit, quod est maxime una omnimoda unitate. Intenrum erat, ponere distinctionem inter animas imperfectorum, et perfectorum; et stat in hoc, quod partes imperfectorum divisæ, diu vivunt: partes verò perfectorum, sectæ non vivunt, non ex defectu animæ, sed organorum. Ex quo nihil contra nos.

10 ARG. 2., et potest

esse replica: juxta nostram probationem conclus., animæ animalium imperfectorum sunt divisibiles, quia eorum partes dissectæ, vivunt; sed si hæc ratio probat, probat, quod animæ perfectorum animalium non sint divisibiles: ergo non sunt. Minor potest, probari ex illo axioma: *quan-*

quando affirmatio est causa affirmationis; negatio vero est causa negationis: ergo si affirmatio vitæ post dissectionem est causa divisibilitatis animæ, negatio &c. Nunc sic; sed equus divisus in partes non vivit: ergo quia ejus anima non est divisibilis. Confirm., & est fundamentum Thomist.: anime animalium perfectorum mediant inter animam rationalem, & animas plantarum, aliorumque animalium imperfectorum: ergo, nec debent esse adeò indivisibiles, sicut anima rationalis; nec adeò divisibiles, ac animæ plantarum, & brutorum imperfectorum: ergo non sunt absolute divisibiles.

II. Resp. distinguendo mai.: *ideo sufficienter*, &c., conced. maior.: *præcisè*, nego maiorem, min., & consequ. Itaque benè sequitur: pars dissecta animalis imperfecti elicit operationem vitalem: ergo ejus anima divisibilis est; non tamen per oppositum. Et ratio stat in ipsis animalibus imperfectis; nam, si isti dividantur penès longitudinem, hoc est, à capite usque ad caudam, non amplius eliciunt operationem vitalem: ergo eorum anima non est divisibilis? Mala consequentia. Ratio ergo, cur partes animalium perfectorum, separatae, à toto non vivunt, est; quia istæ animæ egent maiori apparatu, & organizatione,

nes vitales; quare axioma propositum solum habet locum in causis præcisissis, & adæquatis; secus verò in inadæquatis. Ad confirm., concedo primum syllogismum, & nego secundam consequ., quam non probant Thomistæ, sed voluntariè supponunt, & est, quod est in controversia, ut notat hic N. Pont.

III. 12. Arg. 3.: experientia constat, quod si aliquid animal perfectum lædatur in aliqua parte determinata, citò totum corpus dolet; nam, vel contrahitur, vel fugit: & ultra ex tali dolore fit inhabilis ad exercendas functiones, correspondentes alijs partibus corporis; sed hoc arguit, quod una, & indivisibilis anima sit in toto animali perfecto: ergo talis anima indivisibilis est. Hoc argumentum, si probat, probat in imperfectis animalibus; quia, si lacertæ, & angues in cauda feriuntur, toto corpore dolent. Resp. ergo, concessa maiori, negando min., & consequ. Itaque ex dolore causato in una parte, immittitur species ad sensum internum, qui apprehendit disconvenientiam doloris, cum statu connaturali, & conservatione vitæ; & statim imperat alijs partibus pro remedio querendo, quæ partes concurrunt, mittendo plures spiritus vitales; ex quo provenit talis qualis inhabilitas in alijs partibus, ad suas

suas respectivas functiones exercendas. Cæterum, ex hoc non arguitur, quod talis anima sit indivisibilis. Arg. deniquè: forma petens informare indivisibiliter, est indivisibilis in essendo; quia informatio est modus forme; sed anima animalium perfectorum est indivisibilis in informando; quia indivisibiliter est actus totius corporis organici: ergo est indivisibilis in informando. Resp., concessa mai., negando min.: ad cujus probationem imbitam dico, solum probare, quod pars animæ, quæ est in pede equi, non potest permanere divisa: non vero probat, quod tota informatio sit indivisibilis; nam divisibile est illud, quod potest esse majus, aut minus, sed est evidens informationem animæ equi esse minorem, si detrahatur pes, quam antea: ergo, quia est divisibilis talis informatio. Undè est maximum discrimen inter animam rationalem, & sensitivam viventium perfectorum; nam, abscisso pede hominis v.g., non desinit esse anima rationalis, sed deficit præcisè informatio, ob incapacitatem partis dissectæ, à qua separatur anima. Cum verò abscinditur pes equi, & deficit informatio, & pars animæ, ob dependentiam à materia, & temperamento. Undè est deficientia, tam in informando, quam in essendo.

RESOLVITUR SECUNDA

pars quæstionis.

14. **S**UPPOSITA divisibilitate animæ, quæ non tam vegetativæ, quam sensitivæ; quæritur modò: in quas partes sint divisibiles istæ animæ: an homogeneas: an verò ethærogenæ? Pro resolutione nota, quod non est difficultas de partibus animæ, quæ correspondent partibus corporis ejusdem rationis: hoc est, de partibus animæ, informantibus varias partes carnis; nam in communi sententia, sicut omnes partes carnis, quæ reperiuntur in equo v.g., sunt homogeneæ, seu ejusdem rationis: sic similiter dicendum est de partibus animæ, informantibus tales partes carnis, quæ etiam sint homogeneæ. Controversia ergo est de partibus animæ, informantibus partes diversæ rationis, corporis. Hoc est: an pars animæ sensitivæ, & vegetivæ, quæ correspondet carni, sit ethærogenæ, seu diversæ rationis ab illa parte animæ, quæ correspondet ossibus, & nervis? Sic explicata difficultate.

15. Dico: partes animalium divisibilium non sunt ethærogenæ, sed homogeneæ in toto corpore. Est communis cum N. Doct. in 4. dist. 11. quæst. 3. per totam, sed præcipuè num.

54. Prob. 1. ex Philof. 1. de Anima text. 58. ex cuius autoritate hæc efformatur ratio: si partes animæ essent ethærogenæ, quælibet anima esset forma mixtionis; sed hoc est inconveniens, juxta Philof.: ergo & quod partes animæ fiat ethærogenæ. Mai. constat. Prob. min.; quia aliás deberent poni in animali tot animæ distinctæ speciei, quod sunt partes dissimilares, seu ethærogenæ ipsius: ergo nequit anima esse forma mixtionis. Confirm.: quodlibet animal est unum per se unitate speciei, & individuationis; sed si omnes partes animæ essent ethærogenæ, non esset sic unum, sed ad summum, unitate ordinis, & continuationis: ergo, &c. Prob. min.: tunc forma animæ, habens partes ethærogenas, erit sub diversis speciebus, saltem partialibus, ut de se constat, sed hoc repugnat cum unitate per se, & individuationis: ergo, &c.

16 Dices 1., & militat contra confirmat.: quamvis anima constet partibus ethærogenis, tamen potest constituere unum per se cum materia, & forma corporeitatis: ergo non tenet confirmatio. Prob. ant.: forma corporeitatis, quamvis constet partibus ethærogenis, constituit tamen unum per se cum materia: ergo à pari. Resp. negando ant.: ad cuius probat. concessio antec., nego

conseq. Disparitas stat in hoc, quod materia prima, & forma corporeitatis se habent per modum actus, & potentie, sicque ex tali forma, & materia potest fieri unum per se: attamen partes dissimilares animæ non se haberent adinvicem per modum actus, & potentie; nam pars animæ carnis non esset actus, respectu partis animæ nervi, aut è contra: unde non posset resultare unum per se specificum. Unde, sicut ex partibus corporis organici non resultat unum per se specificum corpus, sic nec ex partibus dissimilariibus animæ resultaret unum per se vivens.

17 Dices 2.: anima habet diversas operationes, secundum diversas partes corporis: ergo quia ipsamet anima habet diversas specificè partes. Antec. constat; nam audit, videt, &c. quæ sunt diversæ specificè operationes. Resp. 1. quod si hæc replica aliquid probat, probat utique, quod anima rationalis est etiam divisibilis in partes ethærogenas; informat siquidem diversas partes corporis, & in illis elicit diversas operationes. Quare resp. concessio antec., negando conseq. Hæc enim diversitas operationum provenit ex diversitate partium corporis organici, quæ quidem concurrunt cum anima ad tales diversas operationes eliciendas. Quare hoc argum., si quid pro-

bat, probat contra negantes. formam corporeitatis.

18 Dices 3. : pars animæ, quæ est in capite equi, v.g.; petit pro sui informatione subjectum distinctæ speciei à subjecto partis; quæ est in pede; sed hoc ipso pars animæ capitis est specificè distincta à parte animæ, quæ est in pede: ergo est. Maior constat; quia pars animæ, quæ est in capite exigit dispositiones ad operationes capitis, & non pedis. Minor etiam patet; nam illa pars animæ, quæ petit subjectum diversæ rationis à subjecto alterius partis, debet distingui specificè ab alia parte. Resp. disting. mai.: pars animæ, quæ est in capite petit, ab extrinseco, & ex determinatione Dei pro subjecto informationis, subjectum, &c., conc. mai.: petit ex natura sua, & ab intrinseco; nego mai., min., & conseq. Et eisdem terminis disting. probatio mai. Et inversis terminis distinguitur probatio minoris. Itaque illa pars animæ quæ est in capite, equi, v.g., est indifferens, ut sit in hac, aut illa parte: & solum determinatur, ut sit hic potius, quam in pede, à Deo: ad modum, quo pars carnis, quæ est in capite, quamvis sit eiusdem rationis cum illa, quæ est in pede, determinatur, ut sit potius in capite, quam in pede.

Sed urgentius declaratur contra Adversarios: ipsi dicunt, quod pars animæ, quæ est in carne brachij dextri, est eiusdem speciei cum parte animæ, quæ est in sinistro, & tamen ab extrinseco est determinata hæc pars ad hoc subjectum; & illa ad illud.

19 Dices ultimò, & est replica contra solutionem: pars animæ, quæ est in capite, equi v.g., exigit determinatè, & ab intrinseco talem partem capitis, ita ut non possit esse in pede: ergo nulla est solutio. Prob. antec.: talis pars animæ exigit determinatè dispositiones capitis: ergo & sic exigit esse in capite determinatè. Prob. antec.: talis pars animæ capitis equi nequit esse in capite Leonis; cum leo, & equus specie differant; sed non alia ratione, nisi quia exigit dispositiones capitis equi ad eliciendas operationes equinas: ergo, &c. Resp. negando ant., cum ejus probatione: ad cuius probationem conc. mai., & min., & nego conseq. Disparitas enim est; quia cum anima leonis specie differat ab anima equi, necessariò petit dispositiones speciei distinctas in corpore leonis & hoc ab intrinseco, ut possint exercere suas operationes proprias. Hoc est, ut equus innihat, leoque rugiat. Cum vero partes ani-

animę unius animalis specie non differant, hinc est, quod ab intrinseco non petunt determinatam partem, ut informet, sed, quantum est ex se, indifferenti se habent ad hanc, vel illam partem informandam, & solum ex libera Dei determinatione educitur pars animę capitis ex capite, & ipsi unitur, ipsique informat.

20 Sed ut hoc melius percipiatur, & hæc indifferentia declaretur, notandum est ex N. Mast. hic, quod, quamvis pars animę sit indifferens ad informandam hanc, vel illam partem corporis, dummodò tamen alię partes animę informant alias partes necessarias corporis; non vero est indifferens, sive alię partes informant, sive non alias partes necessarias corporis. Unde anima potest considerari, vel ut totum integrale, in quo sensu non respicit adhuc determinatè totum corpus: vel potest considerari, ut pars integralis, & sic, nec respicit determinatè totum corpus, cum totum non informat; nec aliquam determinatam partem; quia eodem modo informaret istam, ac illam. Tandem, potest considerari sub ratione totius essentialis; & prout sic, cum anima sit essentialitèr actus corporis physici organici, essentialitèr ipsum informat.

QUÆST. V.

Quenam partes corporis viventis informantur ab anima?

I LICET de omni venti procedat difficultas, tam vegetativo, quam sensitivo, & rationali; quia tamen animal, & maximè rationale, perfectiorem organizationem habet, ideò de isto principalitèr procedit difficultas: ex cujus resolutione constabit, quid de alijs viventibus dicendum est. Sed ante resolutionem nota, quod partes integrales animalis, alię sunt similes, & homogeneę, quę habent eandem rationem cum suis particulis, ut tota ossa, tota caro, omnes quę nervi: alię sunt dissimiles, & ethærogeneę, & sunt, quę ex dissimilaribus componuntur, ut caput, manus, pes, &c. Ex partibus ergò similibus, alię sunt solidę, ut caro, os, pellis, &c.; alię vero sunt fluidę, ut sanguis alięque humores, & spiritus, sive vitales, sive animales: item pinguedo, adeps, medula, semen, lac, &c. De omnibus his procedit difficultas. Sed ultra

2 Notate, quod ex his partibus, alię per se pertinent ad constitutionem corporis, & primam consistentiam ipsius, &

sunt, quæ organis inserviunt, ut ossa, caro, cor, cerebrum, &c.: aliæ vero sunt excrementitiæ, quæ gignuntur ex partibus inutilibus alimenti. Sed advertendum est, quod ex his, quædam sunt rigorosè excrementitiæ, & sunt, quæ tanquam inutiles, expelluntur a corpore per ejus organa externa, ut fæces, saliba; aliæque purgamenta. Aliæ vero sunt excrementitiæ, non tam rigorosè, sed quasi innatæ corpori; quæque naturaliter proveniunt ex ipso corpore, & ad ornatum, aliosque usus deserviunt in homine: ut pilli, & ungues; pennæ in avibus, & squamæ in piscibus, &c. De his ergo omnibus, quarimus in præsentia: an informantur ab anima? Et ut incerta à certis separemus, quædam breviter supponemus, ut ad ea, in quibus dubium potest esse clarius procedamus.

3. Suppono ergo 1., quod partes solidæ, ad primam consistentiam corporis spectant, ut sunt caro, ossa, nervi, & similia, informantur ab anima. Hęc suppositio est. Nost. Subt. Doctr. in 4. dist. 44. quæst. 1. Et que communis inter Theologos, contra aliquos Philos. antiquos, qui sentiebant, quod anima non informabat quamlibet partem exercentem aliquam operationem vitalem, sed solum informare præcipuam partem corporis, ex qua totum corpus regebat. Hoc ex-

plicabant exemplo Regis, qui non residet in qualibet parte regni, sed in una determinata; & ex ipsa totum regnum gubernat. Quænam autem esset hæc pars præcipua, quæ ab anima informabatur, non erat omnium una mens: alij ponebant caput: alij cerebrum: alij pectus, &c. Sed quidquid sit de hoc, nostra suppositio sic breviter probatur: omnes partes solidæ, quæ spectant ad primam consistentiam corporis, exercent operationes vitæ, aut nutritivæ, aut sensitivæ; aut utriusque: ergo informantur ab anima. Consequentia constat; quia ex hoc colligitur, quod aliqua operatio sit vitalis, quia procedit à principio intrinseco suo subiecto; sed hoc principium non est aliud, quam anima: ergo &c. Confirm. ex eo, quod istæ partes augentur per intus sumptionem, atrahendo alimentum, & ipsum convertendo in propriam substantiam: deinde crescunt versus omnem dimensionem usque ad debitam magnitudinem: tandem pertinet ad rationem corporis physici organici: ergo anima est actus informativus harum partium.

4. Dices tamen contra istam suppositionem: Philosop. Lib. 1. de motu animalium cap. 7. ait: *non oportet in unoquoque esse animam, sed in quodam principio corporis existente, alia quidem vivere: quia adnata sunt*

sunt facere autem opas, propriam propter naturam; ergo juxta Philosoph., non omnes partes solidæ, sed solum præcipua est quæ informatur ab anima. Confirm. ex dictis, anima est actus corporis physici organici; sed non quævis ex partibus assignatis est organica, nec ethærogenæ: ergo non quævis informatur ab anima. Resp. quod Philosoph. ibi tantum intendit, quod anima præcipuè residet in aliqua determinata parte corporis, tanquam in parte mortice, quæ juxta Philosoph., est cor, de quoque in fine quæst. dicemus: à quaque parte omnes aliæ corporis dependent quoad operationes vitales; nam ex illa transmittuntur spiritus vitales ad tales operationes exercendas; non verò vult, quod non sit in qualibet parte corporis per modum informantis. Ad confirm. distinguo maiorem: anima est actus adæquatus corporis physici, &c., conc. mai.: actus inadæquatus, nego maiorem. Itaque cum partes organice, & ethærogenæ componantur ex homogeneis, seu vel anima informet partes organicas, & ethærogenas, debet informare homogeneas, ex quibus illæ componuntur.

5. Suppono 2., quod partes figurosæ excrementitiæ non informantur ab anima; quia nullam operationem vitalem exercent; quiniomò, ut inutiles expelluntur à corpore. Dubium

ergo nunc examinandum restat de cæteris partibus solidis corporis, ut sunt dentes, ungues capilli, cornua, plumæ, &c., & etiam de partibus fluidis, ut sanguis, alij tres humores semèn, lac, adeps, &c. Quidam absolute tenent, omnes has partes informari ab anima. Sic Cajetanus, Hurtadus, Arriaga, & alij. Alij negant de partibus fluidis, & concedunt de omnibus partibus solidis. Alij tandem tenent, quod dentes, & ungues informantur ab anima, secus vero capilli. Quid nobis tenendum per duplicem constabit conclusionem. Sit ergo

PRIMA CONCLUSIO.

6. **P**ARTES solidæ corporis, ut dentes, ungues, cornua, penna, informantur ab anima, quod & probabiliter potest etiam asseri de capillis. Hæc conclusio quoad primas partes est communis. Prob. præcipuè de dentibus. dentes ex 2. de Gener. animalium cap. 4. sunt ejusdem naturæ cum ossibus, eodemque utuntur alimento, & habent suam medullam, nervos, & venulas, per quas ad se trahunt alimentum propria virtute; sed hoc non posset esse nisi informantur ab anima, sicut ossa: ergo &c. Confirm.: dentes augentur secundum omnem dimensionem, seu quoad omnem partem, quousque augetur vivens; sed hæc

augmentatio arguit informationem animæ : ergo , &c. Prob. min. : hæc augmentatio non potest fieri per juxtapositionem , sed per intus sumptionem ; sed augmentatio per intus sumptionem fit virtute animæ : ergo &c.

7 Prob. etiam conclusio quoad ungues , & plumas avium : ungues etiam augentur secundum omnem dimensionem , quod clarè videtur in pennis avium : ergo informantur ab anima. Antec. constat ; nam , si refecetur unguis ad planam superficiem non solum crescit , sed etiam rotundatur , & acuminatur ; quod clariùs videtur in unguibus equorum , & similibus : ergo augetur secundum omnem dimensionem. Undè ungues , non minus , ac folia arborum , habent varias fibrias , quod arguit eorum augmentationem fieri per intus sumptionem. Pennæ avium , dum sunt tenerrimæ sunt plene sanguine in suo cabo , & si refecentur redeunt ad eandem figuram , quam antea habebant : ergo informantur ab anima.

8 Probatur de pillis , in quibus maior est difficultas : pilli augentur per intus sumptionem ; sed ex dictis , hoc opus , seu effectus arguit vitam : ergo pulli animantur. Confirm. ; quia ut aliqui Oculati observarunt , in capillis reperiuntur quædam cavitates , & perforamina , ex

quorum radice emanat quidam humor , quorum augmentum fit per intus sumptionem : ergo augmentum pillorum fit per intus sumptionem ; & consequenter , &c. Urgetur tandem ; nam si capilli incidantur , non solum iterum crescunt , sed etiam acuminantur ad modum pennarum : ergo sicut istæ informantur ab anima , ita & capilli. Noster Pont. oppositum , ut probabilis substat , judicans : nullum dari argumentum , cogens ad suadendum , quod capilli augeantur per intus sumptionem ; cum possit fieri per juxtapositionem. Sed qui hoc de capillis sentit , idem dicere debet de unguibus , & pennis , cornibusque animalium. Res est parvi momenti & non excedit limites probabilitatis.

9 Dices tamen contra prim. part. hujus conclus. : dentes non continuantur cum reliquis partibus corporis , ut docet Philos. 2. de generatione animalium , cap. 4. ; sed hoc ipso nequeunt informari ab anima : ergo &c. Minor constat ; quia anima nequit informare partes discontinuatas. Confirm. : dentes cadaverum crescunt : ergo ex eo , quod dentes crescunt in corpore vivo , non bene inferitur , quod sint animati. Hoc etiam probat à fortiori de unguibus , & capillis hominis , quæ , ut experientia constat , post mortem crescunt.

Resp.

Resp. distinguendo mai. : dentes non continuantur cum reliquis partibus corporis, immediatè, conc. mai. : mediatè, hoc est, medijs ligamentis, & nervis, nego mai. ; cum ejus probatione. Itaque Philof. solum intendit, quod dentes non continuantur immediatè cum alijs ossibus ; continuantur vero mediantibus ligamentis, & nervis, & hoc sufficit ad hoc, ut informentur ab anima ; nam, si requireretur continuatio immediata, nec ossa animarentur ; cum nec ista habeant hujusmodi continuationem.

10. Ad confirm. dico r-
malum esse falsum ; nam dentes cadaverum non verè augentur, & crescunt, sed solum apparentè ; eo quia caro in mortuis desiccatur, & contrahitur ; ex quo fit, quod cum dentes sint duri, post desiccationem carnis, & contractionem, crescere videntur. Hoc eodem modo responderetur ad argumentum de unguibus, & capillis. Resp. 2. distinguendo antec. : dentes cadaverum crescunt per juxtapositionem alicujus excrementi, conc. antec. : per intussumptionem, nego antec. Itaque non ex quocumque incremento alicujus membri arguimus animationem ipsius, sed solum ex incremento, qui habetur per intussumptionem, cujusmodi habent, tam dentes, quam ungues, & capilli

in homine, pennæ in avibus, & cornua in bestiis. Et, quod sic nutriantur, satis constat ex dictis in prob. conclus.

11. Dices 2. : ungues, & capilli augentur ex excrementis, quæ non sunt necessaria naturæ, sed ut inutilia foras emitantur ; sed, si hoc verum est, tales partes non informantur ab anima, vel informabantur omnes partes excrementitiæ contra dicta suppositione 2. hujus : ergo ungues, & capilli, &c. Idem argumentum potest fieri de cornibus, & pennis. Conf. : viventia habent terminum suæ magnitudinis ; sed ungues, & capilli non habent talem terminum ; siquidem crescunt usque ad inproportionatam magnitudinem : ergo, &c. Resp. disting. mai. : ungues, & capilli fiunt ex excrementis, rigorosè talibus, nego mai. : ex excrementis, secundum quid talibus, conc. mai. ; & nego minorem, & consequentiam. Itaque, licet ungues, & capilli fiant ex excrementis, seu superfluis secundum quid, non tamen ex omnino neglectis à natura, sed fiunt ex materia imperfectiori, seu ex parte alimenti assumpti minus puri, unde licet non ita accuratè provideantur à natura, sicut partes precipuè, providentur tamen ad ornatum, vel fomentum reliquarum partium principalium, sicut folia producantur in arbo-

ribus, ad conferbationem fructus. Quare dicuntur excrementa comparativè ad principaliores; non verò absolutè, & in se.

12 Ad conf., concessa mai., nego min.; quia quamvis capilli, & ungues, verum sit, quod, si incidantur, iterum crescant, hoc non ideò est, quia non habeant terminum suæ magnitudinis; sed quia termino talis magnitudinis per incisionem privantur, crescant iterum, ut ad ipsum accedere valeant. Et quod hoc sit verum satis constat ex eo, quod si capilli, & ungues nunquam præcidantur, non ideò sine fine crescant, ut clarè apparet in cornibus animalium, & in pennis avium; quæ quidem non augentur sine fine.

13 Dices tandem, specialitèr de capillis: si capilli informarentur ab anima, sequeretur, quod quilibet capillus Christi Domini fuerit unicus Verbo; sed hoc est falsum: ergò, &c. Maior constat. Prob. min. si quilibet capillus Christi Domini fuisset unicus Verbo, adhuc separatus ab anima, remansisset unicus Verbo; quia, juxta D. Dam.: *Verbum quòd semel assumpsit, nunquam dimisit*; sed sequela est falsa: ergò, &c. Hoc argumentum petit examen Theologicum, pertinens ad materiam de Incarnatione. Videatur

Mat. ibi Disp. 1, q. 5, Resp. tamèn breviter concedendo prim. sequelam mai., & nego minorem cum maiori probationis; quia sicut Verbum Divinum non semper fuit unicum totæ materiæ carnis, cum ipsam paulatim acquisierit; sic similiter, nec omnibus, & singulis capillis, quos toto decursu vitæ habuit: Nec omnes in de resurrectione reassumpserunt; sed solum illos, qui sufficiebant ad ornatum. Nec dictum Damasc. est contra nos; quia solum intelligitur de partibus principalioribus.

SECUNDA CONCLUSIO.

14 **N**ULLA pars fluida corporis informatur ab anima: unde, nec sanguis, nec alij tres humores informantur ab anima. Hæc conclusio est expressa Noit. Subr. Doct. pluribus in locis, præcipuè tamèn in 4. dist. 10 quæst. 4. sub num. 3. Est communis inter Jesuitas, & plures Thomistas, contra Cajetanum, Ariagam, Complutenses, & Palancum. Prob. 1. conclus. auctoritate Philosophi 2. de partibus animalium cap. 10., dicente: *nec ipse sanguis prædictus est; quippè qui nulla pars sit animalium*. Nunc sic; sed anima non informat, nisi ea, quæ sunt partes viventis: ergo cum sanguis non sit pars viventis jux-

ta Philof., non informatur ab anima. Confirm. ex ipfomet Philofopho citato, ubi cap. 3. ait: *non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est; sed in corde, ac venis, quasi in vasis continetur*; ergo sanguis non informatur ab anima. Prob. hæc confequentia: una, eademque anima nequit in formare partes difcontinuas, rigurose tales: ergo, si sanguis non continuatur cum corpore, nec informatur ab anima: ex quo fequitur, quod si sanguis non informatur, nec ullus alius humor informari valet; quia de fanguine est præcipua difficultas; ut notat hic Noft. Pontius.

15 Prob. 2. conclusio principaliter ratione Noftri Doct. cit. in 4.: juxta Philofophum & communem Philofophorum fententiam, fanguis est ultimum alimentum, & principale ipsius viventis; fed hoc ipfo non informatur ab anima: ergo non informatur. Prob. min.: implicat, quod alimentum, feu nutrimentum habeat eandem formam nutriti, feu, quod poffit effe animatum eadem anima, qua vivit nutritum: ergo si fanguis est ultimum alimentum, &c. Prob. ant.: nutritio est mutatio fubftantialis à forma alimenti ad formam aliti; fed, si fanguis animatur eadem forma viventis, non reperitur talis mutatio; nam quæro: quæ forma

inducitur de novo: & quæ dependitur? Certè nulla; fed fola anima effeet, quæ acquireretur, & deperderetur, quod repugnat: ergo, &c. Variè refpondeat contrarij huic rationi Doct.

16 Primo refp. Thomiftæ ex Complurenfibus, quod in viventi reperitur duplex fanguis: unus imperfectus, qui nutritioni defervit; & hic non est animatus: vadè appellatur fanguis nutrimentalis; quia tantum defervit partibus corporis per modum aliment. Est vero alter fanguis naturalis, & perfectus, quia jam est perfectè confumatus, estque verus fanguis, parsque vera integralis viventis; quamvis fecundariò poffit defervire pro alimento cæterarum partium. Hæc in fuma est refpofio.

17 Sed contra 1.; quia illa diftinctio fanguinis in perfectum, & imperfectum; nutrimentalem, & naturalem, videtur omninò voluntaria & abfque omni fundamento in Philof.; cum totus fanguis inter fe continetur, eadem habeat accidentia, eifdemque vasis continetur: ergo non est admittenda. Contra 2.; quia adhuc admiffa tali diftinctione fanguinis, non tenet refpofio: ergo nulla est folutio. Prob. antec.: fanguis ille, qui dicitur naturalis, & informatus ab anima, juxta Thomiftas, nequit difervire adhuc fecundariò

pro alimento partium solidarum viventis ; sed hoc est juxta ipsosmet Thomistas in sua responsione : ergò non tenet. Prob. maior. : nutritio , ex dictis , est transitus materiæ à forma alimenti ad formam aliti ; sed si sanguis ille naturalis informatur vita , nequit dari transitus à forma illius ad formam partis solidæ , alitæ per ipsum sanguinem ; cum tam in isto , quam in illa sit eadem forma : ergò &c.

18 Illust. Palanco 2. respondent , quod , licet forma viventis sit una realitèr , est multiplex virtualitèr : & sic prout informat sanguinem , est virtualitèr distincta à se ipsa prout informat carnem , & partes solidas. Undè cum hac distinctione virtuali formæ viventis salvatur mutatio , & nutritio , transitusque materiæ à forma alimenti ad formam aliti. Sed contra : nutritio in communiore sententia est mutatio realis , & physica ; sed illa multiplex virtualitas formæ viventis non sufficit ad talem mutationem : ergò non tenet solutio Palanci. Prob. minor : mutatio realis , & physica debet habere terminum , tam à quo , quam ad quem physicum , & realem realitèr distinctos : ergò illa multiplex virtualitas animæ , & sanguinis non sufficit ad mutationem physicam , & realem ; cum tales virtualitates

non distinguantur realitèr , sed solum per rationem. Contra 2. nutritio est conversio substantialis ; sed ex dictis in Libris de Generatione , in conversione substantiali terminus à quo debet parere : ergò dum sanguis ille convertitur in carnem , perijt forma sanguinis , & acquiritur forma carnis , & consequentèr forma sanguinis numquam informatur vita.

19 Tertio Hurtado cum aliquibus Jesuitis , non tenet pro inconvenienti , quod una pars viventis alar alteram ; & sic caro nutrit ossa : undè stomachus , deficiente sibi cibo , urit partes vicinas , & eas in ossa , aut alias partes convertit. Sed contra ; quia falsum est absolutè , quod una pars viventis ex alia nutriatur : ergò non tenet. Prob. antec. : si ita eveniret , vivens se ipsum destrueret , sed hoc est falsum : ergò , &c. Prob. mai. : si ossa nutrirentur ex carne v.g. , forma carnis corrumpereetur : et sic pars animæ informans carnem destrueretur , si anima est divisibilis : aut ad minus unio animæ indivisibilis cum carne cessaret ; cum ad destructionem prioris formæ , destruatatur posterior , aut unio ipsius.

20 Prob. tandem conclusio ratio : nulla operatio vitalis reperitur in sanguine , aut alio humore fluido : ergò non

vivunt tales humores. Prob. antec. : si aliqua operatio vitalis reperiretur in sanguine, maxime nutritio, juxta ipsosmet Adversarios; sed hæc non: g. &c. Probat. min. : sanguis non alio modo augetur, quam per juxta positionem, ad modum quo vinum augetur in vase, per infusionem novæ partis: ergo sanguis non nutritur. Antec., de quo dubitat Arriaga, constat experientia Anatomicæ artis; quia totus sanguis, & quilibet alius humor generatur in jecore, & facta segregatione humorum, isti diffunduntur per partes corporis; sed hoc est augeri per juxta positionem, & non per intussumptionem: ergo &c. Confirmari poterat pariter aliorum liquorum, quæ videmus augeri per juxta positionem: ergo pariter de sanguine dicendum est.

Solvuntur Argumenta contra istam Con- clusionem.

21 **A**RG. 1. ex Sacra Script. ; nam Levitici 17. dicitur: *anima carnis in sanguine est.* Super quæ verba Mag. Par. Aug. hic quæst. 57. ait: *aliquid vitale est in sanguine; quia per ipsam maxime in hac carne vivitur, ip-*

san vitam corporis vocavit animam. Videatur etiam Sanctus Doct. in quæstionibus Veteris, & Novi Testamenti: ergo, si anima in sanguine est, sanguis anima informatur. Respondeo explicando auctoritatem: anima carnis in sanguine est casualiter, conc. antec.: informativè, nego antec. Anima igitur est in sanguine, non tanquam in subjecto animato, sed tanquam in eo à quo dependet vita; vita enim fovetur, & alitur à sanguine; cum sanguis sit præcipuum alimentum carnis, necessariusque ad conservationem animæ. Nec modus loquendi Scripturæ urget; nam solemus etiam dicere, quod anima hominis est in cibo, & potu, in manu Dei, & Principis; quia ab omnibus istis dependet in conservari. Hoc eodem modo responderetur auctoritati Aug.; qui non fideliter omnino refertur à Contrarijs.

22 Arg. 2. juxta Concilium Trid. sess. 3. cap. 3. anima Christi Dñi. est sub utraque specie consecrata vi naturalis connexionis, & concomitantæ, quam partes Christi Dñi., qui ex mortuis resurrexit, inter se habent: ergo supponit Concilium, quod est connexio inter animam, & sanguinem; & consequenter, quod sanguis informatur ab anima. Resp., concessa auctoritate Concilij, distin-

guendo consequens : ergo supponit Concilium , esse connexionem inter animam , & sanguinem , immediatam , vel mediatam , concedo conseq. : parcesè immediatam , nego conseq. ; & indè subillatam. Itaque decretum Concilij sic intelligendum est , ut anima habeat connexionem cum sanguine , non immediatam , sed mediatam ; anima enim , quia est actus corporis , habet connexionem immediatam cum corpore ; corpus autem cum sanguine , tanquam cum parte integrali in secundo gradu , aut , ut alij dicunt , cum parte sub integrali , modo postea explicando.

23. Replicabis tamen : sed Anima Christi Dñi , dicit immediatam connexionem cum sanguine : ergo nulla est solutio. Prob. minor : Verbum Divinum unica unione assumpsit hypostaticè naturam humanam : ergo assumpsit immediatè sanguinem , non minùs ac corpus ; & consequenter sanguis , sicut corpus , est immediatè connexus cum anima. Hæc consequentia constat , quia , si non esset sic connexus , non unica unione assumpsisset , quod assumpsit ; cum humana natura , & sanguis essent duæ naturæ adæquatè distinctæ. Resp. ad replicam , quæ planè Theologica est , de quaque in Materia de Incarnatione , quod Verbum Divinum unica unione

totali assumpsit totam humanitatem , sed medijs pluribus partialibus assumpsit etiam partes , tam essentielles , quàm integrales , aut subintegrales , & consequenter sanguinem ; qui licet is se sit ens completum , tamen , quia comparativè ad corpus se habet velut pars subintegralis ; idèo unio , qua illi Verbum Divinum unicum est , dicitur , & est partialis.

24. Arg. 3. ex Philos. Lib. 3. de historia animalium cap. 19. ubi ait , semper quandiu vita servatur , sanguis unus animatur , & fervet : ergo , juxta Philos. , sanguis animatur. Resp. , quod sensus Philos. est , quod sanguis animatur , & fervet , non in sensu composito sanguinis , seu permanente forma ipsius , sed in sensu divisò , seu recedente forma sanguinis ipsoque converso in carnem , & cæteras partes , quæ animantur ; nam cum sanguis sit proximum illud alimentum , quod vi nutritionis convertitur continuè in carnes , & reliquis partes viventis , sic potest dici , quod continuè immediatè post hanc conversionem animatur.

25. Arg. 4. ratione : anima informat omnes partes integrales viventis ; sed sanguis naturalis est per se pars integralis viventis : ergo informatur ab anima. Maior factis constat ex dictis in prima suppositio-

tionē, & conclusionē. Minor prob.: sanguis Christi Dñi. dicitur pars integralis ipsius, non minus, quam caro, ut constat ex Innocentio III. in Extravaganti de Celebratione Missæ; & Calo Papa in Decreto ad Felicem, in quo dicitur: *si Christus Dñs. veras partes naturæ humanæ non assumpsit, quo sanguine redempti sumus?* Ergò assumpsit sanguinem, tamquam veram partē naturæ humanæ. Resp. disting. mai.: anima informat omnes partes primarias integrales viventis, concedo mai.: omnes partes secundarias, seu subintegrales viventis, nego mai. in-vertis terminis distinguo min.: & eisdem terminis distinguuntur autoritates, & ultimum consequens.

26. Ur ergò hæc solutio, & necessitas sanguinis in corpore vivo melius percipiatur, advertite, quod licet homo sine sanguinæ dicatur minus, ac magis imperfectus, ad functiones vitæ, quam si perderet manum, aut pedem, non ex hoc sequitur, quod sanguis sit pars hominis, atinens ad ejus primariam constitutionem; sed solum sequitur, quod spectet ad aliquam constitutionem hominis, & quod pro ejus conservatione sit magis necessarius, quam manus. Hoc patet in calore naturali, qui est magis necessarius ad conservationem vi-

tae, quam pes, aut manus; & tamen, juxta Adversarios, nec informatur ab anima. Maior igitur dependentia vitæ à sanguine, quam ab alia parte integrali oritur ex eo, quod ob humiditatem, aut frigiditatem suam percurrit omnes partes corporis, & deservit pro vehiculo ad deferendos spiritus vitales, habet que in se qualitates aliquas deservientes ad conservationem carnis in illa dispositione, in qua possit esse apta ad exercendis operationes vitales. Hoc ergò est munus sanguinis, quod optimè potest exercere, quin animetur, ut patet in calore, suas functiones proprias exercente.

27. Arg. ultimò: illud, quod movetur versus omnem differentiam loci, est animatum; sed sanguis sic movetur: ergò animatur. Minor constat; nam si quis pudore afficiatur, sanguis movetur ad faciem, qui timore ad cor, qui iracundiâ, bullit: si lætitiâ expargitur: ergò movetur versus omnem differentiam loci. Resp. distinguendo maiorem: illud, quod movetur versus omnem differentiam loci ex virtute sua intrinseca, est animatum, conc. mai.; ab extrinseco solum, nego mai.: in-vertis terminis, distinguo min., & consequens. Non ergò ex quocumque motu versus omnem differentiam loci, arguitur vita: quod patet; nam etiam ex timore so-
lent

lent viscera commoveri, & deponere excrementa : sudor effluit ex nimio risu : & saliva confluere solet ad os ex imaginatione alicujus cibi saporis ; quin ex hoc in his moribus arguatur vita. Arguitur ergo solum ex motu versus omnem differentiam loci, proveniente ex virtute intrinseca se movendi, quod non convenit sanguini ; siquidem solum movetur ex causa extrinseca impellente, scilicet, ex anima existente in illis partibus solidis, media impressione, aut imaginatione.

28 Dubitabis hic primo : quænam sit pars corporis viventis, quæ propriè sit sedes animæ ? Non est dubium, quod anima resideat in toto corpore, & in partibus principalioribus ipsius, & alijs explicatis Conclusionem prima hujus : quod disputatur est : in qua parte principaliter resideat, à quaque ceteræ dependant ? Et cum corpus animalis in tres partes, seu cameras primo dividatur, scilicet, in *ventrem*, in *thoracem*, & *caput*, in qualibet ex istis partibus unum membrum residet, tamquam principaliter ceteris : in ventre enim est jecur : in pectore cor : & in capite, cerebrum : & de his partibus potest procedere difficultas proposita, maxime de cerebro, & corde.

29 Dico breviter : *sedes animæ est cor*, non cerebrum,

nec jecur. Est contra aliquos AA. antiquos. Est tamen Philosophi, & N. Doct. in 4. dist. 49. quæst. 14. num. 6. Prob. breviter : illud est præcipuum membrum, seu præcipua pars viventis, cui primò competit temperamentum necessarium ad conservationem viventis, uti sunt calidum, & humidum ; sed tale temperamentum non competit cerebro, cum hoc sit ex natura sua frigidum, nec competit primò jecori ; quia, licet hoc sit calidum, & humidum, tamen cor est fons omnis caloris ; qua ratione sanguis concoctus à jecore, non immediatè deservit ad operationes vitales, sed est necesse, quod concoquatur à corde, ex quo spiritus vitales per totum corpus diffunditur : ergo in corde stat temperamentum necessarium ad conservationem vitæ ; consequenterque in corde residet præcipuè anima. Confirm. : læso corde, statim moritur vivens ; sed non moritur statim, læso cerebro, aut jecore : ergo, &c.

30 Dices contra : in cerebro sunt spiritus animales, qui sunt perfectiores vitalibus : ergo in cerebro residet anima. Confirm. : in capite, seu cerebro resident potentiæ nobiliores animæ, scilicet, omnes sensus, tam externi, quam interni : ergo, & anima. Urgetur pro jecore ; nam cor recipit ab eo san-

sanguinem : ergò ab eo dependet quoad vitam ; & consequenter &c. Resp. negando antec. quoad secundam part. ; immò & suppositum ; nam spiritus vitales, & animales non differunt specie, & substantialiter, sed tantùm accidentaliter ; spiritus siquidem vitales habent à corde calorem, à cerebro autem frigiditatem, & humiditatem, & ex hoc animales, & sensitivi dicuntur. Undè cum agant, & deserviant sensationibus propter calorem à corde, quamvis mitigatum à cerebro ; hinc est, quod perfectius agunt hujusmodi spiritus, prout sunt instrumenta cordis, à quo calorem accipiunt, quam prout instrumenta cerebri, à quo habent frigiditatem ; cum calor principalior sit in agendo, quam frigus.

31 Ad confirm., conc. antec., nego conseq. sol enim perfectiores operationes exercet in his inferioribus, quam in Cælo, ergo residet in terra, & non in Cælo ? Mala consequentia. Itaque, quamvis in capite sint omnes sensus, tamquam in loco, tamen dependent à corde in suis operationibus ; quia nullam possunt elicere sensationem, quin cor supeditet spiritus vitales : ex quo sequitur in dependentia cordis à cerebro, & dependentia hujus in operando à corde. Ad urgentiam distinguo antec. : cor accipit sanguinem à jecore, ut

à subministrante materiam ad vitam, conc. antec. : ut à subministrante virtutem activam, nego antec. : quin immò res è contra se habet : ex quoque clarè inferretur præstantia cordis supra jecur.

32 Hic solent aliqui AA. disputare de origine, & principio animarum. Sed certè, quod attinet ad animam vegetativam, & sensitivam, jam abundè diximus Lib. 2. de Generatione, agendo de generatione viventium, quærendo : quomodo parentes concurrant ad generationem suorum foetuum ? Quærè ab hoc examine hic merito superfedemus. Difficultas ergò tantùm restabat de Anima rationali : an producatùr à solo Deo : quomodo, scilicèt, vel per creationem rigurose talem ; vel per educationem ex materia : & quo tempore ; an scilicèt ante organizationem corporis, vel in ipso instanti generationis, & organizationis ipsius ? Sed de his breviter dicemus, dùm agamus de Anima rationali in particulari. Quærè modo sit

DISPUT. II.

DE POTENTIIS, ET ACTI-

*bus vitalibus animæ in
communi.*

DECLARATA essentia ani-
mæ in communi, quæ
est principium essentia-
liter constitutivum viventis, con-
sequens est, ut de potentijs vi-
talibus in communi, deque ac-
tionibus vitalibus agamus; nam
de potentijs in particulari, de-
que earum actibus dum de qua-
libet Anima singulatim agamus,
etiam tractabimus. Sit ergo

QUÆST. I.

*Quomodo potentie animæ distin-
guantur inter se, & ab
anima?*

PPOTENTIAS, ali-
quomodo distin-
gui ab anima, sup-
ponit titulus quæst.; undè dif-
ficultas solum est de specie, &
qualitate distinctionis. Quare hic
in memoriam revocanda sunt, ea
quæ docuimus in Logica, agen-
do de identitate, & distinc-
tione: quid scilicet sit distinctio rea-
lis: quid formalis: & quid rati-
onis? Similiter recolenda sunt

quæ docuimus in Physica 2.
Physicor. scilicet, quod acci-
dens nequit esse principium im-
mediatè productivum, nec tota-
le, nec partiale substantiæ. Hæc
etiam omnia necesse est ut intel-
ligantur ad claram resolutionem
hujus difficultatis. Quibus præ-
suppositis,

2. Notate nunc, quod
potentia dupliciter potest sumi:
primò pro forma, seu prout di-
cit relationem principij ad prin-
cipiatum: & prout sic non lo-
quimur in presenti de ipsa: se-
cundò sumitur pro materiali, &
denominato; seu prout est pro-
ximum fundamentum illius, re-
lationis causalitatis ad actum:
sic enim est immediatè prin-
cipium operationis animæ. Et in hoc
sensu sumitur à Doct. in 2. dist.
16. quæst. unica, num. 3. Notate
ultra, quod hæc potentia ma-
terialitèr sumpta, adhuc est du-
plex: alia organica, ut sunt om-
nes potentie animæ vegetativæ,
& sensitivæ, quæ organis utun-
tur. Sed hæc potentia organica
sumi potest, vel pro toto con-
juncto ex perfectione animæ, &
forma mixtionis, constituente
organum corporis, includens
essentialitèr, & organum, &
perfectionem animæ illud in-
formantem: vel potest sumi in-
complete, & partialitèr, prout
dicit illam perfectionem animæ,
quæ cum organo concurreat. A
autem potentia animæ est in or-
ga-

ganica, ut sunt intellectus, & voluntas.

3 Nunc ergò in præfenti, cum quæritur: quomodò potentiæ distinguantur inter se, & ab anima, non est sermo de potentijs organicis completis, prout includunt essentialitèr formam mixtionis; nam prout sic, certum est, quod ab anima realitèr distinguantur; nam anima separata non habet tales potentias, completè sumptas. Loquimur ergò in præfentiarum de potentijs inorganicis, & incompletè sumptis, scilicèt, pro perfectione partiali animæ, quæ organum informat, & cum ipso ad operationes concurrat. In præfenti ergò difficultate triplex reperitur sententia. Prima tenet, quod potentiæ animæ distinguantur realitèr, tam inter se, quam ab anima. Sic communitèr omnes Thomistæ asserentes potentias esse accidentia animæ de secunda specie qualitatis. Secunda sententia docet, solum dari inter ipsas potentias inter se, & ab anima distinctionem rationis. Sic communitèr Nominales cum aliquibus Jesuitis. Tertia communis intèr Scotistas negat distinctionem realem strictam, & statuit distinctionem formalem. Difficultatem per duplicem conclusionem declarabo.

Sit ergò

PRIMA CONCLUSIO.

4 **P**OTENTIÆ animæ non distinguantur realitèr strictè inter se, nec ab ipsa anima. Sic Subt. Doct. cit. in 2. Probari potest hæc conclusio omnibus illis rationibus, quibus in 2. Physic. probavimus, substantiam esse immediatè operativam, tam alterius substantiæ, quam accidentium; nam æquè inillitant hîc, maximè in potentijs animæ vegetativæ, quæ habent substantiam pro termino suæ actionis. Probari etiam solet hæc conclusio varijs autoritatibus SS. PP.; nam, vèl August., vèl Hugo Victorinus Lib. de spiritu, & anima, cap. 4. sic ait: *potentiæ secundum exercitia sunt multæ, secundum essentiam unum sunt in anima, & idem cum ipsa.* Et in cap. 13. *potentiæ non differunt in substantia, sicut in nominibus, quoniam omnia ista una anima est.* Idem habet D. Bernardus serm. 11. in Cantica. Nec valet dicere cum Contrarijs, PP. non admittere identitatem, sed intimam conjunctionem animæ cum potentijs; nam hæc responsio opponitur verbis ipsarummet autoritatum. Sed hoc omisso.

5 Probat. 1. Conclusio ratione fundamentali, fundata in ipsorum Doct. cit. anima rationalis est principium per se activum respectu intellectio-

G

nis,

nis, & volitionis; sed hoc esset falsum, si anima produceret huius modi operationes, seu actus per potentias ab ipsa realiter distinctas: ergo anima non producit intellectionem, & volitionem per potentias à se ipsa realiter distinctas: ergo, cum producat istos actus per intellectum, & voluntatem, sequitur, quod istæ potentie non distinguantur realiter ab anima. Probat. min.: quando actus primus convenit alicui per accidens, etiam actus secundus per accidens ipsi convenit; sed potentie animæ rationalis, scilicet intellectus, & voluntas sunt actus primi, & intellectio, & volitio sunt actus secundi: ergo, cum potentie animæ, juxta Thom. sint accidentia realiter distincta ab anima, per accidens conveniunt animæ tales potentie: ergo potiori titulo intellectio, & volitio per accidens conveniunt animæ. Infero nunc: ergo cum anima, nec peccet, neque mereatur, nisi per intellectionem, & volitionem, sequitur, quod anima solum per accidens peccat, & per accidens meretur; & per consequens solum per accidens damnatur, & per accidens glorificatur, quod, tamquam absurdum nemo dicere potest.

6 Respondent Thomistæ huic efficaci rationi, quod, licet ipsi concedant potentias animæ esse accidentia, realiter distincta ab anima, negant ta-

men constantè, quod tales potentie conveniant animæ per accidens, sed per se. Ratio in summa ipsorum est, quia potentie animæ sunt quasi passiones, & instrumenta, quæ per se conveniunt animæ ad exercendas operationes vitales, quas exercent potentie dependentè ab anima, tamquam à principio principali: & sic anima peccat, & meretur per se, & non per accidens. Hæc est responsio Thomist. Sed contra, & quæro ab ipsis: quando dicunt, quod potentie animæ sunt quasi passiones, & instrumenta, medijs quibus, anima exercet suas operationes vitales, vel dicunt, quod importat aliquam activitatem immediatam respectu actus, quæ activitas immediatè conveniat animæ in genere cause efficientis: vel tantum dicunt, animam sustentare has potentias, in quantum istæ, quia accidentia petunt naturaliter inhaerere ipsi animæ? Si primum intentant Thomistæ, iam sequitur nostrum intentum, scilicet, quod anima non operatur medio aliquo à se realiter distincto, sed immediatè se ipsa.

7 Si vero secundum velint dicere Thomistæ, infero: ergo, neque meritum, neque demeritum imputaretur animæ, sed tantum voluntati, quod salva Fide, nequit dici. Prob. conseq.: soli illi principio imputatur meritum, & demeritum, cui im-

pu-

putatur libertas actus ; quia libertas est fundamentum meriti, & demeriti ; sed in prædicto casu libertas non imputatur animæ , sed voluntati : ergo & meritum, & demeritum. Prob. min. : libertas actus solum imputatur illi principio, quod ita concurrat ad actum , quod possit, non concurrere ; sed anima in hoc, quod est sustentare potentias , tamquam accidentia, non se habet liberè , sed merè necessariò : ergo ipsi non imputaretur libertas. Prob. min. : in exercitio causæ materialis nulla libertas exercetur ; sed hoc, quod est , animam sustentare potentias , tamquam accidentia ipsius , est exercitium in genere causæ materialis , ut de se patet in omni subjecto sustentante accidentia : ergo in hoc anima non se exercet, & consequenter, nec per se meretur , aut peccat, sed solum per accidens. Nota, quod ista impugnatio procedit ad hominem contra Thomistas ; quia juxta nostra principia, potentia animæ non sunt accidentia.

8 Prob. 2. Conclusio alia ratione Doct. citati : illud ponendum est in natura , quod melius est , si non sit impossibile , sed in natura melior est paucitas , quam multitudo , si illa est possibilis : ergo talis paucitas ponenda est in natura. Major est vera ; quia natura sem-

per desiderat id , quod melius est : cum abhorreat superflua, & entia , non sint multiplicanda sine necessitate. Minor est Philos. 1. Physic. à textu 35. usque ad 50. subsumo nunc ; sed possibile est , quod potentia animæ rationalis sint idem realiter, tam inter se , quam cum essentia animæ : ergo ita dicendum est. Prob. minor subsumpta : intellectus , & voluntas Dei sunt potentia operative , ut nullus Thomist. audebit negare ; sed nemo Thomist. negare potest, intellectum , & voluntatem Dei identificari realiter, tam inter se, quam cum essentia divina : imò in eorum principiis identificantur formaliter : ergo possibile est, quod intellectus , & voluntas in creatis identificentur inter se , & cum essentia animæ : ergo ita dicendum est.

9 Respondent aliqui Thomistæ , quod tam longè abest, quod hæc ratio officiat suæ Conclusioni , quod ex ipsa rectè stabilitur. Ratio ipsorum est ; quia habere potentiam operativam realiter identificatam cum ipso mer agente , & operante , est ita proprium solius Dei , quod nulli creaturæ possit convenire. Quod probant in hunc modum : claudere, seu identificare in unica, & indivisibili entitate perfectionem substantiæ, & qualitatis, est proprium actus puri ratione suæ infinitæ perfe-

tionis, identificantis, & amplectentis extrema adeo inter se differentia: ergo habere potentiam operativam, realiter identificatam cum propria essentia, est proprium solius Dei: ergo ex identitate reali intellectus, & voluntatis Dei inter se, & cum Essentia Divina, non bene infertur identitas realis intellectus, & voluntatis in creaturis inter se, & cum anima; quin potius infertur oppositum, inquit Thomistæ.

10 Hoc est præcipuum fundamentum, quod habent Thomistæ in hac quæst.; quodque postea inter argumenta proponemus. Nunc vero solum noto, quod hæc eadem responsio Thomistica, jam expresso manet rejecta Lib. 2. Physic.; loquendo de virtute operativa substantiæ; ex ibi namque dictis constat, absolute falsum esse, quod habere potentiam operativam, realiter identificatam cum ipsomet operante, sit proprium solius Dei: nec etiam minus falsa est probatio Thomist., qua hoc probare intendunt; quinimo fundatur in supposito, absolute falso in nostris principijs; supponit namque, quod substantia operatur medijs qualitibus, sive accidentibus; cum ex ibi dictis substantia operetur immediate per suas proprietates, seu formalitates realiter identificatas cum ipsa.

11 Deinde: rejicitur sic responsio Thomist.: habere potentiam operativam realiter identificatam cum agente, non est proprium solius Dei: ergo nulla est responsio Thomist. Prob. antec.: quod convenit accidenti creato, non est proprium solius Dei; sed accidenti creato convenit esse operativum per potentiam realiter identificatam cum ipso: ergo habere potentiam operativam, &c. Prob. min.: dum calor v.g., producit alium calorem in subiecto, non operatur per aliquam potentiam, aut qualitatem realiter distinctam ab entitate caloris producentis; sed calor est accidens creatum: ergo accidenti creato convenit, &c. Maior conceditur ab ipsismet Thomistis; nam alijs cum magna difficultate salvarent processum in infinitum. Minor est evidens. Infero nunc: ergo cum accidenti creato conveniat operari immediate absque potentia realiter distincta ab ipso, immerito hoc negatur respectu substantiæ, quæ in operando est longè perfectior quocumque accidenti. Etsi, ut plenè satisfacias argumento Thomistico, inquiras: quis gradus potentiæ operativæ est proprius solius Dei? Dico, quod est operari sine dependentia ab alia causa superiori, & etiam independentè ab omni subiecto, quod nulli creaturæ potest

test convenire, adhuc possibiliter, in communiore sententia.

Solvuntur Argumenta.

ARG. 1. : SS. PP.
A communitèr assignant aliquam distinctionem à parte rei inter potentias animæ, & ab ipsa animæ; sed hujusmodi distinctio à parte rei non est formalis Scotica: ergò realis stricta. Maior est certa. Prob. minor: D. Dionisius de Cœlesti Hyerarchia cap. 11. asserit maiorem distinctionem in Angelis inter virtutem, operationem, & substantiam ipsorum, quam inter virtutem, & operationem Dei, ratione sue summæ simplicitatis; sed in Deo istæ potentie distinguuntur formalitèr, saltim in nostris principijs: ergò non sufficit distinctio formalis inter potentias Angelorum, & animæ rationalis; & consequenter, &c. Resp., concessa maiori, negando min. Ad probationem dico, D. Dionisium solum intendere, quod distinctio formalis, quæ reperitur inter potentias Dei, ejusque Essentiam Divinam, sit minor; non in se, sed ratione simplicitatis; quia est sine compositione, ratione infinitæ identitatis realis: atamen in creaturis est cum compositione; quia extrema sunt

finita; finitèque identificata. Distinctio vero, tam inter potentias Dei, quam Angelorum, & hominum est formalis, ut secunda Conclusione videbimus. De hoc latius in Metaphysic.; agendo de *realitate entis*.

Arg. 2. de in anima
13 rationali reperitur imago Trinitatis, & hoc perpetuò; sed in Trinit. sunt tria realitèr inter se distincta in unitate essentiæ: ergò hoc idem reperiri debet in anima rationali. Nunc sic; sed hæc tria nequeunt esse actus potentiarum animæ; quia, licet isti distinguantur realitèr, non tamen manent semper, & perpetuò: ergò sunt potentie animæ: ergò istæ distinguuntur realitèr inter se. Resp. 1. quod hoc argum. potest sic instari contra Thom.; in anima reperitur imago Trinitatis; sed in Trinitate reperiuntur tria, realitèr inter se distincta; realitèr tamen, & formalitèr identificata; juxta Thom., cum Essentia Divina: ergò in anima reperiuntur tres potentie, realitèr inter se distinctæ & identificatæ tamen, tam realitèr, quam formalitèr cum essentia animæ, quod est contra Thomistas, admittentes distinctionem realem inter potentias, & animam: undè tenentur respondere argum. ento.

14 Resp. 2. ex Doct., persepè citato, distinguendo mai.: in anima reperitur imago Trinitatis.

nitatis virtualitèr, & hæc perpetuò, conc. mai.: reperitur formalitèr: subdistinguo mai.: reperitur formalitèr, quando anima est sub suis actibus, conc. mai.: reperitur formalitèr imago, quando anima solùm est in potentia ad suos actus, nego mai., & concessa min.; eisdem terminis distinguo consequens. Itaque, juxta N. Subt. Doct., reperitur virtualitèr, seu virtualis imago Trinitatis in anima rationali, & hoc semper, & perpetuò, in quantum, cum sit una, eademque essentia potest producere actus realitèr distinctos: formalitèr autem, seu imago formalis non semper, & perpetuò reperitur, nisi solùm, quando anima subest actualitèr suis actibus, quod sufficit ad hoc, ut dicatur imago Trinitatis homo.

15 Arg. 3. si intellectus, & voluntas identificarentur realitèr cum anima, habens animam, semper actualitèr intelligeret, & actualitèr vellet; sed hoc est falsum, ut patet in dormientibus, actu habentibus animam, actualitèr tamen, neque intelligentibus, neque volentibus: ergò, quia non identificantur realitèr. Prob. sequela maioris: ideò habens animam semper actualitèr vivit; quia anima est actus primus vitæ; sed si anima identificaretur realitèr cum intellectu, & voluntate,

esset realitèr actus primus intelligendi, & actus primus volendi: ergò semper intelligeret, & vellet. Resp. negando mai. Ad prob. distinguo mai.: ideò habens animam semper vivit actualitèr, quia anima est actus primus vitæ, & communicat vitam subjecto in genere causæ formalis, conc. mai.: ideò præcisè, quia anima est actus primus vitæ, nego mai.; & distinguo min.: sed si anima, &c. esset actus primus intelligendi, & volendi in genere causæ efficientis, conc. min.: in genere causæ formalis, neg. min. & consequens. Itaque inter causam formalem, & efficientem reperitur maximum discrimen; nam effectus formalis formæ, sive causæ formalis, necessariò, & indispensabilitèr sequitur ad positionem formæ, dummodò forma sit in subjecto capaci talis effectus. Effectus verò causæ efficientis non sequitur necessariò positionem potentie efficientis, nisi apponantur omnes aliæ conditiones prærequisite ad talem effectum ponendum, ut per se patet in omni causa efficienti. Anima igitur in genere causæ formalis tribuit viventi, quod substantialitèr vivat: & sic habens animam, semper actualitèr vivit; non minus, ac habens albedinem, semper est formalitèr album. Quod vero vivens vitalitèr operetur, intelligen-

gendo, aut volendo, tribuitur ab anima in genere causæ efficientis: & sic, habens animam, non semper necessario intelligit, aut vult, sicut vivit.

17 Arg. 4.: actus, & potentia ad idem prædicamentum spectare debent; sed actus vitales, producti per vitales, potentias, scilicet per intellectum, & voluntatem, sunt qualitates, & accidentia: ergo & potentiae vitales productivæ talium actuum debent etiam esse accidentia. Totum syllogismum supponunt communiter Thomistæ; & ex ipso concessio, subsumo nunc: sed hoc esset falsum, si potentiae vitales animæ identificarentur realiter cum ipsamet anima; ergo non identificantur. Subsumpta clarè constat; quia, cum accidens sit natum inherere substantiæ, implicat, quod identificetur realiter cum ipsamet substantia: ergo quia potentiae vitales animæ sūt realiter distinctæ ab ipsa. Resp. distinguendo mai.: actus entitativè, & potentia objectiva spectant ad idem prædicamentum, conc. mai.: actus productus, & potentia productiva talis actus, spectant ad idem prædicamentum, nego absolutè maior., vel si mavis, ipsam subdistinguo: in causis univocis, transeat mai.: in causis æquivocis, nego absolutè mai.: & concessa min. nego consequen-

tiam. *metaphysicorum non 2. movi*
 18 Intelectus igitur, & voluntas sunt causæ æquivocæ productivæ suorum actuum: & ex dictis Lib. 2. Physic., agendo de causa in communi, constat, quod causa æquivoca est regulariter loquendo perfectior suo effectu. Itaque actus entitativus, & potentia objectiva, hoc est, res possibilis, & postea actu existens, spectant ad idem prædicamentum; immò formaliter loquendo sunt eadem numero res: at vero actus productus, non semper est ejusdem rationis, aut ordinis cum ejus potentia producente: & hoc tenentur fateri ipsimet Thomistæ; nam in primis juxta ipsos, anima est principium productivum potentiarum: & tamèn in principiis ipsorum, anima est substantia, & potentia accidentia. Similiter secundo, juxta ipsos, accidens producit immediatè substantiam: & certum est apud omnes, quod substantia, & accidens non spectant ad idem prædicamentum; ex quibus pariter potest instari argumentum contra Thomist. Undè illa min. subsumpta non est ad rem; quia potentie animæ non sunt accidentia, sed formalitates substantiales, ut supra diximus.

19 Arg. 5.: implicat, quod unum, & idem realiter sit productivum, & non productivum: & similiter recep-

tivum, & non receptivum ejusdem rei; sed intellectus est principium productivum intellectiōnis, & receptivum ipsius; voluntas verò minimè est tale principium; quia ista est productiva, & receptiva volitionis: ergò implicat, quod intellectus, & voluntas realitèr identificetur inter se; ergò ad invicem realitèr distinguuntur: ergò etiam distinguuntur istæ potentie realitèr ab anima. Prob. hæc consequentia: illa prædicata, quæ in creatis distinguuntur realitèr inter se, etiam distinguuntur realitèr ab alio quocumque tertio: ergò si intellectus, & voluntas distinguuntur realitèr inter se distinguntur realitèr ab anima, quæ est tertium. Resp. disting. mai.: implicat, quod unum, & idem, am realitèr, quàm formalitèr, sit productivum, & non productivum: receptivum, & non receptivum ejusdem rei, conc. mai.: implicat, quod idem realitèr, diversum tamen formalitèr sit &c., nego mai.; & distinguo min.: sed intellectus est productivus, & receptivus intellectiōnis, ut quo, conc. min.; ut quod nego minor., & omnes consequentias inde illatas. Ad prob. ultimæ consequent., concedo totum; ex quo tamen nihil contra nos; cum procedat in suppositione falsa, scilicèt, quod intellectus, & voluntas disting. realitèr inter se.

Itaque verum est, quod intellectus est principium quo proximè productivum, & receptivum intellectiōnis, quod nequit convenire voluntati. Similitèr etiam voluntas est principium quo proximè productivum volitionis, minimè verò intellectus. Etiam certum est, quod anima est principium quo proximè productivum, & receptivum actuum utriusque potentie, secundum ea, quæ docuimus Lib. I. Physic. quæst. ultima. Sed, ut hæc omnia verificentur de intellectu, voluntate, & anima, non est necessè quod hæc potentie distinguantur realitèr strictè ad invicem inter se, nec ab anima; sed sufficit distinctio formalis ex natura rei, ut diximus in Logica, agendo de tali distinctiōne. Quarè, ut hoc melius percipiatur ex ibi dictis sic potest instari argumentum: implicat, quod unum, & idem realitèr sit productivum, & non productivum ejusdem rei; sed intellectus divinus Paternus est, ut quo, principium productivum Filij, non autem voluntas; quia ista est principium ut quo spirativum Spiritus Sancti; ergò intellectus, & voluntas in Deo distinguuntur realitèr; quod est hæreticum. Ex prædicto ergò argumento inferitur pro nobis ratio efficax ad probandam distinctiōnem formalem, tam inter potentias animæ inter se, quam ab ip-

ipsa anima. De quo conclusione sequenti.

21 Arg. ultimò; potentia receptiva habituum, & actuum, specie distinctorum, distinguuntur realiter inter se; sed sic se habent intellectus, & voluntas: g. disting. realiter inter se. Prob. min.: habitus Fidei, & Charitatis: similiterque actus utrorum habituum, distinguuntur specificè, juxta omnes; sed intellectus recipit habitum fidei, & ejus actus; voluntas vero habitum Charitatis, & ejus actus: ergò intellectus, & voluntas, &c. Hoc argum. manifestas patitur instantias, ex quibus planè, & plenè solvitur. Inso ergò ipsum 1.: potentia receptiva habituum, & actuum specie distinctorum, distinguuntur realiter; sed voluntas est potentia receptiva habituum, & actuum, specie distinctorum; similiterque & intellectus: ergò voluntas distinguitur realiter à se ipsa, & etiam intellectus, quod nemo dicet. Minor quoad utramque part. est vera; nam habitus spei, & charitatis recipiuntur in voluntate, eorumque actus, in communi sententia Adversariorum: similiter, in intellectu recipiuntur habitus fidei, habitusque scientia, tam in communi, quam in particulari, maxime si ista fuerint speculative: ergò, si ex distinctione specifica habituum, & actuum inferatur

distinctio potentiarum, poterit, à se invicè n. distinguuntur: unde nego absolute maior. argumenti.

22 Tandem aliqui solent hic objicere, quod potentia specificantur per suos actus, & actus per sua objecta; sed actus potentiarum animæ, eorumque objecta distinguuntur realiter: ergò, & potentia. Sed, quia erga maior. hujus syllogismi erit postea specialis sermo in quest. sequenti, querendo: quomodo potentia specificentur per suos actus, & actus per sua objecta? Merito ejus resolutionem pro nunc omittimus. Sit ergò

SECUNDA CONCLUSIO.

23 *P*OTENTIAE animæ distinguuntur formaliter ex natura

rei, tam inter se, quam ab anima. Hæc conclusio est contra Nominales, & quosdam Jesuitas, admittentes solum distinctionem rationis. Hæc conclusio probari poterat omnibus illis auctoritatibus, quas Contrarij objiciebant in primo argumento contra primam Conclus., nam juxta ipsos, potentia animæ ab ipsismet, & ab anima aliquomodo à parte rei distinguuntur; sed ex dictis conclusione antec.; non realiter strictè: ergò realiter formaliter. Confirmari etiam potest ex Aug. Lib. de spiritu, & anima cap. 4., & 13., ubi ait: *proprietates quidem* (hoc est potentia)

multæ sunt, sed essentia una; sed non sunt multæ realitèr: ergo formalitèr. Tandem probari potest hæc conclusio omnibus illis rationibus, quibus in Logica statuimus distinctionem formalem ex natura rei. Ex ibi ergò dicitis,

24 Prob. conclus. quoad prim. part.: illa, quæ identificantur realitèr, & aliundè de ipsis verificantur à parte rei prædicata contradictoria, distinguuntur formalitèr ex natura rei; sed intellectus, & voluntas identificantur realitèr à parte rei, & aliundè de ipsis verificantur à parte rei prædicata contradictoria: ergò distinguuntur formalitèr à parte rei. Probat. min.: intellectus est causa, & principium eliciendi intellectiōnem, non autem Voluntas: similiter: intellectus est principium naturale, voluntas verò principium liberum; sed esse à parte rei, & absque fictione principium intelligendi, & non esse à parte rei tale principium: esse principium naturale, & non esse tale principium, sed liberum, sunt prædicata contradictoria à parte rei: ergò de intellectu, & voluntate verificantur talia prædicata. Hac eadem via probatur distinctio formalis, quoad secundam part. conclusionis, scilicèt, potentiarum ab anima; nam anima est actus corporis physici organici, non autem intellectus,

& voluntas: similiter, anima à parte rei est principium, à quo emanant intellectus, & voluntas; anima vero non emanat ab ipsis: ergò de anima, ejusque potentijs verificantur à parte rei prædicata contradictoria. Reliqua videte in loco citato,

25 Dices tamén primò contra hoc: Magnus Parens August. de spiritu, & anima c. 34. ait: *anima secundum officium sui operis varijs nuncupatur nominibus dicitur namque anima, dum vivificat corpus: dum vult animus est: dum scit, mens est: dum recollit, memoria est*, &c.; sed ea, quæ solum penes nomina distinguuntur, non distinguuntur formalitèr ex natura rei, sed solum per rationem: ergò sic distinguitur anima à suis potentijs. Resp. quod hæc autoritas sicut & aliæ quam plures, quas hic opponunt Nominales, solum intendunt statuerè identitatē realē animæ cum potentijs; ita ut potentiæ animæ non sint differentes res, & substantiæ ab ipsa anima, sed quod omnia ista sint una res, & substantia. Hæc explicatio constat ex ipsomet Aug. citato ubi addit: ista tamen non differunt in substantia, sicut in nominibus; quoniam omnia ista anima una est. Vide ipsum citatum in prima probatione conclusionis.

26 Dices 2. : idèò potentia animæ distinguerentur inter se formalitèr ; quia sunt principium productivum actuum specie distinctorum ; sed hæc ratio non probat talem distinctionem : ergò non distinguuntur formalitèr. Prob. min. : eadem formalis virtus est principium productivum actuum specie distinctorum : ergò , &c. Prob. antec. : Sol eadem virtute , calefacit, & siccit : hoc idem patet in causis æquivocis , & universalibus. Confirmatur : idem principium , respectu diversorum , est liberum , & naturale ; nam voluntas Divina *ad intra* est principium naturale , necessarium ; *ad extra* vero liberum & contingens : ergò ex hoc non benè inferitur distinctio formalis. Resp. disting. mai. argumenti : idèò intellectus , & voluntas distinguuntur formalitèr , quia sunt principium productivum actuum adæquatorum , specie distinctorum , conc. mai. : actuum inadæquatorum , nego mai. , & min. : ad cujus prob. distinguo antec. inverfis terminis , & nego conseq.

27 Itaque , non ex sola distinctione specifica actuum ut cumquè arguimus distinctionem potentiarum ; certum namque est , quod intellectus idem elicit apprehensiones , iudicia , & discursus ; sicut & voluntas eadem amorem , & odium ; qui actus specie distinguuntur ; sed

sunt inadæquati , respectu harum potentiarum. Similitèr : calefacere , & siccare sunt actus inadæquati respectu Solis ; idèòque ad illos unica potentia sufficit. Arguimus ergò distinctionem in potentijs quando actus sunt adæquatè diversi , ut sunt intellectio , & volitio , modo quo explicabimus quest. sequenti. Ad confirm. nego absolutè antec. ; cum ejus probatione ; nam ex Nostratibus Materia de voluntate divina , hæc nunquam naturalitèr operatur , seu est principium naturale , sed semper liberum ; cum hoc tamèa discrimine , quod *ad intra* sit necessarium ; *ad extra* vero contingens. De hoc Disp. de voluntate , & in Theologia Materia citata.

28 Dices ultimò : idem intransitivè principium est immediate intellectivum , & volitivum : ergò ex diversitate operationum non benè arguitur distinctio formalis potentiarum. Prob. antec. : principium volitivum debet necessariò , esse intellectivum ; quia nihil volitum , quin præcognitum ; movetur enim ad suam actum per actualem representationem objecti : ergò idem principium , &c. Resp. disting. antec. : idem intransitivè principium quod est immediate intellectivum , & volitivum , conc. antec. : idem principium quod , nego antecedens ; & disting. ant. probationis : principium voliti-

vum debet esse intellectivum præsuppositivè, conc. antec.: formalitèr, nego antec., & conseq. Itaque anima est, quæ in ratione causæ immediatè vult, & immediatè intelligit *ut quod*, medijs potentijs, ut principijs quibus. Anima enim est, quæ immediatè movetur ab intellectu, ut vellit, voluntas vero ipsam præsupponit, quia cum sit potentia cæca, nequit ferri in incognitum. Undè, præsupposita intellectu, formalitèr est, quæ vult, non vero quæ formalitèr intelligit.

QUEST. II.

Quomodo potentie specificentur per suos actus, & actus per objecta?

RECEPTISSIMA apud Thomist. est propositio, quod potentie specificantur per suos actus, & actus per sua objecta; ita ut ab actibus, eorumque unitatè, vel distinctione indispensabilitèr pendeat unitas, vel distinctio specifica potentialium; & pariformitèr loquuntur de actibus comparativè ad sua objecta. Iam propositionem etiam communitèr admittunt Scotistæ, immò ipsemet titulus quæst. ipsam supponit; sed circa modum hujusmodi specificationis est controversia

intèr has Scholas. Pro cuius clariori resolutione notate 1., quod omnes debent fateri, quod actus non sumunt sua prædicata essentialia, & metaphysicè constitutiva à suis objectis; nec actus sunt prædicata essentialia, & metaphysicè constitutiva potentialium. Ratio est, quia prædicata metaphysicè constitutiva alicujus rei non sunt extra talem rem, nec à tali re realitèr distincta; sed actus potentialium anime sunt extra potentias, ab ipsisque realitèr distincti: idemque dicendum est de objectis, comparativè ad actus potentialium: ergò nec actus sunt prædicata essentialia, & metaphysicè constitutiva potentialium, nec objecta actuum.

2. Controversia ergo intèr Thomist., & Scotist. stat in hoc: potentie dicunt ordinem quendam ad suos actus, & actus similiter dicunt ordinem ad sua objecta. Queritur ergo modo: an hic ordo sit potentijs, & actibus, ita intrinsecus, & essentialis; quod sit de conceptu primario constitutivo potentialium, & actuum: an verò talis ordo sit respectus transcendentalis, supponens jam potentias in suo esse absoluto constitutas, & similiter supponens actus in suo esse constitutos, independentèr à suis objectis? Primum communitèr defendunt Thomistæ. Secundum verò Scotistæ, ac modo postea explican-

do. Sed, ut hæc explicatio Scotistarum melius percipiatur.

3. Notate ultra, quod distinctio, aut unitas potentiarum, aut actuum non debet desumi ex objectis materialibus; nã plures actus, & potentie possunt terminari erga idem objectum materiale, sub diversis tamen rationibus; intellectus enim, & voluntas, actusque istarum potentiarum specificè distinguuntur, & tamen tendunt in idemmet objectum, ut pater in Beatis, videntibus Deum per intellectum, & fruens ipso per voluntatem. Undè difficultas procedit de objectis formalibus: quomodo enim ex ipsis unitas, vel distinctio potentiarum desumenda sit? Ut hæc melius percipiantur recolenda sunt, quæ in Logica diximus, agendo de objecto alicujus scientie. Ex quibus etiam

4. Nota tandem, quod tam objecta, quam actus potentiarum, alij sunt adæquati; inadæquati vero alteri. Objectum adæquatum est omne illud, quod participat rationem formalem motivam talis potentie: sic omne verum est objectum adæquatum intellectus, & omne bonum objectum adæquatum voluntatis. Objectum vero inadæquatum est, quod non comprehendit totam rationem objecti formalis: ut hoc verum, & illud bonum. Similiter actus adæquatus est ille, quo

potentie tendunt in objectum adæquatum, seu qui totam rationem formalem objecti adæquati potentie attingit: sic intellectio, absolute supponens, est actus adæquatus intellectus; visio potentie visivæ; auditio auditivæ, &c. Actus vero inadæquatus est ille, per quem potentia tendit in objecta inadæquata: sic intellectio lapidis est actus inadæquatus ipsius; similiter & assensus, nam etiã est ejus actus volitio. Undè certum apud omnes est, quod potentie non sumunt unitatem, aut distinctionem ex actibus inadæquatis, sed solum de adæquatis est difficultas. His notatis, sit

PRIMA CONCLUSIO:

5. **P**OTENTIAE non specificantur intrinsecè per suos actus; nec actus per sua objecta; ita quod ordo potentiarum ad actus, & actuum ad objecta sit de conceptu primario, & constitutivo potentiarum, aut actuum. Hæc conclusio est communis inter Scotistas cum Subt. Doct. pluribus in locis, & præcipuè Quodlibeto 13. art. 3. num. 24. Prob.: nulla entitas respectiva est de conceptu primario, & constitutivo alicujus entitatis absolute; sed actus vitales, ut intellectio, & volitio; & similiter potentie elicitive horum actuum

tuum sunt quid absolutum : ergo ordo potentiarum ad suos actus, & actuum ad sua objecta non est de conceptu primario constitutivo potentiarum, aut actuum : ergo potentia non specificantur intrinsicè, & essentialitèr per suos actus, nec actus intrinsicè per sua objecta. Maior constat ex dictis in Logica, agendo de constitutivo substantiæ, quantitatis, & qualitatis. Minor quoad secundam part., hoc est, quoad potentias, est per se nota. Quoad primam verò, scilicèt, quoad actus vitales, intellectionem, & volitionem, breviter dicemus quæst. seq. ; & expressè probatur, dum de constitutivo intellectionis agamus.

5 Respondent tamen Thomist. huic efficaci rationi, quod entitates absolutæ solum excludunt à sua ratione formali constitutiva relationes prædicamentales ; quia istæ distinguuntur realitèr ab omni absoluto ; non autem excludunt relationem transcendentalem, quæ cum absolutis identificatur realitèr. Undè, cum ille ordo potentiarum ad suos actus ; & actuum ad sua objecta, sit relatio transcendentalis, realitèr identificata cum suis extremis, hinc est, quod potest esse de conceptu primario, & constitutivo potentiarum, & actuum. Hæc responsio Thomist. quamplurimè rejecta est, tum in Logica, agendo de constitutivo

prædicamentorum ; & Disput. de Relationibus : tum in Physica, agendo de constitutivo materiæ. Sed nunc breviter sic ipsam

6 Impugno : nulla relatio, adhuc transcendentalis potest esse de conceptu primario constitutivo alicujus entitatis absolutæ : ergo nulla est responsio Thomist. Prob. antec. : implicat, aliquid esse simul ad se, & ad aliud ; nam ex hoc sequeretur, quod simul esset ad se, & non ad se ; sed absolutum, quia absolutum, est ad se ; & quia constitutum per relationem transcendentalem, necessariò debet esse ad aliud ; cum hoc sit de constitutivo essentiali omnis relativi : ergo nulla relatio, &c. Conf. ex dictis 1. Physic. : nam quia potentia susceptiva in materia ; & quia potentia informativa in forma sùt relationes transcendentales, realitèr identificate cum ipsis, nequeunt esse de conceptu primario materiæ, aut formæ, nisi tales potentie sumantur radicalitèr : ergo pariformitèr dicendum est in præsentia de illo ordine potentiarum, & actuum.

Solvuntur argumenta

7 ARG. 1. : distinctivum cujuslibet rei est constitutum formale talis rei ; sed juxta Phi-

Philos. 2. de Anima text. 33.,
 potentie distinguuntur per actus,
 & actus per objecta: ergo po-
 tentie specificantur intrinsicè,
 & essentialitèr per suos actus,
 & actus per sua objecta. Res-
 pondent aliqui Scotistæ cum N.
 Bûrgio, negando absolûtè min.;
 quia talis textus non reperitur
 ad litteram in Philosopho. Sed
 circa hoc videatur N. Mast. hic
 num. 56. Sed solutione præ nunc
 omisâ, respondeo ex N. Subr.
 Doct. quodlib. 13. §. ad ista. v.
 ad primam rationem sub num. 30.,
 concedendo mai., & explicando
 min. sub distinctione: sed po-
 tentie distinguuntur extrinsicè,
 & manifestativè per suos actus;
 & eodem modo actus per sua ob-
 jecta, concedo min.: potentie
 distinguuntur intrinsicè, & con-
 stitutivè, nego minorem, &
 conseq.

8 Verba Doct. in præ-
 fato loco sunt hæc: *ad primam*
rationem diceretur, quod actus dis-
tinguuntur per objecta, quantum
ad manifestationem; quia mani-
festior est distinctio objectorum,
quam actuum, & ex illa, tam-
quam ex manifestiori, inno-
tescet ista. Et confirmatur hoc: quia
2. de Anima, sicut vult Philoso-
phus, quod actus distinguuntur
per objecta: immo magis, quod
objecta sint prævia ipsis actibus;
proptèr quod oportet prius tracta-
re de distinctione objectorum, quam
actuum; ita etiam vult, quod

potentie distinguuntur per actus
(notate sequentia); hoc autem non
est essentialitèr; quia actus est es-
sentialitèr posterior potentia: &
posterius non est per se ratio dis-
tinguendi prius. Igitur nec ibi
illud aliud, scilicèt de objectis in
comparatione ad actus debet intel-
ligi de distinctione essentiali. Hæc
 Doct. supra cuius doctrinam,
 & intelligentiam consulendus
 est N. Doctissimus Hiquens in
 suo Commentario super illum
 locum Doct.

9 Arg. 2.: relatio ad
 actum, & actus ad objectum
 est ipsis ita essentialis, quod
 repugnantibus actibus, repug-
 narent etiam potentie; & simili-
 tèr repugnantibus objectis, re-
 pugnarent paritèr actus: ergo
 talis ordo, seu relatio potentie
 ad actum, & actus ad objectum,
 est de conceptu primario, & con-
 stitutivo, tam potentie, quam
 actus. Resp. disting. antec.: re-
 latio potentie ad actum, & ac-
 tus ad objectum est ita essen-
 tialis, &c., repugnarent etiam
 potentie per locum ab extrinse-
 co, conc. antec., repugnarent
 potentie per locum ab intrinse-
 co, nego antec., & conseq.
 Itaque, si per impossibile repug-
 narent actus, repugnarent quo-
 que potentie; sed non à priori,
 & ab intrinseco, sed solùm à pos-
 teriori, & ab extrinseco. Hoc
 parificatur hoc exemplo: si enim
 repugnaret risibilitas, repugna-
 ret

ret homo; verumtamen hoc non esset à priori, & ab intrinseco, sed dumtaxat à posteriori, seu ab extrinseco. Pariformiter ergo dicimus de potentijs comparative ad suos actus: & de actibus quoad sua objecta, istis, & illis repugnantibus.

10 Arg. denique: adeo essentialis est ordo potentiae ad actum, ut nec Deus possit concipere essentiam potentiae, sine ordine ad actum; neque essentiam actus sine ordine ad suum obiectum: ergo iste ordo essentialiter includitur in potentijs, & actibus; & consequenter debet esse de essentia ipsorum. Respond. negando antec. Ratio est; quia potentiae ex natura sua intrinseca habent conceptum obiectivum absolutum, quo possint concipi praecisive ab omni respectu: & sic Deus defacto cognoscit potentias secundum suum primarium esse, ut omnino distinctas ab illo ordine, quem dicunt ad suos actus: & idem dicendum venit de actibus comparative ad sua objecta. Unde, quod nos non concipiamus potentias, conceptu perfecto, & quietativo, nisi in ordine ad actus, neque actus, nisi in ordine ad objecta; hoc non probat, talem ordinem esse de conceptu primario, & constitutivo potentiae, aut actus. Hoc manifeste patet ex his, quae docuimus 1. Physic.; nam non

possimus nos concipere materiam sine ordine ad formam; nec formam, sine ordine ad materiam, & tamen talis ordo non est constitutivus, nec materiae, nec formae.

SECUNDA CONCLUSIO.

11 **P**OTENTIAE specificantur per suos actus, & actus per sua objecta extrinsece, & manifestative, modo explicando. Haec Conclusio quoad primam partem est expressa in N. Subt. Doct. in authorit. praelegata pro solutione primi argumenti; & plus eget explicatione, quam probatione. Pro qua dico 11, quod praedicta specificatio non sumitur ex actibus inadaequatis; certam enim est apud omnes, ut diximus, quod una, eademque potentia sufficit ad assensum, & dissensum: & similiter, ad volitionem, & nolitionem. Sumitur ergo distinctio specifica potentialium ex distinctione specifica actuum adaequatorum. Hoc patet; nam in hoc sensu distinguimus specie potentiam visivam, & auditivam; quia auditiva v.g.; nullo modo potest habere actus potentiae visivae: dicimus vero, esse ejusdem speciei duas potentias visivas duorum hominum; quia potentia visiva unius habet visionem similem visioni, quam habet alter.

12 Dico 2. ; actus specificantur sufficienter quoad distinctionem ex distinctione specifica suorum objectorum adæquatorum, & formalium; non autem præcisè. Sic Doct. in 3. dist. 14. q. 2. num. 6., ubi docet, quod etsi distinctio objectorum semper concludat distinctionem actuum, & potentiarum, tamen unitas specifica objecti non semper concludit unitatem actus, & potentiae; nam diversae speciei potentiae per diversos specificè actus possunt versari circa idem objectum, nedùm materiale, sed & formale. Idem enim objectum, & sub eadem ratione formali est omnis intellectus beati, & voluntatis beatae; sed tam istae potentiae, quam actus earum sunt diversae, & distinctae: ergò licet ex diversitate objecti formalis adæquati benè inferatur distinctio specifica actuum, & potentiarum, non tamen adæquatè, & præcisè; cum stante unitate objecti, stet distinctio actuum, & potentiarum.

13 Undè hæc illatio tenet: objecta formalia adæquata sunt diversa: ergò, & potentiae, & actus tendentes erga talia objecta sunt distincti. Non tamen valet per oppositum: objectum formale est unum: ergò & potentiae, & actus sunt unum; sicut nec valet ista: potentiae, & actus sunt diversi: ergò & objecta; quia, ex dictis, erga idem

objectum versantur diversae potentiae, & actus. Tota ergo hæc doctrina fundatur in quadam maxima N. Doct. in 2. dist. 1. quæst. 6. sub num. 9., ubi docet, quod quaecumque differentia sufficit ad simpliciter distinguendum, sed non quaecumque identitas sufficit ad simpliciter identificandum. Quare, non solum ex diversitate objecti, sed etiam ex diverso modo formali tendendi erga tale objectum inferitur distinctio actuum; & etiam potentiarum, si hic diversus modus tendendi fuerit adæquatus; qualiter se habent naturaliter, & liberè, respectu intellectus, & voluntatis; quamvis enim hæc potentiae versentur erga idem objectum; quia tamen intellectus tendit naturaliter, & voluntas liberè, qui sunt modi tendendi adæquati, hinc est, quod ex hoc diverso modo tendendi colligitur diversitas potentiarum. De his amplius in Theologia.

QUÆST. III., ET ULT.

De Actu vitali.

DUBITABIS 1.: quid sit actus vitalis? Ab hac difficultate breviter expediemus; nam de ipsa erit specialis sermo, dum de intellectione agamus. Sed pro faciliori resolutione, notandum

dum est, quod actus vitales sunt in duplici differentia: aliqui enim sunt imperfecti, ut generatio, nutritio, augmentatio, & motus localis; de istis non est gravis difficultas; vitalitas enim in ipsis dicit tantum hoc, quod est provenire à principio intrinseco, acquisitivo propriæ perfectionis, non debitæ à principio vitæ, seu pro instanti generationis. Videte, quæ diximus Disp. 1. quæst. 2. Alij autem sunt actus vitales perfecti; ut sunt actus cognoscitivi, & appetitivi, sensuum, tam externorum, quam internorum: & principaliter actus potentiarum inorganicarum, intellectus scilicet, & voluntatis. Et de istis principaliter quæritur: quid sint?

2 Circa quod varij sunt modi dicendi; quia cum ad actum vitalem requiratur receptio specierum objectorum in potentijs, ut receptio speciei visibilis in oculo; speciei soni in aure; speciei intelligibilis in intellectu, & sic de alijs; hinc primò aliqui antiqui dixerunt, quod actus vitalis consistit in receptione harum specierum. Sed hic modus dicendi communiter rejicitur à Philosophis, quia hujusmodi species manere solent in potentijs vitalibus, maximè in intellectu, & in sensu interno, quando tales potentie vitaliter non operantur: igitur actus vi-

talis non potest formaliter consistere in receptione harum specierum. Deindè: actus vitalis est perfectio; sed receptio specierum non dicit perfectionem, sed imperfectionem: ergo, &c.

3 Secundò; cum etiam ad actum vitalem requiratur actio productiva; tum specierum, tum ipsorummet actuum; tum tendentiæ erga objectum; hinc actum vitalem constituunt in actione potentiarum de genere actionis. Sic communiter Thomistæ, quamvis inter se differant: an talis actio habeat aliquem terminum productum: an verò solum terminetur immediatè ad objectum? Sed hæc sententia etiam breviter impugnatur; quia operatio vitalis est ultima perfectio operantis, & finis ultimus potentie, juxta Philosophum 1. Ethicorum, text. 9.; sed hoc esset falsum, si consisteret in actione productiva de genere actionis: ergo, &c.

4 Tertio tandè, cum actus vitalis dicat tres respectus, duos ad potentiam, primus producti ad producens; secundus recepti ad recipiens; & tertium tandè ad objectum, ad quod tendit, ut ad terminum, diciturque respectus tendentiæ, vel attingentiæ; hinc aliqui A. A. docuerunt, actum vitalem formaliter consistere in actione includente omnes istos res-

respectus. Sed hic modus dicendi reijcitur ex eo, quod actus vitalis in communi est univocus actui vitali creato, & increato; sed actus vitalis in Deo, qualis est intelligentia ingenita, & volitio improducta, & essentialis, non dicit huiusmodi respectus, ut communiter docent Theologi: ergo actus vitalis, ut sic, nequit consistere in aliquo ex his respectivus, nec in omnibus simul sumptis. Cum ergo in nullo ex predictis consistere valeat actus vitalis, quaeritur modo: quid erit? Dico breviter: *actus vitalis formaliter, & essentialiter sumptus, est quaedam qualitas vitalis de prima, vel tertia specie qualitatis, producta a potentia vitali, media actione distincta.* Prob. breviter ratione Doct. in 1. dist. 3. quaest. 6.: actus vitalis est ens per se unum: ergo debet attingere ad aliquod ex praedicamentis. Nunc sic; sed non ad substantiam; quia actus vitalis abest, & adest; neque ad quantitatem, quia haec solum in corporibus, & etiam in non viventibus reperitur; è contra verò actus vitalis; nec est aliqua relatio; cum haec sit forma mortua; consequenterque nequeat esse ultima perfectio vitalis; cum non appetatur propter se, sed propter fundamenta; terminus autem productus à potentia vitali sit forma viva, & ultima perfectio ipsius: ergo à suffi-

cienti partium enumeratione, solum spectare potest ad praedicamentum qualitatis de prima, vel tertia specie. Omnia, quae hic obijci poterant, merito omitimus; nam postea necesse erit, dum de intellectione specialiter agamus, repetere. Sed, ut hic dicta, ibique dicenda, melius percipiantur.

5 Notate, quod, licet actus vitalis formaliter, & essentialiter dicat hanc qualitatem absolutam, includit tamen illos respectus producti ad producens, recepti ad recipiens, & tendentiae ad objectum, ut ad terminum, qui dicitur attingentiae. Inter hos tamen respectus est maximum discrimen; nam respectus actus producti ad producens, se habet omnino per accidens; cum, ex immediate dicendis, actus vitalis possit à solo Deo produci in potentia. Respectus verò recepti ad recipiens est necessarius, & indispensabilis; quia, ut potentia dicatur vitaliter operari, debet in se habere actum; sed non est respectus transcendentalis, aut realiter identificatus cum actu. Tandem respectus attingentiae, & tendentiae in objectum, ut in terminum, est transcendentalis, & aliquomodo magis intrinsecus actui vitali, qua vitali.

6 Dubit. 2.: an actus vitalis possit à solo Deo produci,

ci, potentia merè passivè se habente? De hac difficultate etiam erit specialis sermo dum de intellectione agamus. Pro nunc respondeo affirmative. Ratio Doct. in 3. dist. 13. quæst. 4. num. 18. est; quia Deus potest supplere omnem causalitatem causæ secundæ efficientis: & hoc maximè respectu effectuum absolutorum; sed ex dictis, actus vitalis est quid absolutum, causatum à potentijs vitalibus in genere causæ efficientis: ergò poterunt à solo Deo produci. Si autem quæras: an potentiæ, medijs his actibus, possint tendere in sua objecta? Resp. affirmative; quia ad tendentiam non requiritur productio actus, factus per ipsammet potentiam, sed sufficit qualitas cum tendentia ipsius potentiæ. Ex dictis colligitur, quod actus vitalis essentialitèr, & ex sua ratione formali non petunt esse actus immanentes, sed omninò accidit illis, quod recipiantur in eodem principio, à quo producantur. De volitione, casu quo à solo Deo producat: an voluntas possit, media ipsa tendere in suum objectum, est specialis difficultas, discutienda Disput.

de *Voluntate.*

* * *

DISPUT. III.

DE HABITIBUS NATURALIBUS Animæ.

CUM habitus se habeant ut comprincipium, saltem minùs principale, cum potentijs ad producendos actus; hinc, ut necessarium iudicamus præmittere hanc Disp., ante quam de potentijs in particulari, earumque actibus agamus. Et solum tractabimus de habitibus naturalibus, qui naturalitèr acquiruntur, non autem de supernaturalibus, qui solum à Deo petunt produci; de his enim in Theologia. Sit ergò

QUÆST. I.

Quid sit habitus: quænamque eorum causa proxima, & immediata?

NON sumitur hic habitus pro forma privationi opposita, nec etiam pro modo aliquid habendi, sed sumitur pro principio actuum vitalium stabili, difficultèrque mobili à suo subjecto. Similitèr: non loquimur in præsentì de habitibus supernaturalibus à Deo infusis, ut sunt *Fides*, *Spes*, & *Charitas* in via, & in Patria *Lumen gloriæ*. De istis enim fit specialis

tractatus in Theologia. Quare difficultas procedit de habitibus acquisitis, ex repetitione actuum generatis: & isti in triplici differentia. Alij sunt *boni*, alij *malij* tandem *indifferentes*, hoc est, *nec boni, nec mali*. Hæc divisio trimembris sumitur ex N. Doct. in 4. dist. 6. quest. 10. §. *Respondeo ergo*, ubi ait: *sicut communiter ex frequentè bene agere acquiritur habitus inclinans ad bene agendum; & ex frequentè malè agere inclinans ad malè agendum; sic ex frequentè agere absolutè, acquiritur habitus ad agendum tali actione, neque cum bonitate, neque cum malitia*. Ultra: habitus dividitur in *practicum*, & *speculativum*, quorum explicatio satis constat ex dictis in præmiis Logicæ. Nunc verò pro resolutione primæ partis quest. 2. Dico, quod habitus acquisitus sic benè definitur ex Nost. Doct. in 1. dist. 17. q. 3. num. 11. : & in 4. supra cit. : *est quædam qualitas permanens de prima specie qualitatis, disponens subiectum, non quidem ad simpliciter agendum, sed ad promptè, faciliter, & expedite operandum ex frequentatione actuum acquisita in potentijs Animæ*. Bonitas hujus definitionis satis ex ejus explicatione constabit. Dicitur ergò, quod habitus sit *qualitas*; quia, cum sit aliquomodo activus (sivè hæc activitas sit in genere causæ efficientis, partiali-

tèr cum potentia influentis in actum, sivè sit in genere causæ formalis directivæ, potentiam facilitantis, & disponentis, de quo quest. 3. hujus) cum ergò sit aliquomodo activus, non potest attingere ad aliud genus accidentis, nisi ad genus qualitatis. Ratio est; quia omne aliud accidens, vel est quantitas, vel est relatio, sed relatio est de genere sterilius, & quantitas nullo modo est activa: ergò cum habitus activus sit debet esse qualitas.

¶ Dicitur *permanens*, per quod primò differt ab activus; quia isti citò transeunt. Secundo differt à dispositionibus; nam istæ etiam de facili mobiles sunt à subiecto. Dicitur *de prima specie qualitatis*, ad differentiam illarum qualitatum, quæ in secunda specie collocantur; nam qualitates, quæ in prima specie ponuntur, disponunt subiectum ad agendum; & ab extrinseco ipsi conveniunt: quæ vero in secunda specie reponuntur, ab intrinseco comperunt subiecto. Videte, quæ diximus in Logica agendò de qualitate. Dicitur *disponens subiectum, non quidem ad simpliciter, &c.* ad differentiam habitus infusi: nam isti dantur potentie ad simpliciter posse; habitus vero acquisiti solum dantur, ad facilius, & expeditius agendum; supponit namque in potentia potentiam simpliciter ad
ope-

operandum ; ut patet in elicientia primi actus, qui elicitus fuit sine habitu, & similiter potest secundus, tertius, &c. Dicitur *ex frequentatione actuum acquisita* per quod distinguitur ab habitu supernaturali, qui à Deo immediate infunditur. Tandem ponitur *in potentijs Animæ* ; quia subjectum proximum, & *sub quo* habituum non est essentia Animæ ; ista enim est solum subjectum remotum, & *ut quod*. Sunt ergò potentia ipsius animæ : quamvis circa hoc sit aliquod discrimen apud AA. De quo quæst. sequenti.

4 Ex dictis ergò in explicacione hujusmodi definitionis constat munera habituum acquiritorum. Ponuntur ergò hujusmodi habitus, ad hoc ut facilius, promptius, citius delectabilius, determinatius, & intensius operentur potentia. Sed advertendum est, quod non est necesse, ut omnia ista munera simul, & semel reperiantur in eadem potentia, respectu ejusdem actus, sed sat est, quod aliquod ex his muneribus reperiarur. Explicatur hoc : si enim potentia instantaneè operatur, difficultè tamèn, non datur habitus ad citius operandum ; quia nequit citius operari ; datur tamèn ad promptius, & facilius ; & si nullam patitur difficultatem datur, ut determinetur ad unum, si est indeterminata ad plura. Et

tandem, si est determinata ad unum, adhuc dabitur, ut potentia delectabilius, intensiusque operetur, ita ut actus intensior evadat. Quare sic intelligenda est præfata definitio.

5 Quoad secundam partem difficultatis ; quænam, scilicet, sit causa naturalis, proxima, & immediata productiva habituum acquiritorum ? Notate, quod hic loquimur de causa naturali, prout contraponitur supernaturali ; nam certum est, quemlibet habitum posse supernaturalitè infundi à Deo in potentia. Ultra loquimur de causa proxima, & immediata ; nam si sermo fiat de mediata, & remota, tunc, nedum potentia, sed etiam objectum potentia possunt dici causa habituum, cum sint causa actuum, ex quibus habitus generatur. Tandem : non loquimur de habitibus naturalitè inditis, si hujusmodi dentur ; quia isti non dicerentur habitus de prima specie qualitatis ; sed potentia, vel impotentia naturales ; loquimur ergò de habitibus acquisitis. Et

6 Dico : *causa naturalis immediata ; proximaque productiva habituum, sunt actus consimiles illis, in quos habitus inclinant.* Hæc conclusio est Nost. Doct. cit. in 1. dist. 17. q. 2. num. 10. Prob. conclusio : actus potentiarum, & non impletæ potentia sunt productivi ha-

bituum: ergò, &c. Prob. ant.; actus voluntatis totaliter producit habitum, non autem voluntas: ergò, & actus aliarum potentiarum. Conseq. constat à paritate rationis. Prob. antec.: si voluntas esset causa habitus, illum produceret liberè, cum ipsa sit potentia liberè productiva; sed hoc est falsum; quia voluntas eliciens actus intemperantiae v.g., frequentè, vèl, quod ex istis actibus non generaretur habitus intemperantiæ, adhuc tamèn generaretur: & licèt, iam productum velet destruere, adhuc tamen non possèt statim, nisi post exercitium actuam contrariorum: ergò voluntas non produceret liberè habitum, sed naturalitèr; & consequentèr, non voluntas, sed actus ipsius producant habitum.

7 Dices 1. contra hoc: juxta Subt. Doct. supra citatus potentia est causa communis actus, & habitus: ergò actus non est causa totalis habitus. Confirm.: habitus non solum augetur ex perfectione actus, verum etiam ex connatu potentiae; nam, ut experientia constat; quo maiorem connatum quis exhibet in eliciendo actum, eo maiorem facilitatem acquirit: ergò potentia etiam concurrat, non solum ad augmentum habitus, sed etiam ad generationem ipsius. Resp., quod hæc omnia ad summum probant, quod potentia

sit causa remota, & mediata productionis habitus, non vero proxima, & immediata. Unde certum est, quod maior connatus potentiae auget mediatè habitum; quia connatus potentiae est causa perfectioris, & intensioris actus; cum sit maior applicatio virtutis activæ, & quo magis applicatur virtus, eo perfectior actus producitur, & ratione ipsius perfectior habitus.

8 Dices 2.: Causa productiva habitus debet esse perfectior ipso; sed actus non est perfectior habitu, quoniam res è contra se habet: ergò habitus nequit totalitèr produci ab actu. Prob. min.: causa æquivoca est perfectior effectu; sed habitus, est causa æquivoca actus: ergò, &c. Deindè: quod est diuturnius perfectius est, quam quod facilitèr transit; sed actus facilitèr transit, habitus verò est difficultèr mobilis à subjecto: ergò habitus est perfectior actu; & consequentèr actus non est causa totalis ipsius. Resp., omnia pro nunc maiori, negando min. Actus enim absolutè consideratus, est perfectior habitu, quia immediatius unit potentiam cum objecto, & etiam quia habitus ad actum ordinatur. Ad primam prob. ipsam distinguo: causa æquivoca totalis est perfectior effectu, conc. mai.: causa æquivoca partialis nego mai.; & in-

verſis terminis diſting. min., & nego conſequentiam. Ad ſecundam prob. dico, quod maior, aut min. diuturnitas præciſe non eſt cauſa maioris, aut minoris perfectionis entitativæ, & eſſentialis: ſi enim Angelus per unicam horam duraret, & fornicata per mille, adhuc Angelus perfectior eſſet fornicata.

9 Dices ultimò: ſi actus eſſet cauſa totalis proxima, & immediata habitus, ſequeretur, quod quilibet actus eſſet cauſa habitus; ſed hoc eſt falſum: ergò, &c. Prob. min. 1.; ponamus actum ſeparatum à potentia, hic non poſſet producere habitum, cum non eſſet potentia, in qua reciperetur: ergò, &c. Secundò: ſi Deus ſolo produceret actum, potentia mere paſſivè ſe habente, quod poſſibile eſt, ut diximus quæſt. unum. Diſput. antec.; & dicemus infra agentes de intellectu, tunc talis actus non produceret habitum; ergò falſum eſt, &c. Reſp. diſting. mai.: ſi actus, &c., tunc quilibet actus, quantum eſt ex parte virtutis, produceret habitum, conc. mai.: produceret, &c. deſectù conditionis agendi, nego mai.; & conſeſſa minor. in ſeſu diſtinctionis, ad prim. proba. dico, quod actus ſeparatus non cauſaret habitum; non ex deſectù virtutis, ſed ex deſectù conditionis agendi; quia, ut agat in potentiam, requirit, quod

ſit aproximatus, & unitus, & ipſam vitalitè afficiat. Ad ſecundam prob. dico, quod actus productus à ſolo Deo certè non habituaret potentiam, ut productivam; quia ipſum non eliceret: habituaret tamen, ut operativam; quia medio tali actu operaretur, & perciperet objectum.

10 Ex dictis in reſolutione hujus ſecundæ partis inferitur 1., quod quilibet actus, etiam primus, jam cauſat aliquid de entitate habitus. Ratio eſt; quia eſt ejuſdem rationis; & activitatis cum actibus ſequentibus: undè, ſi ſequentes cauſant habitum, etiam primus aliquid cauſabit. Sed notandum eſt, quod ſi dùm potentia elicit primum actum, eſt oppoſito habitu habituata, v.g. homo habituallitè intemperatus, ſi eliceat primum actum temperantiæ, tunc iſte primus actus parum aut nihil habitus temperantiæ produceret, aut certè minus, quàm ſi ſubjectum non eſſet intemperatum habitualitè. Inferitur 2., quod, quo perfectior, & intenſior eſt actus, perfectiorem habitum producit, cum talis actus pluribus actibus remiſſis æquivaleret. Inferitur tandem, quod quamvis actus ſit remiſſior habitu in potentia residente, non ob hoc actus deſinet augere talem habitum, ſi habitus adhuc intenſibilis eſt; quia agens æquivocum, qua-

quale est actus, respectu habitus potest intendere effectum perfectionem se ipso. Sed circa hoc videatur Nost. Mast. tom. 2. Theologiae Disp. VII. quæst. 10., & 11.

11 Sic hinc quæres; quomodo habitus corrumpantur? Resp., quod resolutio de modo corruptionis: an sit in genere causæ efficientis (si corruptio effectio dici potest): an vero in genere causæ formalis? Pendet ex dicendis quæst. ultima hujus. Nunc vero dico, quod habitus corrumpuntur eodem ferè modo, ac species. An per puram cessationem ab actibus corrumpatur habitus? Est dissidium. Sed breviter dico, quod sola cessatio ad summum per accidens corrumpit habitum; in quantum est in causa talis cessatio ad hoc, ut eliciantur actus oppositi; nam qui cessat ab actibus temperantiæ, frequenter labitur in intemperantiæ actus. De his quæst. ultima.

QUÆST. II.

Quanam potentia sint capaces habituum?

1 SUPPONO 1.: quod, cum multiplices potentia in viventibus, juxta multiplicitem animarum, sint; hinc est, quod de omnibus, & singulis potest procedere difficultas. Anima enim vegetativa habet potentiam ge-

nerativam, nutritivam, & augmentativam. Sensitiva habet potentias externas, & internas: tam cognitivas, quam appetitivas, ac etiam potentiam loco motivam: de qua est difficultas, adhuc inter Scottistas. Rationalis tandem habet intellectum, & voluntatem. De his ergo omnibus quærimus: an sint capaces habituum? Et ut à potentijs Animæ rationalis incipiamus.

2 Dico 1.: in intellectu, & voluntate dantur habitus acquisiti. In re est communis hæc conclusio, quamvis, quoad modum eam explicandi aliquomodo differat. Prob. tamen breviter: Logicus consummatus, aut consummatus Theologus facilius discit in illa materia, in qua discurrebat, quando erat tiro; sed id, quod ipsum faciliat est habitus Logicæ, vel Theologiæ residens in intellectu: ergo in intellectu datur habitus. Diendè Philol. Lib. de memoria, & reminiscentia cap. 3. docet, consuetudinem multum conferre ad memorandum; nam, ut ait proloquium; memoria scoldendo, augetur. Prob. de voluntate; nam voluntas per repetitionem actuum, temperantiæ v.g., redditur facilior ad actus temperantiæ eliciendos; sed hæc maior facilitas nequit provenire, nisi ab habitu temperantiæ, residente in voluntate: g. in ipsa datur habitus acquisitus. Idem dicendum est de

repetitione actuum alicujus vitij; nam ex repetitione ipsius acquiritur facilitas ad continuandum tale vitium.

3 Dices. contra primam partem conclus. : in summè determinatis ad unum, non datur habitus; sed intellectus est summè determinatus, saltim erga prima principia: ergò saltim erga prima principia non datur habitus in intellectu. Hæc est explicatio Thomistæ, & aliorum erga istam primam partem. Conclus. Resp. tamen disting. mai. : in summè determinatis absolutè, hoc est, tam quoad specificationem, quam quoad modum, nō datur habitus, conc. mai. : in summè determinatis quoad specificationem, non verò quoad modum actus, nego mai., & distinguo min.: sed intellectus est summè determinatus quoad speciem actus, conc. min.: quoad modum actus, nego min., & consequ. Explicatur hoc; intellectus non potest dissentiri primis principijs, lumine naturæ notis; & sic est determinatus quoad speciem actus, hoc est, quoad præstandum assensum; est tamen inderterminatus quoad modum actus, hoc est, quoad perfectiùs, & intensiùs agere circa objectum. Undè ad maiorem intentionem actus, indiget habitu.

4 Replic. contra hoc: hæc mai. intentio actus erga prima principia provenire potest, non

ex habitu; sed ex maiori perfectione specierum: ergò ad intensivè, & perfectiùs operandum erga prima principia, non requiritur habitus. Resp. negando antec. Ratio est; quia intensio, perfectio, & facilitas habitus non se tenet ex parte objecti, sed ex parte potentiæ; cum experientia constet, quod circa idem objectum, eodemque modo propositum per speciem, possit una potentia intensiùs, & alia remissiùs operari. Species enim se tenet ex parte objecti: & sic, quantumcumque augeatur, & perficiatur, non poterit intrinsicè facilitare potentiam. Undè hæc intensio, & facilitas provenire debet in actu, non ab specie objecti, sed ab habitu.

5 Dices. 2. contra secundam partem. conclus.: duæ causæ, una naturalis, & alia libera nequeunt concurrere simul ad actum liberum; sed voluntas est causa libera, & habitus causa naturalis: ergò cum voluntate non concurrat habitus; & consequenter in ipsa non datur habitus. Hoc argumentum videtur fundari in ratione, qua quæst. antec. part. 2. probavimus, habitum non produci immediatè, & proximè à potentijs, sed ab actibus ipsarum. Videte ibi. Sed notate, quod videtur supponere habitum acquisitum concurrere activè cum voluntate ad productionem actus: sed quia de hoc erit

eric fermo quæst. sequenti, idèd pro nunc. Resp. disting. mai.: duæ causæ, una naturalis, & alia libera nequeunt concurrere simul ad actum liberum, si neutra est alteri subordinata, concedo mai.: si una est alteri subordinata, nego mai.; & disting. min.: sed voluntas, &c., & aliunde habitus subordinatur voluntati, conc. min.: & non subordinatur, nego min. Habitus ergò etsi sit causa naturalis; tamen, quia subordinatur voluntati, quæ est causa libera potest cum ipsa concurrere ad actum liberum.

6 Dico 2.: *in sensu interno, & in appetitu sensitivo, tam hominum, quam brutorum, dantur habitus acquisiti.* Hæc conclusio est ferè communis. Prob. 1. de sensu interno: in sensu interno brutorum talis datur habitus: g. & in sensu interno hominum. Conseq. constat à paritate. Antecedens, patet ex operationibus, quas sæpè sapius videmus elici à brutis virtute disciplinæ, quam ad discunt; & quo pluries tales operationes repetunt, eo promptius eas eliciunt. Confirm.: ex illo dicto Aug. Lib. 83. quæstionum, quæst. 6.: *bruta consuetudine mansuescunt.* Prob. nunc conclusio de appetitu sensitivo; nam homines, & bruta per reiteratum exercitium rerum sensibilium, magna difficultate retrahuntur ab ipsis, & maxima

facilitate ipsis prosequuntur: ergò in appetitu sensitivo hominum, & brutorum dantur habitus acquisiti. Nihil se offert obijciendum contra istam conclusionem.

7 Dico 3.: *in potentijs animæ vegetativæ non dantur habitus acquisiti.* Est communis; & probatur ratione, qua Philosoph. 2. Ethicorum cap. 1. Et Subt. Doct. in 2. dist. 3. quæst. 10. §. *Ad argumenta*, num. 18. probant, quod inanimata non operantur ex habitu. Quæ talis est: habitus non generatur in naturaliter inclinatis, seu in summe determinatis ad unum omnimoda determinatione; sed sic se habent potentiæ animæ vegetativæ, ut experientia constat: ergò in ipsis non dantur habitus acquisiti. Confirm.: nam non videmus, quod continua nutritione, augmentatione, aut generatione habilitentur magis istæ potentiæ; quinimo potius debilitantur: erg. in ipsis non datur habitus acquisiti.

8 Dico 4.: *in potentijs sensitivis externis non dantur habitus acquisiti.* Prob. ex Philosoph. citat. ubi ait: *non enim ex eo, quod vidimus, vel audivimus, sæpè sensus accipimus:* ergò, &c. Prob. ratione: hujusmodi potentiæ nullam habent indifferentionem, nec mai. intensionem circa sua objecta, quam illam, quam semel habuerunt, nec maiorem

facilitatem : ergò quia ex repetitione suorum actuum non acquirunt habitum. Nec valet ; si opponas , quod , oculus v.g. perfectius , & melius videat nunc , quàm antea. Non valet , nam hoc oritur non ex maiori facilitate , sed , vel ex eo , quod est melius dispositus , vel quia modo imperfectius , & postea perfectius applicantur objecta : vel tandem , quia potentia perficitur intrinsecè in organis ; acquirendo meliores humores , perfectiores nervos , & vivatiores spiritus. Confirm. totum hoc ex eo , quod huiusmodi potentia sensitivæ externæ quamplurimè ex repetitione suorum actuum debilitantur , ut patet in visu , & auditu.

9. Restat ergò nobis nunc maior difficultas de potentijs , seu membris externis , & maximè de potentia loco motiva : an scilicet in ipsis dentur habitus acquisiti ? Scotistæ enim in hac difficultate sunt inter se divisi. Pro parte affirmativa sunt Vulpes , Pontius , & alij , citantes pro se Subt. Doct. in 3. dist. 33. quæst. unic. §. *ad tertium* , num. 19. Pro parte vero negativa stat Mast. cum alijs , qui pro se adducit Subt. Doct. in 4. dist. 49. q. 14. §. *quarto est videndum* , num. 10. Quid nobis tenendum ?

10. Dico ultimò : in potentia loco motiva ; & consequen-

ter in membris externis non datur habitus acquisiti. Ratione Mastrij prob. Conclus. : si datur habitus in potentia loco motiva , aut in membris externis , ut in manu ad scribendum , aut citharizandum , deberet dari aliquis actus , medio quo produceretur talis habitus ; cum ex dictis quæst. antec. , activitas actuum sit causa immediata habituum ; sed actus potentia loco motiva externæ non possunt generare habitum : ergò in istis non datur habitus. Prob. minor : huiusmodi actus sunt motus locales ; sed isti non possunt generare habitum : ergò , &c. Prob. minor : huiusmodi actus locales , quomodocumque sumpti , sunt relatio ; sed relatio nequit producere habitum : primò , quia sunt de genere steriliam : secundò , quia nullum imperfectius potest producere perfectius ; & habitus , ut pote qualitas est perfectior relatione : ergò cum motus localis sit relatio , nequit generare habitum. Hoc est unicum fundamentum Mast. Sed , ut verum fatear , melius probatur hæc Conclusio ex solutione argumentorum Contrariorum. Quare

II Arg. 1. ex Subt. Doct. citato in 3. , ubi expressè concedere videtur , habitum in manu Scriptoris , & Citharedi per hæc verba : *manus enim mea inexercitata inhabilis est in illa facultate*

cultate, quæ est ad citharizandum; exercitata autem est habilis. Hæc Doct.; sed nequit esse habilis, nisi per habitum: ergo in manu citharizantis acquiritur habitus. Quid clarius, ait Vulpes, pro parte affirmativa? Resp. tamèn ex Mastro hic num. 16. quod Subt. Doct. hic parum curavit de hac difficultate. Ratio est; quia intentum ipsius tantum erat, ostendere, quod voluntas erat subiectum, virtutis. Et hoc probat tunc; non ex propria mente, sed ex concessis ab Adversarijs, in hunc modum: per vos datur habitus in potentia sensitiva: ergo & multò magis in voluntate. Antec. concedebant adversarij; ex quo sic Doct. probat consequentiam: eo ipso, quod datur habitus in potentia subordinata, & determinabili, multo melius debet dari in potentia imperante, & determinante; sed voluntas imperat appetitui sensitivo, ipsumque determinat: ergo, si in potentia sensitiva datur, per vos habitus, à fortiori in voluntate.

12 Quod autem mens Nostri Doctoris non sit, quæ intenditur à Contrarijs, non melius ostenditur, quam proferendo ejus auctoritatem ex 4. dist. 49. quest. 14. num. 11. in fine, ubi sic ait: *ex parte autem passivi, scilicet, corporis mobilis, amovebitur duplex impedimentum: unum ex parte orga-*

norum virtutis motiva, quod est in juncturis, & nervis, quo impedimento remoto, fit trahibilitas maior in eis, & amotio istius impedimenti maxime requiritur ad agilitatem in motu progressivo, ad quem movet potentia motiva organice. Aliud impedimentum est in toto corpore, quod est repletum humoribus grossis, & spiritibus, & caput fumostatibus, & multis talibus, quæ reddunt hominem pigrum, & quæ non pertinent ad veritatem humanæ naturæ: hæc autem amovebuntur, & spiritus boni, & subtiles dabuntur corporibus gloriosis, per quæ reddetur corpus multum agile ad motum, sicut patet per oppositum de corpore mortuo, quod efficitur gravius, non quia plus de quantitate, aut materia apponatur, sed quia spiritus vitales corrumpuntur, & humores grossi inducuntur. Hæc Doct. expressè, impugnando opinionem, asserentem, agilitatem in Beatis esse qualitatem, seu habitum. Ex quo

13 Resp. ad author. adductam ex ipso in 3. cit. admissa, & non concessa, quod sit ex ejus mente, ipsam explicando: *manus enim mea inexercitata, inhabilis est &c.*, exercitata autem est habilis, per ablationem alicujus impedimenti, conc. mai.: per receptionem alicujus qualitatis habitualis perficientis ipsam, nego mai., min., & conseq. Itaque, ut manus reddatur habilis ad

ad citharazandum, aut scribendum, non est necesse, ut recipiat qualitatem, seu habitum, sed sufficit, quod per exercitium expellat impedimenta, quæ reperiuntur in nervis, & juncturis, vel in alijs partibus ipsius manus. Hoc patet in instrumentis artificialibus, quæ absque receptione alicujus habitus non ita bene in principio deserviunt, sicut postea, quando attemperantur, & disponuntur progressu temporis. Certum ergo est, quod ad hoc, ut aliquis sit omnino habilis, & promptus ad citharizandum, requiritur aliquis habitus, sed hic non recipitur in manu, sed in potentia intellectiva, bene percipientis regulas citharizandi.

14 Arg. 2., & potest esse replica contra hanc solutionem: juxta ipsam, manus citharizantis per usum citharizandi redditur habilis; sed præcisè redditur habilis per habitum, generatum, ex repetitione actuum citharizandi: ergo talis habitus recipitur in manu; & consequenter, &c. Prob. minor: hæc habilitas nequit provenire, nec ex dispositione physica, & organica manus, nec ex subordinatione manus ad phantasma, aut ad appetitum sensitivum, aut tandem, ad imperium voluntatis: ergo præcisè provenit, &c. Prob. ant. quoad prim. part.: non est excogitabilis dispositio

aliqua physica, & organica in manu, qua digitus citharizantis modo tangat hanc chordam, modo illam, satis remotam, ad hoc ut sonus fiat suavis, & dulcis: ergo non provenit, &c. Prob. quoad alias partes; nam experientia docet, quod quis potest esse expertissimus in facultate interiori ad sonandum, & tamen satis ignarus, & ineptus in facultate exteriori: ergo &c. Deinde: potentia interiores distractæ, aut versantes circa alia objecta, manus sæpenumero deserrimè citharizat: ergo hæc habilitas non provenit ex subordinatione manus, &c.

15 Resp. concessa majori argumenti sub eademmet distinctione, qua distinximus prop. Doct. argum. antec., negando absolutè min. Ad cujus prim. prob. dico, quod hæc habilitas potest considerari, vel ex parte ipsius manus tangentis, vel ex parte artis, qua tangit, ex quaque dependet, quod modò tangat hanc, modo illam chordam: utrumque enim requiritur, ut deserrimè citharizet: si enim attendatur præcisè ex parte manus physica, & organica, tunc non datur habitus, nisi pura ablatio impedimentorum, se tenentium ex parte manus. Ad habilitatem autem in secundo sensu requiritur habitus, sed hic residet in potentia interiori, & non

non in manu. Per quod resp. ad secundam part., quod dum quis est expertissimus in facultate interiori, & ineptus in exteriori, hæc ineptitudo, & inhabilitas provenit, non ex defectu habitus, sed ab impedimento existenti in manu. Similiter, dum potentia interiores distractæ, manus desterrimè citharizat, hæc desterritas provenit ab habitu residenti in potentia interiori, & non præcisè à manu, ut instrumento.

16. Quæres hinc: quodnam sit subjectum immediatum, receptivum habituum: an essentia animæ: an vero ejus potentia? Ratio dubitandi fundatur in ultimis verbis definitionis habitus, scilicet, in potentijs animæ. Thomistæ autem, maxime agendo de habitibus infusis, & præcipuè de habitu gratiæ, docent, quod subjectantur in essentia animæ. Sed Dico breviter: *habitus sive acquisiti, sive infusi, immediatè subjectantur in potentijs animæ; ita ut anima solùm sit subjectum remotum, potentia vero subjectum proximum.* Seu, quod idem est: anima est subjectum quod habituum: potentia vero subjectum quo. Ita Doct. in 2. dist. 26., aliisque locis. Prob. ergo in quoad habitus acquisitos: actus, & habitus in eodem subjecto proximo existere debent; sed actus, producens habitum, existit immediatè in potentia productiva ipsius: ergo, & habitus

producti. Minor constat, quia habitus non producit, nisi per actus immanentes; sed isti recipiuntur in suis potentijs: ergo, &c.

17. Prob. Conclusio quoad secundam part., impugnando sententiam Thomist., quoad habitum gratiæ præcipuè: in tantum habitus gratiæ subjectaretur immediatè in essentia animæ, in quantum habitus gratiæ distingueretur realitèr ab habitu charitatis; sed falsum est, quod habitus gratiæ distinguatur realitèr ab habitu charitatis; quia, ut videbitis in Theologia habitus gratiæ, & charitatis sunt idem habitus realitèr: ergo cum habitus charitatis immediatè subjectetur in voluntate, etiam & habitus gratiæ. Conf.: habitus gratiæ concurret immediatè ad actus supernaturales; sed supposito, quod habitus gratiæ subjiciatur immediatè in essentia animæ, implicat, quod concurret immediatè ad tales actus: ergo, &c. Prob. min.: implicat quod aliqua forma concurret immediatè ad actus alterius subjecti, realitèr distincti à subjecto, cui talis forma inest; sed forma gratiæ, juxta Th., inest immediatè essentia animæ, tamquàm subjecto: & aliundè juxta ipsos potentia animæ, à quibus eliciuntur immediatè actus supernaturales, distinguuntur realitèr ab anima: ergo, &c. Hæc sunt planè Theologica;

ca; quare ab ipsis superfedeo.

QUÆST. IV.

Quomodo habitus acquisiti concurrant cum potentijs ad suos actus producendos?

EX ipsomet titulo difficultatis, & etiam ex definitione habitus traddita quæst. 1. hujus, tamquam quid certum supponitur, habitum jubare potentiam ad elicentiam sui actus; hic enim est finis habitus, propter quem datur à natura. Dubitatur autem modò; quomodo concurrat: & in quo genere causæ? Et certè, ut verum fatear, quidquid aliqui Scotistæ dicant, Subt. Doct. non possumus alegare pro positivo Patrono alicujus ex opinionibus, hic versantibus, cum in 1. dist. 17. q. 2., & 3., ubi de hac difficultate tractat, problematicus maneat; quia proponit argumenta pro utraque, ipsaque solvit. Ex quo ergo quamplurimi Scotistæ cum communi Thomistæ, tenent, habitum concurrere effectivè cum potentia, ad productionem actus: & hoc non solum quoad modum, sed quoad totam entitatem, & substantiam actus. Sed hac opinione in sua proba-

bilitate relicta, quæ utiquè magna probabilitate gaudet, nedum extrinseca, sed & intrinseca, ut videbimus in argumentis, venia capta ex licentia N. Doct., sit

NOSTRA CONCLUSIO.

HABITUS acquisitus non concurrat effectivè cum potentia ad productionem sui actus; sed concurrat cum ipsa directive, ipsam informando in genere causæ formalis dispositivæ ad promptius operandum. Hæc conclusio, quamvis sit contra plures Scotistas, inter quos Nost. Mast. hic quæst. 5. est tamèn satis probabilis in via Doct. Prob. 1. à ratione: quod habet in se virtutem adæquatè productivam effectus, independentèr ab omni alio à se distincto non indiget illo alio ad productionem suorum effectuum, sed potentia intellectiva, aut volitiva v.g. habet in se virtutem adæquatè productivam sui actus, independentèr à quocumque habitu, effectivè concurrente: ergò habitus non concurrat effectivè, &c. Maior patèt. Probat. min.: potentia in productione sui primi actus non est minoris virtutis, quam quando postea producit secundum, aut tertium actum; sed experientia docet, nullam habitum existere in potentia, quando producit primum suum

suum actum; alioquin habitus non generaretur ex repetitione actuum: ergo potentia independenter ab habitu habet virtutem in se adæquatè productivam sui actus: ergo quamvis ex repetitione actuum generetur habitus qui inhæreat potentia, non tamen concurrit effectivè cum ipsa ad productionem sui actus; nam eo ipso, quod potentia sine habitu producat primum actum, producat similiter secundum, & tertium.

3 Prob. 2. Conclusio à ratione: posito habitu in potentia, quæro: vel potentia haberet tantum concursum ad suum actum, quantum haberet sine habitu: vel præstaret minorem? Si hoc secundum dicas, infero: ergo frustra superadditur concursus effectivus ex parte habitus. Prob. hæc conseq.: eo ipso, quod potentia cum habitu min. haberet concursum, quam sine habitu, quantum superadderetur de concursu habitus, tantum necessariò subtraheretur de concursu potentia; sed quis non videt, hoc esse superfluum, & frustraneum? Ergo frustra superadditur, &c. Si autem primum dicatur, scilicet, quod potentia cum habitu æqualem præberet concursum, quam sine habitu, infero: ergo concursus habitus cum potentia ad producendum effectivè actum, est absolutè impossibilis. Probat. hæc con-

seq.: impossibile est, quod idem numero effectus simul producat. à duplici causa totali, aut ab una totali, & ab alia partiali; sed dato, quod concursus potentia cum habitu foret tantus, quantus esset sine habitu, tunc concursus potentia esset adæquatus, respectu actus: & aliundè concurreret habitus, saltem ut causa partialis: erg. idem numero effectus dependeret ab una causa totali, & ab alia partiali. Hæ rationes sunt satis efficientes.

4 Alij autem Scotistæ sic ultra probant Conclusionem: si habitus concurreret effectivè cum potentia, ad producendum actum, tunc habitus esset potentia; sed hoc nemo concedit: ergo, &c. Prob. mai.: quod producit effectivè actum est potentia; sed habitus, juxta Adversarios, producit effectivè actum: ergo esset potentia. Conf.: si habitus concurreret effectivè ad productionem actus, habitus esset propter actum; sed habitus, juxta omnes, est propter potentiam, & non propter actum: ergo non concurrit effectivè ad ipsum. Noster Aureolus in 1. dist. 11. sic istam Conclusionem probat: talis est proportio habitus ad potentiam, qualis est acuminis ad ferrum; sed acumen in ferro nullam habet activitatem super actum divisionis, aut penetrationis: ergo nec habitus in potentia ullam habet ac-

tivitatem super actum, quem producit potentia habituata. Probat minorem: figura nullam habet activitatem; sed acumen in ferro solum est figura: ergo nullam habet activitatem. Sed certe hæ rationes, si earum maiores negentur, difficulter probabuntur: quare standum est duabus primis. Nunc verò

5 Prob. 2. pars Conclusionis, scilicet, quod habitus concurrit cum potentia directivè, ipsam informando in genere causæ formalis dispositivæ ad facilius, & promptius operandum. Et non potest melius probari, quam exemplis. Explicatur ergo 1. hoc exemplo: quamdò janua aliqua sustentatur novis cardinibus, difficulter circumducitur; postea vero per multas, & frequentatas circumvolutiones, maximam acquirit janua facilitatem ad circumvolvi; ita, quod si in principio difficulter circumvolvitur ab homine extrenuo, jam per repetitionem circumvolutionum, circumvolvitur à puero, mediante solo digito. Sit secundum exemplum: viatori Matritum pergenti, occurrit in itinere multiplicitas viarum, & ignorat, quænam istarum viarum carpenda sit? O viam fit ei pastor, qui ipsum in viam rectam dirigit. In hoc ergo casu pastor non concurrit cum viatore effectivè ad suum iter conficiendum, sed solum directivè. Idem ergo

pariformiter, proportionè servata, dicimus & nos de concursu habitus cum potentia. Vide, quæ diximus quæst. 1. hujus, agendo de muneribus habituum.

Solvuntur argumenta

6 **A**RG. 1.: si habitus non concurreret effectivè cum potentia, jam habituata, ad productionem suorum actuum, sequeretur, quod potentia nunquam posset habere actum intensiorem, quam est primus actus ipsius; sed hoc est contra experientiam: ergo concurrit effectivè. Prob. mai.: potentia in productione sui primi actus adhibet totum suum connatum: ergo si habitus non concurrit, &c. Resp. negando mai. Ad probat. disting. antec.: potentia *naturalis* in productione sui primi actus adhibet totum suum connatum; conc. antec.: potentia *libera*, nego antec., & consequ. Potentia igitur libera potest pro suo libito elicere actum magis, vel minus intensum ex maiori, vel minori connatu, quem sibi placuerit adhibere præsupposita semper cognitione objecti, quæ potest esse, aut confusa, aut clara, clarior, aut clarissima: unde

dè actus variabitur secundum intensiorem, ad propositionem confusam, vel claram objecti & ad maiorem, vel min. conatum ex parte voluntatis, absque eo, quod habitus effectivè concurrat.

7 Replicab. tamen, & quidem efficacitè: ergò quamvis in potentia libera possit bene salvari intensior actus, quam primus, quin habitus effectivè concurrat, ex maiori, vel min. conatu potentia, tamen potentia naturalis, qualis est intellectus, numquam poterit elicere actum intensiorem, quam est primus, nisi habitus cum ipso effectivè concurrat. Probat. hæc consequentia: causa naturalis qua naturalis, in elicentia primi actus adhibet totum suum conatum; siquidem de ratione causæ naturalis est, non solum agere quam citius potest, sed quantum potest: ergò postea in elicentia secundi actus nequit adhibere maiorem conatum; & consequentè, nec intensiorem actum elicere, nisi hæc maior intensio proveniat ab habitu effectivè.

8 Resp. disting. primum conseq. quoad secundam part.: ergò saltem causa naturalis, ut est intellectus, non potest, quantum est ex se præcisè, elicere actum intensiorem, quam primum, conc. conseq. quantum est ex parte aliorum com-

principiorum concurrentium cum ipso intellectus, & quorum unus est habitus, de quo hic est quest., nego conseq.: & concesso antec.; nego conseq. Itaque potentia naturalis, ut est intellectus, licet ex se sit naturalitè determinata ad faciendum quantum potest, seu usque ad ultimum de potentia, si non impediatur ab alijs concavis, tamen potest habere actum, longè intensiorem primo actu à se producto. Ratio est, quia mai. aut minor intensio actus provenit, non solum ab intellectu ipso, sed etiam à perfectiori applicatione objecti, & etiam ex perfectioribus speciebus, quas acquirit per intellectum agentem; quæ quidem species partialitè concurrunt cum intellectu effectivè ad productionem actuum: quare, quia istæ species possunt esse perfectiores in 2., & 3. actu, quam in 1.; similiter & applicatio objecti, hinc est, quod 2., & 3. actus possunt esse intensiores 1.

9 Sed quia aliqui Scristæ de his speciebus, concurrentibus effectivè cum intellectu ad productionem actus formant argumentum ad probandum, quod & habitus, notandum est ex 5. Doct. in 1. dist. 11. quest. 3. §. *Qui vult tenere quartam viam, v. ad aliud de scientia*; quod nulla istarum specierum est habitus de quo in presenti est quest. Accipite verba Doct.: *ista enim species* (loquitur de qualitate sci-

tifica derelicta in intellectu ex actibus frequentèr elicitis) præcedit naturalitèr primum actuum elicitum circa objectum, circa quod est: & licet ista species possit esse radicata in intellectu, & cum fuerit radicata possit dici habitus, non tamen est iste habitus, qui generatur ex actibus frequentibus, sicut dictum est. Idèò omnia verba; quæ loquuntur de specie tamquam de habitu, non procedunt ad intellectum hujus quæstionis. Hæc Doct. Ex quibus solvitur replica, quæ fieri posset. Verum ergo est quod ipsemet Doct. citat, §. Tenendo tertiam viam num. 6. probabiliter docet habitum effectivè concurrere cum potentia.

10 Arg. 2. : ars est habitus cum recta ratione factivus; sed nequit esse factivus, quin effectivè concurret cum potentia ad suum opus efficiendum: ergo concurret effectivè. Mai. est communis inter Philosophos. Minor ex ipsis terminis constat. Confirm. ex ipsemet Philof. 9. Metaphis. ubi ait: habitus est quo aliquid agitur dum opus est: ergo est activus: ergo concurret activè. Resp. dist. maiorem: ars est habitus cum recta ratione factivus, directivè, & facilitative, conc. mai. : elicitive, & effectivè, nego maior; & in versis terminis distinguo min., & nego conseq. Ad confirm. explicatur Arist. sub eis-

dem terminis. Habitus ergo est principium directivum, & facilitativum potentia; cum detur propter potentias: & sic de ejus natura non est concurrere activè ad actum.

11 Arg. 3. : quod ponit potentiam in actu primo operationis, concurret effectivè cum ipsa ad actum secundum; sed habitus ponit potentiam in actu primo operationis; cum præcedat actum secundum: ergo concurret effectivè cum ipsa ad actum secundum. Resp. disting. mai. : quod ponit potentiam in actu primo operationis eliciendæ ita ut præter ipsi virtutem ad eliciendum, talitèr, quod sine ipso non possit absolutè elicere, concurret effectivè cum ipsa ad actum secundum, conc. maior: quod ponit, &c.; si tantum ponit potentiam in actu primo quoad directionem, & quoad determinationem, ita ut potentia sine ipso possit absolutè, & simpliciter elicere actum secundum, nego mai. Inversis terminis disting. min., & nego conseq. Itaque habitus solum ponit potentiam in actu primo operationis, ipsam dirigendo, & determinando ad actum; non autem elicitive concurrente ad ipsum; quia potentia sine habitu potest absolutè, & simpliciter elicere actum, ut patet in primo actu, elicitio ab ipsa, dum non erat habitus. Vide dicta in

1. probatione Conclusionis.

12 Arg. 4. & potest esse replica solutionis ant.: illud quo non dato, deficit actus in aliquo entitativo, concurrunt effectivè ad talem actum; sed non dato habitu concurrente cum potentia effectivè ad actum, deficit actus in aliquo entitativo: ergo habitus concurrunt effectivè ad actum. Maior constat; quia illa entitas, quæ deficit actui sine habitu, dum est, ab aliquo effectivè producit: ergo ab habitu. Prob. min.: non concurrente habitu cum potentia, deficit ipsi intensio, quæ adest, si concurrunt habitus; sed hæc intensio est aliquid entitatis actus: ergo, non dato habitu deficit actus in aliquo entitativo. Resp. pro nunc omittit mai., de qua est, difficultas, negand. absolutè min. Et nego min. probationis, si absolutè sumatur; nam ex probationibus Conclus. satis constat, quod potentia sine habitu, dummodò sint cætera comprincipia, & non sit impedimentum, potest elicere actus, tam intensos, ac si esset habi. uata.

13 Arg. 5.: virtus est habitus, quo bonus efficitur homo, & quo benè opus suum ipse reddit, ex Aristotele 2. Ethicorum cap. 6.; sed virtus concurrunt effectivè ad bonum opus: ergo & habitus. Confirm. ex ipsomet Arist. 6. Et ycorum ubi dividit habitum in *activum*, & *effectivum*: ergo habitus, jux-

ta Arist., concurrunt effectivè ad actus. Resp. explicando prim. authorit.: virtus est habitus, quo bonus efficitur homo directivè, & dispositivè, conc. mai.: efficienèr, & elicitivè, nego maior. Secundam authorit. sic explico: habitus est actibus, aut effectivus, respectu directionis, aut dispositionis potentia, transeat mai.: respectu actus elicit ab ipsa potentia, nego maiorem. Concedimus ergo, habitum jubere potentiam, non tamen in genere causæ efficientis, sed tantum in genere causæ formalis dispositivæ. Explicatur hoc isto aptissimo exemplo. Imperator v. g. auget stipendium suorum militum ea intentione, ut acrius, & magis extrenuè pugnent. Per augmentum g. huiusmodi stipendij non concurrunt effectivè Imperator ad pugnam; benè vero dispositivè; in quantum augmentum stipendij est conditio, sine qua milites non tam extrenuè pugnarent. Sic de habitibus dicendum venit.

14 Arg. ultim.: sic se habent habitus supernaturales infusi recepti in suis potentijs, scilicet, in intellectu, & voluntate comparativè ad actus supernaturales; ita se habent habitus naturales acquisiti iisdem potentijs inherentes, respectu ad actus naturales; sed habitus supernaturales infusi concurrunt effectivè cum potentijs ad actus supernaturales eliciendos: ergo & ha-

Habitus naturales acquisiti ad actus naturales. In primis, qui teneret cum aliquibus Theologis, quod intellectus, & voluntas in se non sunt potentiae positivè naturales, nec positivè supernaturales, sed quod permisivè se habent ad unumquodque, ita quod si in ipsis recipiantur habitus naturales, dicuntur potentiae positivè naturales: & si habitus supernaturales dicuntur positivè supernaturales potentiae; qui hoc ergò teneret, faciliter responderet huic argumento, concedendo mai, ipsius, & negando absolutè min. Sed quia hic modus opinandi nunc temporis nullam, aut ad summum tenuissimam probabilitatem habet ideo.

15 Resp. directè negando mai. argumenti: est enim maxima disparitas inter habitus supernaturales, & naturales quoad suos respectivè actus. Ratio est; quia potentia rationalis sine habitu supernaturali infusso, non est principium proximè potens, sed ad summum remotè, & radicalitèr, & hoc partiale, producere actus supernaturales. Quapropter ad istos actus eliciendos inagret potentia habitu supernaturali ut comprincipio formali proximo agendi. Potentia autem rationalis sine habitu naturali acquisito est principium proximè potens elicere actus naturales, sibi proportionatos, & convenientes, ut patet in primo ac-

tu, elicitò sine habitu à sola potentia. Habitus supernaturales dant potentij simpliciter operari: habitus vero acquisiti solum dant ipsis secundum quid operari: hoc est: potentia cum habitu acquisito promptius, & expeditius operatur, quam sine habitu. De discrimine inter hos habitus plura videbitis in Theologia varijs in Materijs..

16 Replicabis tamen: ergo, juxta solutionem, habitus acquisitus jubat potentiam ad magis expeditè operandum. Nunc sic; sed habitus acquisitus non potest sic jubare potentiam, nisi augendo virtutem per se productivam actus, influendo in ipsum: ergò habitus acquisitus verè habet virtutem productivam actus. Probat. minor. subsumpta: talis habitus non potest augere virtutem ipsiusmet potentiae secundum suam entitatem: ergo auget virtutem per se productivam actus, influendo effectivè in ipsiusmet actum. Prob. antec.: intellectus, & voluntas v.g., utpotè potentiae spirituales & indivisibiles non possunt intrinsecè intendi, nec augeri secundum suas proprias entitates: ergò habitus acquisitus nequit augere virtutem productivam intrinsecam potentiae, secundum suam entitatem.

17 Resp. concedendo prim. consequentiam, & negando minorem subsumptam. Ad cu-

cujus probat. disting. antec. : talis habitus non potest augere virtutem intrinsecam potentiae, communicando potentiae novam efficientiam, con. antec. : determinando, & adjuvando efficientiam propriam potentiae, nego antec. ; & conseq. Verum itaque est, quod intellectus, & voluntas non possunt inveniendi secundum suas proprias entitates proprie rationem tractam in ipsomet argumento; possunt tamen adjuvari tales potentiae quoad efficientiam. Aliud ergo est adjuvare efficientiam potentiae; & aliud est dare tali potentiae novam efficientiam: primum faciunt habitus acquisiti: secundum vero nequeunt efficere. Non dubito, quod opposita sententia, ut dixi, in initio quaest., est valde probabilis, & fortè, ut aliqui dicunt probabilior extrinsecè, quam nostra. Qui voluerit ipsam sustinere solvat rationes à nobis propositas, & videat Mast. quaest. 5.

DISPUT. IV.

DE ANIMA VEGETATIVA,
ejusque potentijs.

EXPLICATIS his, quæ ad animam in communi, ejusque potentias, etiam in communi expectat, nunc des-

cendere necesse est ad species animæ, & cum vegetativa, communior sit sensitiva, & rationali, prius de ipsa venit agendum. Sed quia supposita notitia animæ in communi, & etiam supposito tract. de Generatione viventium, ubi ejus potentiae explicatae manent, nunc pauca restant dicenda, & nunc breviter ab hac Disp. expediemur. Sit ergo

QUÆST. I.

Quid sit anima vegetativa: à quoque producatur?

ANIMA vegetativa sic communiter definitur: *est actus primus corporis physici organici potentia vitam vegetantem habentis.* Bonitas hujus definitionis factis constat ex his, quæ diximus Disp. 1. huius, quaest. 1. Et quamvis hæc definitio ab aliquibus habeatur, ut quidditativa, & essentialis, sic tamen clarius, & descriptivè ab alijs definitur: *anima vegetativa est primum principium in viventi nutriendi augendi, & generandi.* Hæc definitio constat genere, & differentia; nam ly *primum principium, & radicale* se habet tamquam genus: reliquæ autem particulæ se habent ut differentia. Dicitur *descriptiva*; quia datur per ordinem

nem ad actus nutriendi, augendi, & generandi. Videte, quæ diximus loco citato, agendo de secunda definitione animæ, ut sic.

2 Dices tamen hic ex N. Villac.: illa definitio, quæ non convenit omni suo definito, non est bona; sed nostra definitio non convenit omni animæ vegetativæ: ergò non est bona. Prob. min.: esse principium generationis non convenit omni animæ vegetativæ; quia sunt quædam species plantarum, & animalium, quæ ex putri generantur: ergò non omni animæ vegetativæ convenit esse principium generationis. Resp. breviter, quod, licet aliqua anima vegetativa non sit principium generationis in actu secundo, ut patet in illis plantis, & animalibus, quæ ex putri generantur; tamen, ad esse principium radicale generationis, sufficit, quod, quantum est ex se, habeat principium generandi: quod certè omni animæ vegetativæ, prout *ly omni* supponit pro generibus singulorum, quamvis non pro singulis generum, convenit.

3 Sed quia hæc solutio magnam præferret difficultatem, ut enim benè notat N. Mast. hic num. 1. dantur aliqua vegetativa, quæ ita ex putri generantur, ut nullo modo ab intrinseco potentiam generativam ha-

beant. Cujus ratio est; quia, quod repugnat toti speciei, & omnibus individuis ipsius, hoc non solum ab extrinseco, sed etiam ab intrinseco convenit; cum ergo videamus quamplures plantas, immò, & animacula quædam non generari, neque ex vero semine, neque ex ovis, hinc est, quod anima vegetativa in ipsis non est principium radicale generandi. Quapropter, quamvis Philof. 2. de Anima, text. 49. eam definiat per esse principium generandi tale, quale ipsum generans est, dicendum est, quod Philof. non definiit animam vegetativam in communi, sed speciem magis notam, & perfectiorem in illa lynea. Vel sic definiit, ut omne genus vegetativi comprehenderet. In quoque sensu explicanda est etiam nostra Conclusio, & definitio.

4 Circa secundam part. quæst. recollenda sunt; quæ diximus Lib. 2. de Generatione, agendo de generatione viventium. Sed pro brevi resolutione notandum est, quod vivencia vegetativa, alia oriuntur mediante semine, ut quando seminatur triticum, & post, & iterum nascitur. Alia verò oriuntur ex putrida mere materia, ut videmus quotidie in pluribus herbis. Loquendo de utroque casu; Dico, quod anima vegetativa adducitur ex potentia
ma

materia, non quidem ab aliquo agente creato, sed à Deo, ibi operante, & concurrente, ut auctore naturæ. Prob. quoad utramque partem: quando vegetantia oriuntur mediante semine, tunc, dum producitur anima vegetativa, semen jam non est; siquidem est necesse, ut corrumpatur, ut possit formari corpus (idem dicendum est ex nascentibus ex puri materia); sed ibi nullum est aliud agens, quod possit producere animam vegetativam præter solum Deum: ergo quia anima vegetativa producitur à solo Deo, concurrente, ut Auctore naturæ. Vide quæ diximus Lib. 2. de Generatione cit.

QUÆST. II.

Quot sint potentia animæ vegetativæ: & quomodo inter se distinguantur?

CIRCA primam partem difficultatis communis sensus Philosophorum est, tres esse potentias animæ vegetativæ, sumendo omne genus vegetativum, scilicet, potentia nutritiva, augmentativa, & generativa. Et hoc satis constat ex tribus operationibus, quæ ipsi animæ vegetativæ conveniunt, scilicet, nutritio, augmentatio, & generatio. In hoc

ergo non est immorandum, sed solum explicare debemus officia, & munera harum potentiarum. Potentia ergo nutritiva deservit, ad hoc, ut vivens se ipsum conservet: augmentativa, ut perfectam quantitatem, seu molem acquirat: & tandem generativa, ut vivens se ipsum conservet, non quidem in individuo, hoc enim naturaliter impossibile est, sed secundum speciem. Sed nota hic, quod, quamvis per istas operationes reperiantur illi actus animæ vegetativæ, ut sunt *tractio alimenti, cibi concoctio, expulsio superflui, retentio necessarij*, aliisque similes; quia tamen istæ operationes famulantur tribus enumeratis; ideo solum tres enumerantur.

2 Pro 2. parte difficultatis nota, quod hæc potentia animæ vegetativæ possunt summi, vel incompletè, vel completè: incompletè capta, certum est, quod non distinguuntur, nec ab anima, nec inter se; quia prout sic nihil aliud sunt, quam partiales facultates animæ: completè autem sumptæ, constant, nedum ex facultate animæ, sed etiam ex organo: & de ipsis sic sumptis, procedit difficultas: quomodo inter se distinguantur? Nam quomodo ab anima, dictum manet Disp. 2. hujus q. 1. Circa quam difficultatem varij sunt modi dicendi. Alij absolute tenent, distingui realiter inter se.

Sic communis Thomist. : Alij è contra dōcent, nullo modo distingui, ut Durandus, Vallesius, Suarez 2. de Anima cap. 9. & 10. Quid nobis?

3 Dico: *potentia generativa distinguitur realitèr à nutritiva, & augmentativa: ista vero inter se non distinguuntur realitèr, sed formalitèr.* Prob. prima pars. Conclus. : in quolibet viventi datur potentia nutritiva, & augmentativa; sed non in quolibet viventi datur potentia generativa, ut diximus in secunda solutione argumenti propositi quæst. antec. : ergò distinguuntur realitèr. Consequentia constat; quia separatio est signum evidens distinctionis realis. Confirmatur: virtus seminalis non est quid vitale, hoc est, non informatur ab anima; sed potentia nutritiva, & augmentativa est vitalis: ergò, &c. Urgetur: potètiæ istæ, completèr sùptæ, sunt in subjectis, vel quasi subjectis realitèr distinctis; nam nutritiva, & augmentativa est per totum corpus dispersa; generativa vero in una determinata parte corporis: ergò realitèr distinguuntur.

4 Prob. 2. pars Conclus. : potentia nutritiva est realitèr ipsamet substantia vivens, quæ sibi novam substantiam acquirit; sed hæc eademmet substantia est quæ est productiva novæ quantitatis; & prout sic, est potentia augmentativa: ergò est

eademmet potentia realitèr. Prob. min. : talis nova quantitas, quæ acquiritur per augmentationem, non potest habere pro principio, sui productivo, nisi substantiam illam, quæ est principium nutriendi; quia nequit produci à qualitate, aut ab alio accidenti, cum ipsa sit receptiva ipsorum: ergò eadem substantia, &c. Tertia pars Conclusionis, scilicèt; quod distinguantur formalitèr istæ duæ potètiæ, satis constat ex eo, quod diversis quidditativis definitionibus definiantur, versentur circa diversos terminos, & quod una subordinetur alteri, quod sufficit ad inferendam distinctionem formalem.

5 Sed, ut omnis æquivocatio tollatur, advertendum est hic, quod, sicut potentia nutritiva in viventi non est una specie, sed multiplex; cum partes corporis viventis specie differant, & sint ethærogenæ; ita paritèr potentia augmentativa est etiam multiplex in viventi: sed cum hoc compatitur, quod respectivè sit eadem realitèr cum nutritiva, quæ in quolibet organo existit; nam eadem substantia, & eadem facultas illius utrumque facit, scilicèt, & producere substantiam viventis ex alimento, & simul educere quantitatem. Notate ultrà, quòd, dùm dicimus, potentiam generativam distingui realitèr, à nutritiva, & augmentativa, non

loquimur de istis præcisè , prout sunt in ipsomet organo potentia generativa ; prout sic enim non distinguuntur realitèr ; quia hic eademmet substantia se ipsam nutrit , auget , & semen producit.

6 Dices 1. contra prim. part. Conclusionis : Philosophus 2. de Anima text. 42. docet, quod eadem vis animæ sit , & nutriendi , & generandi : ergò anima nutritiva non distinguitur realitèr à generativa. Conf. : potentia nutritiva est formativa omnium membrorum , non minùs , ac generativa : ergò est eadem potentia. Deindè , versantur erga idem objectum , scilicèt , alimentum : ergò sunt idem. Conseq. constat ; quia potentia specificantur ab objectis. Resp. 1. ad auctoritatem Philos. , quod loquitur de ipsa anima in se vegetativa , non autèm de ejus potentijs formalitèr sumptis ; nam *ly vis* denotat virtutem radicalem. Sed resp. 2. ex dictis , quod Philos. loquitur de potentia nutritiva quoad part. correspondentem parti generativæ ; nam in his committantur vis nutritiva , & generativa.

7 Ad conf. resp. , quod potentia nutritiva est quidem formativa omnium membrorum , non tamen eodem modo , ac generativa ; siquidem hæc est formativa omnium membrorum primò , hoc est , non partialitèr ,

sed totalitèr , cum unica potentia omnia membra efformet , mediante virtute seminis : nutritiva autem est formativa membrorum partialitèr , & hoc immediate , per quod habetur sufficiens distinctio inter utramque potentiam. Ad ultimam probat. dicimus , quod , quanvis hæc potentia habeant idem objectum remotum , non autèm proximum ; ex alimento enim fiat duplex substantia ; una partialis , & animata , & hæc est objectum proximum potentia nutritivæ : alia autem est totalis , & inanimata , nempe semen , quod est objectum proximum potentia generativæ. Quare , licet utraque potentia respiciat alimentum , ut objectum remotum , non verò eodem modo , quod sufficit ad distinctionem.

8 Dices 2. contra secund. part. Conclus. : separatio est signum distinctionis realis ; sed potentia nutritiva , & augmentativa separantur : ergò & realitèr distinguuntur. Min. constat ; nam nutritio durat toto tempore vitæ , non vero augmentatio. Conf. : potentia nutritiva habet pro objecto alimentum , prout est *substantia* : augmentativa verò prout est quantum : ergò tales potentia distinguuntur. Resp. , concessa maior , negando min. Et distinguo ejus probat. quoad secund. part. : non verò augmentatio , quoad

connoratum, conc. antec. : absoluté, & in se, nego antec. Toto ergò tempore vitæ acquiritur quantitas; sed non ob hoc fit maius corpus ratione quantitatis acquisitæ; quia hæc solum deservit ad reparationem, & compensationem quantitatis deperditæ: & tempore incrementi deservit ad augendum; quia non deperduntur tot partes. Ad conf., concessio antec., nego. conseq.; nam solum inferitur distinctio actuum nutriendi, & augendi, non vero potentiarum. Vide Disp. 2. huius, quæst. 2.

DISP. V.

*DE ANIMA SENSITIVA,
ejusque potentijs in communi.*

POST animam vegetativam sequitur sensitiva, perfectior illa, rationalique imperfectior; ideòque medium locum occupare debet. In hac Disp. de ipsa in se: deque ejus potentijs in communi; de objecto, & de speciebus sensibilibus agemus; nam in sequenti de potentijs in particulari Tract. habebimus. Sit ergò

QUÆST. I.

An sit: & quid sit anima sensitiva?

I **C**IRCA prim. part. hujus difficultatis Cartesiani omnem animam sensitivam negant: docent enim, quod omne corpus de prædicamento substantiæ non distinguitur à corpore de genere quantitatis; sed quod sit ipsamet extensio partium sensibilis, quam sensibus percipimus: anima autem, inquirunt, nihil aliud est, quam ipsa substantia cogitans, aut, ut melius dicatur, ipsamet cogitatio: undè in brutis ratione, & cogitatione carentibus, nullam animam, sensum, aut sensationem admittunt. Et si eis opponas illos motus, quos experimur in brutis: respondent, ipsos provenire ex mera dispositione, & extructura artificiosa partium, quod parificant in Horologio, se movente. De hoc iam egimus Lib. 1. Physic. Disp. de forma. Quarè nunc breviter.

2 Dico, quod in brutis reperitur vere anima sensitiva, habens sensum, cognitionem, atque affectum; seu appetitum, eo modo, quo hoc explicabimus Disp. sequenti. Hæc conclusio ab aliquibus habetur, tamquam de fide.

Sed

Sed ab hoc abstinendo, certum est, quod deduci videtur ex elaris Sacrae Scripturae testimonijs. Prob. ergo 1. ex 1. Genes. v. 24., ubi dicitur: *producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terrae*: ergo bruta habent animam viventem, sed non rationalem: ergo sensitivam, & consequenter hæc datur. Conf.: brutis convenit mors, ut patet ex 7. Genes. v. 22. Item famēs, & sitis; sed hæc omnia sunt affectiones animæ sensitivæ: ergo in ipsis datur anima sensitiva. Tandem in Genes. 3. de de serpente dicitur, quod *erat calidior cunctis animantibus terræ*, quod certè absque cogitatione salvari nequit. Sed hoc pro nunc omisso, videndo tum in Nost. Frasem tum in Nost. Salmantino Gonzalez hic, & nostra Physica loco citato.

3 Quoad secund. part. quæst. dico, quod anima sensitiva sic rectè definiti valet: *est actus corporis physici organici, potentia vitam sensitivam habentis*. Vel penès ordinem ad suos effectus, sic describitur: *est principium primum, quo animal sentit*: hoc est: est forma illa animalis, quæ est principium radicale exercendi operationes sensitivas. Bonitas harum definitionum satis constat ex dictis Disp. 1. hujus, agendo de definitione animæ, ut sic; & Disp. ant. de

anima vegetativa. Quare amplius non immorandum in hoc. Sed ex hoc inferes, animam sensitivam esse formam substantialem, & non accidentalem: primò, quia est pars constitutiva per se animalis cum corpore organico, quod informat; tum, quia est principium primum, & radicale sensationum. Inferes 2. quod est materialis, & corruptibilis, corporique coextensa. Videte, quæ diximus 2. de Generatione, agendo de generatione viventium.

4 Dices tamèn 1. contra has definitiones: anima sensitiva, nedum est principium operationum sensibilium, sed & rationalium: ergo diminutè definitur anima sensitiva. Prob. antee.: plura bruta polent juditio, & discursu; sed hæc sunt operationes rationales: ergo &c. Prob. mai.: experientia canis, qui, si suum hærum sequatur, ab ipsoque tantisper discedat, medio olfatu cognoscit qua via determinata jerit, quamvis plures pateant viæ, per quas potuerit ire: quasi inferendo: non perrexit hac via, nec illa: ergo per istam; sed ad hæc requiritur juditium, & discursus: ergo &c. Deindè: optimè noscunt quamplurimas medicinas, cum ab eis homines plura remedia didicerint. Tandem: præsentunt pluvias, tempestates, & serenitates: ergo habent scientiam; & consequenter anima sen-

sitiva in eis est principium operationum rationalium.

5 Resp. negando antec. Ad prob. distinguo mai.: plura bruta polent iudicio, & discursu imperfecto, transeat maior: iudicio, & discursu proprie sumpto, nego mai. Eisdemque terminis distinguitur minor probationis. Itaque duplex iudicium assignari valet: unum imperfectum, & est quo merè incomplexe cognoscitur, unum non esse alterum: aliud vero perfectum, & est, quo affirmatur, aut negatur unum de alio, facta discreptione prius unius ab alio, Pariformitèr dicendum est & de discursu. Hoc ergò supposito, canis in multiplicitate viarum non percepto odore sui hæri in hac vel illa via, percepto vero in tertia pergit versus suum hærum non discurrendo, & inferendò, sed olfactum sectando. Ad illud de medicina, & astrologia, dicimus esse in ipsis instinctum naturalem, medio quo, sensitivè cognoscunt, & appetunt profiqua, & nociva fugiunt. De hoc amplius, dum de potentijs internis animæ sensitivæ Disputat. sequenti agamus.

6 Dices 2.: definitio animæ sensitivæ convenit alijs, à brutis: ergò non est recta. Prob. antec.: quamplurimæ plantæ sentiunt: ergo &c. Prob. antec.: plantæ refugiunt noxia, & quærunt profiqua, nam vitis re-

fugit laurum, & quærit ulmum: ergò, &c. Vidè hic Nost. Mast. num. 12., ubi agit de varijs *Plantanimalibus*. Resp. tamen negando antec., & antec. probationis, & distinguo imbibitam: vitis refugit laurum, & quærit ultimum appetitu elicitò, regulato per cognitionem sensitivam, aut intellectivam, nego: appetitu innato subsecuto ad instinctum naturalem: qui est in ipsis, ad fugienda noxia: & quærenda profiqua, conc. Hic ergò appetitus innatus, fundatus in instinctu naturali cujuscumque rei, ipsique indito ab Authore naturæ, non arguit animam sensitivam; sed sufficit anima vegetativa: fundatur enim in sympathia, aut antipathia qualitatum intrinsecarum rerum, dicentium inter se consonantiam, aut dissonantiam.

QUÆST. II.

Quæ sint potentia animæ sensitivæ: & quænam earum activitas?

I **N**OMINE potentie intelligimus principium proximum sensationum, radicum immediate in anima sensitiva, ad suas operationes sentientes elicendas. Itæ ergò potentie sunt tri-

triplicis differentiae, scilicet, *cognitiva, appetitiva, & locomotiva*; quasque nunc in communi breviter explicabimus, & subdividemus. Potentia *g*, *cognitiva* est illa, media qua animal percipit res sensibiles. *Appetitiva* vero est, qua appetit sibi commodum, & fugit à nocivo. *Locomotiva* est qua querit bonum sibi concupitum, & fugit à malo apprehenso. Nunc autem *cognitiva* subdividitur in *externam, & internam*, scilicet, in eam, quae inest partibus externis animalis, ut sunt quinque sensus externi; *visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus*. *Interna* est quae residet in partibus interioribus animae, ut *phantasia, imaginativa, aestimativa, & memoria*. Potentia *appetitiva* subdividitur in *concupiscibilem, & irascibilem*: prima est, qua animal fertur in bonum delectabile: secunda, qua removere impedimenta pugnantia cum ejus consecutione. *Locomotiva* subdividitur in *perfectam, & imperfectam*. *Perfecta* est, qua motus perfectus peragitur de loco in locum. *Imperfecta* vero est, quae causat motum localem, sed imperfectum, ut sunt dilatationis, & constrictionis.

2 Sed, ut hic omnis equivocatio tollatur, notandum est, quod licet haec tria genera potentiarum reperiantur in omni viventi anima sensitiva, non tamen necesse, quod sint in ip-

sis secundum omnes species potentiae; nam, ut experientia docet, quam plura sunt animalia, quae carent quibusdam sensibus internis, & externis: talpa enim caret visu, formica, & musca auditu. Similiter: & sunt multa, quae carent potentia locomotiva perfecta, ut dicitur de conchilijs, & alijs animalibus imperfectis. Sufficit ergo ad hoc, ut animal sit sensitivum, quod percipiat, seu sentiat hoc, vel illo sensu; interno, & externo, licet non omnibus, & singulis: quod appetat, quod locomoveatur, sive perfecte, sive imperfecte. De his ergo potentijs in particulari Disp. sequenti per totam erit specialis sermo. Unde, dicta hic sufficiant pro resolutione primae part. quaest.

3 Quoad secundam vero, in qua agitur de earum activitate, quaeritur: quomodo istae potentiae, maximè *cognitiva*, se habeant, respectu suarum sensationum: an scilicet habeant aliquam activitatem erga ipsas: an verò merè passivè se habeant? In hac difficultate quam plures Thomistae tenent, quod potentiae sensitivae nullo modo activè concurrunt ad sensationem, sed solum passivè, recipiendo in se sensationes, ab alia causa productas. Alij per oppositum tenent, potentias sensitivas esse tantum activas, non vero passivas; nam sensationes causant, non in se

ip-

ipsis, sed in organo. Tertia tandem sententia asserit, concurrere tales potentias activè, sensationes producendo, & passivè, eas recipiendo. Cum ista tertia sententia.

4 Dico, quod prædictæ potentia sensitivæ, completè sumptæ, concurrunt activè ad sensationes, eas producendo; & passivè, eas recipiendo. Conclusio est satis communis, & N. Doct. in 1. dist. 3. quæst. 7. num. 17. Probaturque prima pars: aliæ potentia vitales animæ vegetativæ, scilicèt, nutritiva, augmentativa, & generativa, concurrunt activè erga suos actus: similiter & potentia animæ rationalis, intellectus scilicèt, & voluntas: ergò pariter dicendum est de potentijs animæ sensitivæ. Confirm. ratione: actus vitalis necessariò debet produci ab aliquo principio, quod sit vitale; sed hoc ipso effectivè procedit, saltem partialiter à potentia sensitiva: ergò producitur. Prob. min.: species, vel objectum, quamvis concurrant ad sensationem non concurrunt ut principium vitale; cum in se vitales non sint: ergò necessariò debet concurrere potentia, ut principium, vitale sensationum.

5 Prob. secunda pars Conclus. ; scilicèt, quod potentia sensitivæ etiam se habeant passivè erga sensationes: sensa-

tio nequit recipi in organo; proinde præscindit ab anima: ergo debet recipi in ipsa potentia sensitiva. Prob. antec.: organum, proinde præscindit ab anima, non est vivens; sed sensatio est actus vitalis: ergò petit recipi in subiecto animato, & viventi, quale est potentia sensitiva informata ab anima. Confirm.: potentia sensitivæ immanentèr agunt: ergò recipiunt sensationes, quas eliciunt. Consequentia constat ex definitione actionis immanentis. Antec. prob.: potentia sensitivæ suismet operationibus vivunt in actu 2.; sed vivere, & semovere importat actionem immanentem, receptam in ipso agente: ergò, &c.

6 Dices contra prim. part. Conclus.: species se ipsa, & præscindendo ab omni alio, est representatio objecti: ergò, semel ac recipiatur in potentia sensitiva, objectum ille representat; & consequenter non est necessaria sensatio distincta ab ipsamet specie. Nunc sic; sed respectu speciei, potentia sensitiva merè passivè se habet: ergò, &c. Antec. patet ex Div. Aug. 11. de Trinitate cap. 2., ubi ait: *forma impressa visui ab objecto, dicitur viso.* Confirm. ex Philos. 2. de Anima Text. 118. ubi ait: *sentire, pati, quodam est.* Resp. disting. antec.: species se ipsa est representatio virtualis, & per modum principij quo partialis, pro-

producens simul cum potentia sensationem, quæ est formalis representatio objecti, conc. antec.: species se ipsa est representatio formalis objecti, nego antec., & conseq. Ad auctoritatem August., dico, quod intelligendus est in sensu causali, in quantum visio causatur partialiter ab ipsamet forma impressa, simul cum potentia. Ad Philosoph. dico, quod non negat, sensum esse activum, sed solum concedit passivum esse, quod ultro fatemur, & magis passivum, quam activum; quia bis patitur, & semel solum producit.

7 Dices contra secund. part. Conclus.: non omnis potentia sensitiva est passiva respectu suæ sensationis; ergo non tenet absolutè secunda pars conclus. Prob. antec.: potentia loco-motiva est potentia animæ sensitivæ, sed hæc non recipit suam operationem, scilicet, motum progressivum: ergo. &c. Resp. distinguendo antec.: non omnis potentia sensitiva est receptiva mediata, vel immediata suæ sensationis, nego antec.: immediatè præcisè, conc. ant.: Eisdem terminis distinguitur maior probationis. In primis ergo hic expressè non agimus de potentia loco-motiva: quia ejus actus, scilicet, motus localis, non est actus vitalis, & immanans, sicut sunt actus potentie sensitivæ, rigurose sumptæ, sive in-

ternæ, sive externæ, de qua precipuè hic quærimus, & etiam actus potentie appetitivæ. Deinde: falsum est, quod potentia loco-motiva aliquomodo non recipiat motum; quia quamvis primo, & per se ipsum non recipiat, tamen secundariò, & ratione totius est receptiva motus progressivi; quia ipsum causat in toto animali. De hoc quæst. ultim. Disp. sequentis

QUÆST. III.

Quid, & quotuplex sit objectum sensibile?

I NOTATE, quod sensus potest summi, & strictè, & latè. Primò, quatenus est una ex potentijs animæ sentientis, ut diximus quæst. ant.; & prout sic distinguitur sensus à potentia appetitiva, & loco-motiva. Secundò potest sumi largè, prout circumscribit omnem gradum vitæ, mediantem inter vegetabilem, & rationalem; & prout sic sensus dicitur principium radicale sentiendi, appetendi, & loco-movendi. In præsentī sumimus sensum in hac secunda acceptione. Similitè notate, quod sensibile objectum potest sumi secundum hanc duplicem accep-

tionem sensus, vel strictè, prout scilicèt est objectum unius potentiae animae sentientis, quae proprie sensitiva dicitur. Secundo largè, & ut est quid commune omnibus potentijs, quas anima sensitiva radicat; cum omnes istae potentiae sensitivae dici valeant. Undè sensibile, de quo hic, ex vi nominis idem significat, ac id, quod ab aliqua potentia sensitiva, & materiali sentiri, aut percipi potest.

2 Sed ultra advertendum est, quod sensibile adhuc dupliciter considerari valet; *formaliter, & fundamentaliter*. Sensibile formaliter sumptum dicit quandam aptitudinem, tanquam passionem objecti, media qua est potens concurrere ad actum sensus in se, & hoc: vel immediatè, vel media specie, movendo potentiam; & etiam ad illam terminandam. Sensibile fundamentaliter capsum dicit radicem talis aptitudinis, quae est ipsa entitas, & essentia objecti. De sensibilitate formaliter sumpta agemus postea, dùm de intelligibilitate objecti intelligibilis agamus. Nunc ergo de sensibili, fundamentaliter capto, largeque sumpto, pertractamus; de quoque quaerimus: quid sit; & quotuplex? Pro resolutione primae part. difficultatis

3 Dico, quod ens sensibile, concretivè sumptum sic rectè definiri valet: *est ens ma-*

teriale extensum, ac singulare, & accidentale, motivum, & terminativum sensus per debitam conjunctionem cum eo. Haec definitio communiter acceptatur à Philosophis. Sed nunc ex ipsa oritur difficultas erga conditiones, quae requiruntur ad hoc, ut aliquod objectum sit sensibile. Quatuor ergo in ipsamet definitione assignantur, scilicèt, quod sit ens reale prima: secunda, quod sit materiale extensum, & corporeum: tertia, quod sit singulare: quarta tandem, quod sit accidentale. Nunc breviter de qualibet ex his conditionibus: an sit necessaria, & quomodo, discutiemus.

4 Prima ergo conditio, scilicèt, quod sit ens reale objectum sensibile, ab omnibus ferè admittitur, & sic ejus necessitas breviter probatur: objectum per se sensibile mover sensum immittendo speciem sui in ipsum; sed haec species est ens reale: ergò objectum, ipsam causans necessariò debet esse ens reale. Maior, & minor constant, Conseq. prob.; quia non ens nequit causare, quod est ens. Nec contra hanc conditionem facit, quod dicit Pater Arriaga: bruta scilicèt apprehendere paras negationes, ut lucis, coloris, &c.; vident, enim ubi sunt portae, fenestrae, & terrentur umbra hominis. Non facit; quia haec omnia non sunt

ne-

negationes, aut privationes lucis, & coloris, his rigurose sùp'is, sed solum secundum quid, nam umbra dicit lumen quoddam secundarium figuratum ad figuram corporis, cuius est umbra. De hoc, dum de sensu visus agamus, ex professo aliqua dicemus.

5. Secunda conditio objecti sensibilis est, quod sit ens corporeum, & materiale. Hec etiam ab omnibus requiritur. Ratio est, quia ens spirituale nequit, saltem naturaliter à sensu corporeo attingi: ergò objectum sensus materialis debet esse materiale, & corporeum. Sed: an hæc conditio sit ita indispensabilis, & necessaria ad rationem objecti sensibilis, ut nec de potentia Dei absoluta possit à Deo dispensari: vel elevando potentiam sensitivam, oculum v.g., ad videndum, & attingendum objectum spirituale; vel de novo producendo aliquam potentiam materialem tantæ activitatis, & virtutis, ut possit attingere objectum spirituale? Acriter disputatur in Theologia, materia de Visione Dei. Communiter Scotistæ, & Thomistæ partem negativam sustinent, sive difficultas proponatur in primo, sive in secundo sensu. Undè ex consequenti dicunt, quod hæc secunda conditio est necessaria, tam naturaliter, quam supernaturaliter loquendo, respectu objecti

sensibilis. Nobis sufficit, quod naturaliter loquendo ab omnibus admittatur.

6. Tertia conditio objecti sensibilis est, quod sit singulare. Necessitas hujus conditionis sumitur ex Philos. de Anima Text. 60., ubi docet; scientiam esse universalem, sensum verò singularium: ergo objectum potentie sensitivæ debet esse singulare. Sed quia in cognitione singularium tria reperiuntur, scilicet, natura specifica, seu communis, singularitas, seu hæcceitas: & tandem ipsum nec singulare, concretivè sumptum, constitutum ex natura communi, & singularitate, hinc apud Philosophos controversitur: quodnam sit principium quo, seu ratio formalis movendi sensum in singulari: an scilicet natura communis singularis: an verò ipsamet singularitas. Undè, non est difficultas de principio quod; nam certum est, quod ipsum nec singulare est id, quod percipitur, se habens, ut principium quod movendi sensum. Difficultas ergo procedit de principio quo. Et.

7. Dico: ratio movendi sensum, seu principium quo producendi speciem, est ipsa natura communis, singularitate se habente, ut conditione sine qua non. Hæc Conclusio est contra communem Thom., negantium distinctionem aliquam actû à parte rei inter na-

turas communes, & rationes individuales. Est tamen N. Doct. in 2. dist. 3. q. 1. num. 4. Et in 3. dist. 14. q. 3. in fine. Prob. 1. efficaciter ex ipso: objectum secundum illud, movet potentiam, secundum quod apprehendit illud; sed potentia sensitiva apprehendit singulare secundum naturam communem, & non secundum singularitatem: ergo objectum, &c. Maior constat; quia ratio movendi est etiam ratio cognoscendi. Prob. min.: si potentia sensitiva cognosceret objectum sub ratione singularitatis, posset illud distinguere ab omni non habente talem singularitatem; sed falsum est, quod sensus possit distinguere, aut ponere differentiam inter duo singularia, præcisis omnibus extrinsecis accidentibus, scilicet, figura, situ, & tempore, manentibus solum naturis, & singularitatibus illorum: ergo potentia sensitiva non apprehendit singulare secundum singularitatem, sed secundum naturam communem. Maior constat; quia principium constitutivum rei est distinctivum ipsius ab omni non ipsa: undè potens sensus cognoscere objectum sub aliqua ratione, quæ non est in alio, posset etiam ab illo alio distinguere.

8 Prob. min., & urgetur amplius: si accidentia extrinseca duorum singularium essent omninò similia, non posset sensus, unum ab altero dis-

tinguere; sed si singularitas esset ratio formalis movendi sensum, distingueret unum singulare ab alio; cum singularitas non sit ratio assimilandi, sed distinguendi: ergo quia sensus nequit ponere differentiam inter duo singularia, nedum independentè ab accidentibus extrinsecis, sed etiam ipsis stantibus omninò similibus. Maior discursus constat varijs exemplis; nam duo radij solis, duæque flammæ, quæ citò transeunt, & innovantur, nequeunt distingui à sensu. Similiter, si duo homines sint omninò similes inter se, vel pone duo ova omninò similia, simulque compenetrata in eodem loco, cerè sensus nullam differentiam potest ponere inter hæc singularia: ergo quia ratio movendi ipsum non est singularitas, sed natura communis.

9 Prob. 2. alia ratione Doct., qua etiam prob. 2. pars Conclusionis: principium formale, seu ratio formalis agendi in actione reali, est solum natura communis, non verò singularitas; quia ista in omnium sententia, solum se habet ut conditio, sine qua non: ergo pariter in actione intentionali principium formale ipsius erit natura, & singularitas se habebit, ut conditio. Prob. conseq.: ideò in actione reali principium formale agendi est natura communis, & non singularitas, quia tale
agens

agens intendit assimilare sibi passum, quod non efficit in singularitate, sed in natura; sed in actione intentionali, per quam objectum intentionaliter assimilatur sibi potentiam media sensatione, hoc intervenit: ergo quia natura est ratio movendi, & singularitas se habet, ut conditio, sine qua non.

10 Dices tamen 1. contra istam Conclus.: si sensus perciperet singulare secundum naturam communem, & non secundum rationem formalem singularitatis, sequeretur, quod sensus esset potentia abstractiva, & præcisiva, non minus, ac intellectus; sed hoc est falsum: ergo quia singularitas est ratio formalis, &c. Prob. sequela: tunc sensus cognosceret naturam singularis, non cognita ejus singularitate; sed hoc est propriè præcingere: ergo esset præcisiva. Confirm.: quia si singularitas non esset talis ratio formalis, sequeretur, quod singulare ut sic, non haberet propriam speciem sui in sensu; sed hoc est absurdum; quia sensus non percipit naturam universalem, sed singulare, cum sensus sit singularium: ergo quia singularitas, &c.

11 Respondeo negando sequelam maioris. Ratio in primis est; quia illa potentia est abstractiva solum, quæ concipit objectum, includens plures rationes cognoscibiles secundum

nam rationem illarum, abstractendo ab alia, prius cognita. Et hic modus concipiendi convenit solum intellectui, non verò sensui; sensus enim, cognoscendo naturam communem, saltem obscure, & confusè cognoscit singularitatem; quia inter naturam, & singularitatem non distinguit, nisi per differentias individuales extrinsecas. Intellectus autem cognoscit distinctè naturam, non cognita, adhuc confusè, singularitate; quia distinguit naturam à singularitate per propria, & intrinseca ipsarum: unde intellectus potest præcingere, secus verò sensus: & per hoc patet diversus modus, quo intellectus percipit singulare, a modo, quo ipsum concipit sensus. Ad confirm. nego etiam sequelam; quia ipsum singulare, in quantum est principium, quod cognoscitur, est quod habet speciem sui in sensu, quamvis ratio cognoscendi non sit singularitas ejus, sed natura communis, cum ipso identificata realiter.

12 Dices 2.: species est representativa illius, à quo producitur secundum illam rationem formalem, sub qua producitur; sed species producitur ab objecto, ut singulari; quia actiones sunt singularium: ergo, quod per talem speciem percipitur,

tur, est singularitas, & non natura, & consequenter, &c. Conf.: omnis sensatio est singularis: ergo objectum, à quo causatur, etiam est singulare; & consequenter singularitas est ratio formalis causandi. Resp., concessa maiori, distinguendo min.: sed species producitur ab objecto, ut singulari, ly *ut* dicente conditionem movendi, conc. min.: dicente rationem formalem, nego minorem, & conseq. Verum est, quod species gignuntur ab objecto, ut singulari; quia cum singularitas sit conditio agendi, & necessariò requisita, potest dicere reduplicationem conditionis, ut dum dicimus: *ignis, ut applicatus; comburit*; ubi reduplicatio applicationis se habet, ut mera conditio. Ad confirm. conc. enthymema, sed nego, quod singularitas sit ratio formalis movendi, sed solum conditio.

13 Dices ultimò: sensus percipiunt, & distinguunt unum, ab alio ratione singularitatis: ergo singularitas est ratio movendi. Prob. antec.: sensus distinguit maius album, à minori albo; maioremque sonum à min.; sed hoc facit ratione singularitatis, & non naturæ communis; cum in ipsa convenient majus album, & minus album: ergo, &c. Resp. disting. antec.: sensus distinguit unum ab alio ratione singularitatis, sumptæ penes differentias extrinsecas individuales, conc. antec.: sumptæ

penes differentias intrinsecas: go antec. Eisdem terminis distinguitur minor probationis, & negatur consequentia. Itaque verum est, quod sensus distinguit maius album à minus albo, &c.; sed hoc facit penes gradus; quæ quidem in qualitate se habent, ut conditiones individuantes extrinsecæ; nam accidunt naturæ specificæ: undè bene potest sensus per istos gradus discernere magis album à minus albo, quin attingat differentiam individualement intrinsecam.

14 Quarta tandem conditio objecti sensibilis est, quod sit accidentale. Hec ponitur à N. Doct. in 1. dist. 3. q. 3., alijque in locis: Expressive habetur à Philof. 2. de Anima Text. 63., & 65., ubi docet nullam substantiam esse per se sensibilem, sed sentiri medijs accidentibus. Prob. breviter necessitas hujus conditionis: substantia non est sensibilis aliquo sensu interno; quia, ut dicemus quæst. ult., substantia non habet propriam speciem sensibilem; sed aliunde non est sensibilis sensu aliquo externo: quia hi solum pro objecto respiciunt aliquod accidens, ut ex professo dicemus Disp. sequenti, agendo de sensibus externis: ergo substantia non est sensibilis per se: ergo objectum sensibile solum est accidens. Confirm.: quia si substantia esset per se sensibilis, possemus, per speciem ejus cognosce-

tere ejus præsentiam, & absentiam; sed hoc est falsum; quia alias possemus naturaliter cognoscere absentiam substantiæ panis in Sacramento Eucharistiæ, quod nequit dici: g.

15 Sed, ut circa istam conditionem omnis æquivocatio tollatur, notandum est, quod ipsa essentialiter convenit objecto sensibili per se, non autem objecto sensibili per accidens, ut ita dicemus. Ultra advertendum est, quod ens sensibile dupliciter sumi potest, vel pro eo, quod ex se est tale, vel pro eo, quod circumscribit aptitudinem illam in substantia ad recipiendam accidentia, verè sensibilia. In præsentem loquimur de sensibili in primo sensu, & hoc necesse debet esse accidens; non autem in secundo; quia prout sic verum est, quod substantia materialis, & corporea dicit talem aptitudinem per se; & consequenter in hac secunda acceptione potest dici per se sensibilis. Tandem nota, quod dum dicimus, quod objectum sensibile debet esse accidentale, non per hoc dicimus, quod omne accidens sit per se sensibile; quia relationes nullo pacto sentiuntur; immò nec omnes qualitates, ut constabit ex postea dicendis. His animadvertis, facile solvantur objectiones, quæ contra istam conditionem ponantur, & etiam, quod ait N. Gonzal. hic quaerit

4. num. 34. in fine.

16 Circa secundum, quod quaeritur in titulo quaeritur, dico, quod sensibile primò dicitur in sensibile per se; & sensibile per accidens. Sensibile per se est illud, quod ex se habet vim immutandi aliquem sensum, & immediatè terminat actum sensationis, ut color visum, & sonus auditum. Sensibile verò per accidens est illud, quod non percipitur immediatè per sensationem, sed solum dicitur sentiri: vel quia subest objecto sensibili per se; vel quia est causa sensibilibus per se, vel tandem, quia est unum cum objecto sensibili per se. Primò ex his tribus modis dicitur substantia sentiri; quia concurrat ad sensationem substantando accidentia, quæ sunt per se sensibilia. Secundo modo etiam sentitur substantia, in quantum est productiva caloris frigoris, &c., quæ sunt qualitates per se sensibiles. Tertio tandem modo sentiuntur relationes similitudinis, æqualitatis, imitationis, &c., quæ quidem à nobis possunt dici sentiri ratione fundamenti, & subjecti, cui uniuntur; nullo autem modo ratione sui; quia nequeunt sensum immutare, aut terminare.

17 Sed, ut natura sensibilis per se melius percipiatur, notate, quod, quamvis dicamus, esse illud, quod ex se habet vim im-

immutandi aliquem sensum immediatèque terminandi sensationem, hoc ità debet intelligi, quod non excludans consortium alterius quoad actualem mutationem, aut terminationem sensus; nam color v.g. nequit immutare sensum visus sine lumine: & universalitèr sensibilia communia nequeunt immutare sensum seorsim à proprijs. Sufficit ergo, quod ex se, & secundum suam entitatem possint sensum immutare, ab eoque percipi, quamvis ad eliciendam sensationem egeant aliisque conditionibus.

18 Sensibile ergo per se subdividitur in sensibile *proprium*, & *commune*: primum est, quod ab unico tantùm sensu percipi valet, ut color à visu, & sonus ab auditu. Sensibile commune est, quod à pluribus sensibus attingi valet, ut magnitudo, quæ à visu, tactu, & auditu percipi potest. Sed est notandum, quod ut sit sensibile commune, non est necesse, quod percipiatur ab omnibus sensibus; proût sic enim solùm sunt quædam accidentia, quæ aequalitèr videntur ab omnibus sentiiri; sufficit enim, quod à duabus sentiatur, ut sit commune, sicut patet in exemplo alato. Nota etiam, quod sensibile proprium solùm datur respectivè ad sensus externos, non verò in ordine ad internos. Ratio est; quia sensus externi

unusquisque habet suum proprium sensibile, ut Disputatione sequenti dicemus. Sensus autem interni non sic; quia nihil percipitur à sensibus externis, quod ab internis percipi non valeat: sicut etiam nihil percipitur ab internis, quod sub aliquo externis non cadat.

19 Ex his habes, quod sensibile proprium subdividitur in quinque sensibilia, correspondentia quinque sensibus externis, de quibus postea. Similitèr sensibile commune juxta Philos. hic text. 64. in quinque subdividitur, scilicèt, in motum, quietem, figuram, numerum, & magnitudinem. Sufficientia huius divisionis constat; primò quia motus percipitur à visu, & tactu, & juxta aliquos ab auditu, olfactu, & gustu; nam per sonum, & odorem aliquomodo cognoscimus, quod sensibile accedit, vel recedit à nobis, & similitèr, si cibus in ore moveatur, etiam ejus gustus percipitur. Quies per eosdem sensus sentitur, quia oppositorum eadem est ratio. Deindè numerus percipitur ab omnibus sensibus. Figura à visu, & tactu; sicut etiam magnitudo. Ad ista quinque sensibilia, vel ad aliquod ex ipsis aliæ differentie, ut asperum, lenè, acutum, obtusum, situs, distantia, &c., possunt reduci. Vide N. M. ut hic q. 3. in fine. Sed, ut omnis æquivocatio tollatur.

20 Notate, quod omnia hæc quinque sensibilia possunt sumi; vel formalitèr, vel materialitèr: si formalitèr sumantur, important, vel relationes reales, ut motus, figura, quantitas: vel relationes rationis, ut numerus; vel tandem carentiam, & privationem formæ, ut quies. Si autem materialitèr accipiantur, dicunt res subtractas, aut denominatas earum formis. Numerus enim materialitèr sumptus dicit res numeratas: figura partes rei, sic inter se dispositas: motus partes successivè fluentes: quies permanentiam rei in eodem statu: & tandem magnitudo, prout dicit fundamentum relationis. Hoc ergo notato, dum dicimus, sensibilia communia per se percipi à sensibus, loquimur de illis materialitèr sumptis, sub ea ratione, qua subijciuntur talibus formis; non autem de ipsis formalitèr acceptis; quia prout sic, non percipiuntur à sensibus, nisi ad summum per accidens, modo iam dicto, agendo de sensibili per accidens

* * *

QUÆST. IV.

Resolvuntur aliqua dubia de potentia sensitiva, relatè ad suum objectum.

Dubitabis 1. : an sensibile commune possit percipi sine sensibili proprio: aut proprium sine communi? Quid sint hæc sensibilia, manet iam explicatum. Undè, quod quaeritur est: an magnitudo v. g., quæ est sensibile commune, possit percipi à visu, qui est ejus sensibile proprium? Resp. negativè: & prob. brevitér: sensus nequit præcindere; sed si posset percipere commune sine proprio, aut è contra, esset præcisivus: ergò, &c. Nec dicas, quod sensus visus à longe videt magnitudinem corporis, quin videat colorem; nam falsum est, quod absque ullo lumine possit ipsam videre, & tunc etiam percipit aliquomodo colorem. De hoc q. seq., dum de causis specierum sensibilibium agamus; & etiam Disputat. seq. de sensibus in particulari.

2 Dubit. 2. : an sensus possit decipi circa suum sensibile proprium? Quod possit errare sensus circa sensibile commune, expressè habetur apud Philof. 2.

de Anima text. 63. : & etiam ipsamet experientia suadet ; nam visus decipitur erga magnitudinem alicujus rei , eam ut parvam in quantitate reputando , cum in rei veritate magna sit , uti sol , qui apparet minor terra ; cum in rei veritate pluries maior sit illa. Idem constat in alijs sensibilibus communibus. Unde difficultas procedit de sensibili proprio. Et non est dubium an omnibus suis actibus decipiatur ; quia certum est , quod non semper decipitur ; quia cum omnis nostra cognitio ortum ducat à sensibus , sequeretur , quod nulla daretur cognitio vera , certa , aut scientifica. Unde difficultas est : an aliquando possit errare ?

3 Pro cujus clara resolutione notate , quod sensus requirit quatuor conditiones , ne erret circa suum sensibile proprium. Prima est , quod sensorium , sive organum sensus , sit bene dispositum ; defectu istius conditionis infirmus sentit amaritudinem in cibo dulci. Secunda conditio est , quod inter sensum , & sensibile non detur aliquod impedimentum ; defectu cuius decipitur oculus , percipiens baculum in aqua existentem , ut curvum , aut fractum. Tertia conditio est , quod obiectum sensibile , & sensus sint in debita distantia : ratione hujus aliqua , à longè apparentia , percipiuntur aliter , ac sunt in

se. Quarta tandem conditio est , quod obiectum sit proportionatum ad movendam potentiam sensitivam : defectu cujus non videntur atomi solares , nisi quando intrant per aliquod foramen , aut fenestram. His notatis ,

4 Dico , quod *stantibus istis quatuor conditionibus , nequit sensus decipi circa suum sensibile proprium : bene verò , si deficiat aliqua ex ipsis.* Hæc Conclusio sic explicata , videtur reconciliare varios modos dicendi , qui in hac materia sunt : per ipsamque explicatur autoritas Philof. aientis ; *nos creare posse circa sensibile commune , non circa proprium.* Prob. breviter : omnis nostra cognitio pro statu isto ortum ducit à sensibus ; sed si sensus erraret erga suum sensibile proprium , stantibus omnibus prædictis conditionibus , sequeretur , quod pro statu isto nulla daretur cognitio certa : ergò , ne admitteretur tale inconveniens , dicendum est , &c. Probari etiam poterat ex illo Apost. : *fides ex auditu* ; sed fides non esset certa , si auditus falleretur : ergò , &c.

5 Per hoc patet , quid respondendum sit ad varias experientias , quæ à Contrariis obijciuntur contra nostram Conclusionem : prima est de visu , qui percipit colores in Iride , qui quidem ibi non sunt. Secunda in gustu , multoties percipiente ut à amarum , cum in se dulce sit.

Tertia in baculo recto, qui in aqua percipitur, ac si fractum aut curvum esset. In his, similibusque experientijs deceptio sensus provenit ex defectu alicujus conditionis, vel ex parte organi, ut in infirmo, vel ex parte medij, per quod deferuntur species sensibiles ad sensum; nam si hoc sit alio colore tinctum, reddit objectum aliter visibile, ac est in se: sic evenit in Iride, & vaculo, existente in aqua: vel tandem ex parte objecti, ut si hoc non sit in proportionata distantia: Undè sempèr sequitur, quod error sensus erga suum sensibile proprium proveniat ex defectu alicujus conditionis ex quatuor supra assignatis.

6 Dubit. 3. : utrum sensibile positum supra sensum, faciat sensationem? Aliqui Auctores absolute respondent negativè. Ratio ipsorum fundatur in tertia conditione, difficultate antec. assignata, scilicèt, quod objectum sensibile, & sensus debent esse in debita distantia. Nunc sic; sed inter sensibile positum supra sensum, & ipsum sensum nulla datur distantia: ergò non facit sensationem. Resp. tamen melius cum communi sub distinctione: inter sensibile positum supra sensum (maximè supra sensum gustus, & tactus: & etiam probabiliter auditus, & olfatus) datur sensatio: non vero inter sensibile

positum supra sensum visus. Secunda pars resolutionis consistit ipsamer experientia; nam nos non videmus res, nisi aliquantùm distent; cum objectum visibile, ut immutet potentiam, debeat illuminari. Prima pars quoad gustum, & tactum, etiam docetur ab experientia; nam sapor, & res tangibilis tunc percipitur, dum est conjuncta sensui: quod et de auditu ostenditur, dum sibillus percipitur intra organum ipsius: similiter, & odor multiplicatus immediatè unitur organo narium. De hoc amplius, dum de singulis sensibus in particulari agamus.

7 Dubit. 4. : an nimium sensibile lædat sensum? Non loquimur in presenti de objecto sensibili in quantum est agens physicum; ignis siquidem, in quantum agit actione physica, producendo ignem, aut calorem vehementem in manu, vel oculo, certum est, quod ipsum lædit, & immutat. Loquimur ergò de sensibili, intentionaliter agente, seu in quantum producit species sensibiles. De quo, sic sumpto, dico, *quod objectum nimis sensibile lædit sensum.* Est N. Doct. in 4. dist. 44. quæst. 3. §. *ad questionem.* Prob.: lux, & albedo nimis intensa, adeò disgregat visam, ut ipsum attenuet, debilitetque: similiter magnus fragor, & strepitus lædit auditum; sed hoc non fit nisi

per species sensibiles ; cum quamplurimæ ex istis nullam qualitatem naturalem producant , media qua physicè lædant sensum ; quia non sunt activæ : ergo ipsum lædunt , in quantum agunt intentionalitèr , producendo species sensibiles.

8 Sed ut hoc meliùs percipiatur , notate cum Nost. Doct. cit. , quod , licèt species objecti , vehementèr sensibilis , nullam oppositionem dicat immediatè cum qualitatibus organi sensorij , dicunt tamen oppositionem mediatam , & per accidens cum sensu , & ejus qualitatibus. Explicatur : objectum , nimis excedens , aut causat vehementem dolorem in organo , & hic dolor saltim indirectè destruit connaturale temperamentum ipsius : aut propter sui excellentiam exigit magnam applicationem potentie , & hæc requirit magnum concursum spirituum ; qui spiritus nimio calore suo alterant proprium temperamentum organi. Undè , licèt species sensibiles in gradu excellenti non lædant per se sensum , possunt tamen ipsum lædere secundariò , & per accidens.

9 Dubit. 6. : an ultirà speciè objecti requiratur præsentia ipsiusmet objecti ad eliciendam sensationem ? Notate , quod non procedit difficultas præsens de sensibus internis , qualis est actus phantasiæ v.g. ; quia cer-

tum est , quod non requiritur præsentia objecti ; sed sufficit ejus species ad sensationem internam eliciendam ; nam absente objecto , multotiès recordamur ipsius , & hoc sive in vigilia , sive in somno. Undè difficultas procedit de sensu externo. Dico ; *quod sensus externus naturalitèr loquendo , requirit præsentiam sui objecti sensibilis.* Prob. cognitio sensuum externorum est intuitiva ; sed de ratione intrinseca cognitionis intuitivæ est dicere respectum transcendentalem ad objectum in se præsens : ergò sensus externus requirit præsentiam objecti. Minor constabit ex dicendis. Disp. de intellectu , agendo de cognitione intuitiva , & abtractiva.

10 An autem , saltim supernaturalitèr loquendo possint sensus externi ferri in objectum absens ? Est maior difficultas. Casus est : demus , quod Deus supernaturalitèr operando , producat visionem alienjus objecti absentis potentie ; & quod talem visionem infundat oculo ; quaeritur modò : an oculus possit tendere in tale objectum absens ? Nost. Mast. negativam partem sustinet ; quia sensus externus ex propria natura habet , ut intuitivè operetur ; sed talis cognitio objecti absentis non posset ferri adhuc supernaturalitèr in objectum absens media visione , à Deo producta. Sed certè hæc

ratio non totaliter urget; quia licet major Mastrij probet naturaliter loquendo, non tamen probat, quod in alia providentia nequeat dari cognitio sensus externi, quae non sit intuitiva, sed abstractiva; nam semel, ac admitatur, Deum posse producere tales species in oculo, necesse est fateri, visionem habitam medijs ipsis esse abstractivam. Unde utraque pars est satis probabilis.

11 Dubit. ultimo: an objectum sensibile, ut sentiatur, debeat existere modo divisibili, & extenso: an vero sufficiat, quod indivisibiliter, & inextense existat? Notate, quod haec difficultas est valde diversa ab illa, quam supra quaest. 2. agendo de secunda conditione objecti sensibilis, scilicet, quod sit ens corporeum, & materiale, examinavimus: ibi enim loquebamur de re corporali, ut contradistincta a spirituali: hic autem agimus de re corporali in se, sed ut existente modo spirituali. Et quamvis haec difficultas possit esse communis omnibus externis: quaeritur praecipue de visu: & specialiter quaeritur: an Corpus Christi existens in Eucharistia modo indivisibili, & inextenso, possit videri oculo corporeo: & hoc vel naturaliter, vel ad minus supernaturaliter? Quidquid enim de sensu visus dicatur de alijs sensibus externis

est & dicendum comparative ad sua objecta. Opiniones, quae hic versantur relinquo videndas in Nost. Mast. hic quaest. 7. num. 238.

12 Dico: *Corpus Christi Domini, ut existit in Eucharistia, nec naturaliter, nec supernaturaliter potest videri oculo corporeo.* Est Nost. Doct.: in 4. dist. 10. quaest. 9. Probat. 1. pars: Corpus Christi Domini, ut existit in Eucharistia nequit mittere speciem sui in oculum: ergo nequit naturaliter videri. Probat. antec.: agens naturale, ut naturaliter agat requirit condiciones naturaliter requisitas ad agendum; sed has non habet Corpus Christi, ut existens in Eucharistia: ergo nequit mittere, &c. Prob. min.: una, & principalis conditio agentis naturalis ad agendum est, quod sit naturaliter praesens, & aproximatum passo localiter; sed Corpus Christi in Eucharistia non habet connaturalem praesentiam nec est oculo aproximatum localiter; quia non est ibi ut in loco naturali: ergo, &c. Confirm.: species naturaliter, producit ab objecto divisibiliter, hoc est, tota a toto objecto, & pars a parte: & divisibiliter etiam representat objectum: ergo talis species nequit sic produci a Corpore Christi, ut existente in Eucharistia; cum ibi existat indivisibiliter, & casu quo

quo produceretur, non posset illud indivisibilitér repræsentrare.

13 Dices tamén contra hanc part. & militat contra probationem: ideò Corpus Christi, existens in Eucharistia, non posset immittere speciem sui in oculo, quia caret modo connaturali essendi in loco; sed hæc conditio non est essentialitér prærequisita: ergò &c. Prob. min.: ninus requiritur connaturalis modus essendi in loco ad agendum, quam locatio naturalis; subsistentia enim est intrinseca agentis, locatio vero extrinseca; sed quamvis agens careat propria, & connaturali subsistentia, potest tamén elicere actiones sibi connaturales, ut patet in humanitate Christi Domini: ergò &c. Resp. negando min., & mai. prob. Ad actionem enim solum requiritur necessariò singularitas, & sic accidentia separata possunt agere: subsistentia vero solum spectat ad complementum naturæ. Unde in nostris principiis actionis dicuntur suppositorum *denominativè, non effectivè*: locatio vero connaturalis, quamvis sit extrinseca, & accidentalis rei, est conditio necessariò requisita ad agendum connaturali actione; ut patet in approximatione, quæ etiam sit extrinseca, est tamen necessaria.

14 Prob. 2. pars nostræ conclus., scilicet, quod Cor-

pus Christi, reduplicativè prout existit in Eucharistia, nequeat supernaturalitér videri oculo corporeo: Corpus Christi, prout sic existit, nec secundum esse formale, quod dicit, nec secundum esse fundamentale, potest adhuc divinitus esse terminus visionis corporalis: ergò &c. Prob. antec. quoad prim. part.: secundum esse formale dicit præsentiam definitivam, quæ est relatio; sed hæc est prorsus insensibilis, ex dictis: ergo. Probat. antec. quoad secundam partem: fundamentale, quod dicit Corpus Christi in Eucharistia est ipsum Corpus, quantum quidem, & coloratum; sed tamen totum existit in tota Hostia, & totum in qualibet parte: ergò prout sic nequit esse supernaturalitér terminus visionis corporalis. Probat. hæc consequentia: vel tota visio repræsenteret totum, & pars totum, & quamlibet partem; vel tota visio repræsenteret totum corpus, & pars partem? Primum nequit dici; quia tunc visio esset spiritualis: neque secundum; quia tunc non repræsenteret Corpus Christi prout est, hoc est, modo inextenso, sed extenso: ergò, &c.

15 Querunt hic autem ultra AA.: an possit Deus divinitus causare in oculo visionem Corporis Christi, in Eucharistia existentis, præscindendo à modo indivisibili existendi? Circa quam

quam difficultatem nihil certum habemus in Noſt. Doct. Ratio negativæ partiſ eſt ; quia quælibet ſenſatio debet eſſe intuitiva : & qua intuitiva nequit præſcindere à modo exiſtendi rei: ergo nequit dari viſio Corporis Chriſti in Euchariftia præſcindens ab ejuſ modo indiviſibili exiſtendi. Sed ut verum fatear cum N. Maſt. hic in 241., hæc ratio parum , urget ; nam poteſt dici, quod non eſt de intrinſeca , & eſſentiali ratione cognitionis intuitivæ , quod per eam videatur omniſ modus objecti ; nam ſicut , cum res ad longè videtur , non apparet ſub propria figura , & colore , ſed ſolum confuſſo modo conſpicitur : ſic res poteſt intuitivè videri , non viſo modo diviſibili , vel indiviſibili. Res ſub dubio maneat, quæ amplius declarabitur, cum de cognitione intuitivæ agamus.

QUÆST. V. ET ULT.

De Speciebus ſenſibilibus.

HABITA notitia de potentijs ſenſitivis in communi , deque ejuſ objecto ſenſibili , cum ut ſenſus ad actum reducatur , ſuaque objecta percipiat , egeat ſpeciebus ſenſibilibus , moritò de iſiſ hic agere de venus. Sed quia de iſiſ ſunt plurimæ difficultates, ſcitu digna , hinc quæſt. in Se-

ctiones dividemus , & ſi opus fuerit , iſtas in dubia ſecabimus. Sit ergo.

SECT. I.

An ſint ſpecies ſenſibiles , ejuſque naturæ cum objectis ?

QUIA varijs nominibus nominari ſolent ſpecies ſenſibiles , ne in æquivocum procedamus , ea nomina exponemus. Vocantur primo *ſpecies* ; eo quod objecta ſenſibus proponant , ut percipiuntur. Secundo vocantur *impreſſæ* ; quia imprimuntur iſiſmet ſenſibus , ſicut ſimilitudo ſigilli imprimitur ceræ , licet non eodem modo. Ex hoc conſtat, quod in præſenti quæſt. agimus de ſpeciebus ſenſibilibus *impreſſis* , & non *expreſſis* ; nam de iſtiſ Diſputationibus ſequentibus. Tertio appellantur ſenſibiles , eo quod eis mediantibus , objecta , per eas repræſentata , percipiuntur à ſenſibus. Quarto dicuntur *intentionales* , non eo ſenſu , quod entia rationis dicuntur habere eſſe intentionale , & non reale , vel quia habent eſſe diminutum , & quodam modo recedens à realitate objectorum ; vel quia concurrunt ad cognitionem ſenſitivam , quæ dicitur intentio. Vocari etiam ſolent *picture* , *imagines*

nes, idola, & simulachra rerum sensibilium. Unde, species sensibilis sic rectè definiri valet: est qualitas quædam, producta in medio potissimum diaphano ab objectis sensuum usque ad organum potentiarum sensitivarum inclusivè, quæ ex natura sua sit representativa objecti, à quo producitur. Restitudo hujus definitionis constabit ex dicendis in tota ista quæst.

2 De istis ergò speciebus sensibilibus quærimus 1. : an existant in rerum natura, tam in sensibus externis, quam internis? Sed nota, quod non quærimus de omnibus, & singulis sensibus externis; de hoc enim dum de ipsis in particulari agamus. Secundo quæritur: quænam sit natura talium specierum: an scilicèt sit eadem cum natura objectorum: an verò distincta? Circa prim. difficultatem fuerant aliqui universalitè negantes species sensibiles: alij admittebant in internis, & negabant in externis. Sic N. Occamus, cum alijs. Communior verò eas existentes admittit, tam in sensibus internis, quam aliquibus externis. Circa secundam difficultatem fuerunt quidam antiqui dicentes, species esse quædam corpuscula, quæ egrediuntur è corporibus, & perveniunt ad sensus. Thomistæ communitè tenent, species esse ejusdem naturæ cum objecto, & solùm di-

versificare in diverso modo essendi. Quid nobis tenendum, duplici conclusione constabit. Sit

PRIMA CONCLUSIO.

3 **D**ANTUR species sensibiles in sensibus internis, & etiam in aliquibus externis. Est communis cum N. Doct. in 1. dist. 3. quæst. 7. : & 2. dist. 13. Probat. 1. conclusio de sensibus internis: juxta Philos. Lib. de *reminiscentia, & memoria* expressè docet, nos recordari de præteritis; nam multoties recordamur Paretum, & aliarum rerum, quas vidimus; sed hujusmodi sensatio est interna: ergò in ipso dantur species sensibiles impressæ. Prob. min.: hujusmodi sensatio nequit produci à sola potentia simul cum objecto præsentis, vel ab aliquo gerenti vices objecti; sed quampluries non causatur ab objecto præsentis; cum illud persapè non existat: ergò debet causari ab specie gerente vices ipsius. Confirm.; quia, nobis dormientibus, & somniantibus, representantur ipsæ res, circa quas vigilantes tractavimus; sed tunc casus non apparent tales res per sensus externos, cum isti ligati, & sopiti supponantur: ergò apparent tales res per species in sensu interno residentes.

Pro-

Temp. 1710. v. 100

4 Prob. eadem conclusio quoad aliquos sensus externos: nam sensu visus per reflexionem, quæ fit in speculo, nos ipsos, & res à tergo positas intuemur, scilicet, solem & Lunam, quæ supra nos sunt: & in aqua videmus, quæ infra nos sunt: tandem, duobus speculis sibi apte respondentibus, videretur posterior pars capitis nostri; sed omnia hæc nequeunt videri, nisi media specie impressa, causata ab speculo in oculo: ergo datur. Confirmatur alio exemplo: si quis digito deprimat oculum, cum palpebra inferiori, vel superiori conspiciet idem objectum duplicatum, sed non quia objectum duplicetur, sed quia ratione immutationis speciei, speciei non pervenit recta ad oculum; ergo dantur tales species. Etiam de auditu constat, quia in condione ad aures omnium audientium simul pervenit vox, quod non fit, nisi per speciem. De existentia harum specierum erit amplius sermo, dum de muneribus, & effectibus ipsarum agamus.

5 Dices tamen 1. contra istam Conclusionem: si darentur huiusmodi species impressæ, maximè, quia essent ratio cognoscendi objectum; sed nequeunt esse ratio cognoscendi objectum: ergo non dantur. Prob. min.: ratio cognoscendi objectum prius cognoscitur, quam

ipsum objectum; sed species impressæ non prius cognoscuntur, quam ipsummet objectum: ergo &c. Maior constat; nam imago Deiparæ v.g., prius cognoscitur in se, quam cognoscatur ipsamet Deipira, Resp. concessa mai., negando min. Ad prob. resp. ex dictis in Summulis, agendo de signo instrumentali, & formali, quod aliquid potest esse ratio cognoscendi aliud dupliciter: primo *ut quod*: & ut objectum prius cognitum. Secundo modo *ut quo*, & non ut objectum prius cognitum. Primo ergo modo imago est necessaria, quia prius cognoscitur ipsa, quam objectum. Secundo autem modo est necessaria species impressa, ut cognoscatur objectum; ut clarius postea constabit, dum de muneribus istius speciei agamus.

6 Dices 2.: si darentur huiusmodi species impressæ, essent similes suis objectis; sed hoc nequit dici: ergo &c. Maior constat; alias ineptè repræsentarent. Prob. min.: si tales species essent similes cum suis objectis, sequeretur, quod species objecti albi esset alba; & objecti nigri nigra; sed ex hoc sequeretur, quod aer respertus in eis speciebus, esset niger, & albus, quod repugnat, ergo &c. Hæc replica, si aliquid convincit, utique arguit Thomistas, qui astruunt inter species, & objec-

fr. Philipe
Nithoni Vazquez

ta secundum esse intentionale, non solum similitudinem, sed identitatem, ut conclusione sequenti videbimus. Nos vero facilliter respondemus distinguendo mai.: si darentur tales species, essent similes suis objectis intentionaliter, & in repræsentâdo, conc. mai.: essent similes entitati- vè, & in essendo, neg. mai.: in versis terminis distinguo min.: & eis- dem distinguitur maior probat. Itaque, si istæ species essent si- miles suis objectis similitudine entitativa, & perfectè univoca, tunc sequeretur inconveniens in- tentum in argumento, quod non sequitur ex eo, quod sint simi- les repræsentativè; quia sic so- lum est alba species albi repræ- sentativè, & non entitativè.

SECUNDA CONCLUSIO.

7 **S**PECIES sensibiles non sunt corpuscula sub- stantialia, sed sunt qualitates de prima, vel tertia specie: antè sunt alterius rationis ab objectis, quorum sunt species, & imperfectiores ipsi objectis. Hæc Conclus. quoad omnes partes est N. Doct. Probaturque prima pars ipsius: si tales species essent corpuscula substantialia, sequeretur, quod naturaliter daretur penetratio corporum, tam cum medio, quam inter se; sed hoc nequit dici: ergo non sunt talia

corpuscula. Prob. min.: nam in qualibet parte medij reperiuntur simul plures species diversorum objectorum: ergo talia corpora substantialia essent compenetrata inter se, & cum medio. Prob. secunda pars, scilicet, esse qualitates de prima, vel tertia spe- cie: Non sunt ex dictis corpora substantialia: ergo sunt acci- dentia absoluta. Nunc sic; sed non de prædicamento quantita- tis; quia tunc compenetrarentur in eodem subjecto: ergo de præ- dicamento qualitatis.

8. Prob. 3. pars Conclus., scilicet, esse alterius essentia, & rationis ab objectis, quæ repræsentant; & hæc pars est contra plures Thom. Prob. ita: si tales species essent ejusdem rationis, & essentia cum obje- ctis: quamvis differrent in mo- do essendi, quod est effugium Thomist., sequeretur, quod haberent tales species easdem pas- siones, & proprietates, ac haberent objecta; sed ex hoc se- queretur, quod duo contraria in summo essent simul in eodem numero subjecto naturaliter: ergo, ne hoc sequatur, dicendu- est, &c. Maior discursus constat; quia passiones semper comittantur quidditatem rei, à qua fluunt, & hoc sub quocum- que modo, quo reperiatur talis quidditas: sic enim ubicum- què est essentia hominis, poni- tur risibilitas. Probatur min.:

si species summi albi, & summi nigri habent eandem entitatem cum objectis, albo scilicet, & nigro, habebunt eandem contrarietatem, & oppositionem, quam habeat objecta: ergo species albi, & nigri non possunt esse simul in eodem subjecto, quod est contra ipsammet experientiam, qua videmus, quod species summi albi, & summi nigri sunt simul in eodem medio, vel organo. Alias probat. Vide in N. Mastrio hic

9 Tertia, & ultima pars Conclus., scilicet, quod tales species sint imperfectiores suis objectis, sic prob.: tales species sunt effectus æquivoci, causati totaliter ab objectis, loquendo de speciebus externis: & species sensibiles internæ sunt etiam effectus specierum externarum; sed effectus æquivocus est semper essentialiter imperfectior sua causa totali: ergo species, &c. Confirm.: tales species habent esse diminutum, & deficiens: & sic vocantur intentionales, ut iam diximus: ergo sunt imperfectiores.

10 Dices 1. species impressæ sensibiles se habent, ut imagines, & simulacra suorum objectorum; sed hoc ipso debent esse ejusdem rationis, & essentia cum suis objectis: ergo sunt. Prob. min. exemplo anuli impressi in cera, cujus imago eadem est, & omnino similis cum

forma artificiali anuli: ergo cum species impressa se habeat ut imago impressa potentia debet esse eadem cum quidditate ipsius objecti. Resp. distinguendo mai.: species sensibiles impressæ se habent velut imagines quod ad representare absolute, conc. mai.: quoad modum representandi, nego mai.: eisdem terminis explicatur exemplum pro probatione adductum. Itaque species impressæ sensibiles in hoc comparantur imaginibus, & picturis, quod representent objectum, cujus sunt prototypum; differunt tamen in modo representandi; nam imagines, & picturae se habent ut medium quod, & prius cognitum; proindeque requirunt proportionem, & similitudinem objectivam: species verò sensibiles impressæ solum se habent, ut medium quo, seu prius non cognitum; quapropter non requirunt similitudinem in natura, & essentia, sed sufficit in representando. Per quod responderetur ad exemplum.

11 Dices 2.: eodem modo philosophandum est de specie impressa intelligibili, & de specie impressa sensibili, quo ad identitatem cum suo objecto; sed species impressa intelligibilis est eadem in entitate cum suo objecto: ergo & species impressa sensibilis. Maior communiter admittitur. Prob. min.: Philos. 2. de Anima docet, quod intelle-

ctus intelligendo fit quoddam modo omnia, & sic intelligendo lapidem, fit lapis; sed hoc nequit fieri, nisi media specie, tamquam forma, in qua uniantur, & fiant idem potentia, & objectum: ergo species intelligibilis dicit formaliter eandem essentiam objecti. Confirmatur hoc ex illo dicto Aberroes: ex potentia, & objecto fit magis unum, quam ex materia, & forma; sed in nostris principijs ex materia, & forma fit unum unitate per se compositionis: ergo ex potentia, & objecto fit unum unitate per se identitatis; sed hoc non posset esse, nisi species objecti diceret unitatem essentiam cum objecto: ergo eam dicit. Hæ autoritates sunt præcipua fundamenta Thomistarum.

12. Resp. tamen concessa pro nunc maiori, negando minorem. Ad primam probationem ex Philosopho, dico, quod ipse non loquitur absolutè, & simpliciter, sed cum limitatione: ut patet ex illa voce: quoddam modo. Unde sensus Philos. non est, quod intellectus fiat omnia unitate identitatis potentiam cum objecto, & ejus specie, quæ quidem est unitas simpliciter; sed de unitate similitudinis, & proportionis in representando, hoc est, in quantum potentia per speciem redditur similis in actu primo, ut possit in actu 2. percipere objectum.

Et in hoc sensu intelligenda est minor, & neganda consequentia. Ad confirmationem N. Mast. absolutè tenet dictum Aberroes esse falsum. Ratio est; quia species, quamvis esset ipsamet quidditas objecti, quod constantè negamus, non posset facere cum potentia magis unum, quam materia, & forma; siquidem constitutum ex potentia, & specie solum potest esse unum per accidens: constitutum verò ex materia, & forma est unum per se, quod absdubio est magis unum quam per accidens. Unde non multum curandum de dicto hujus Philosophi.

13. Sed quia Thomistæ in quamplurimis difficultatibus Theologicis hoc utuntur fundamento, scilicet, quod species impressa habeat eandem essentiam cum suo objecto, ideo notare oportet, quod omnes rationes, quas ad hoc probandum adducunt, patiuntur manifestam instantiam in ipsos. Species namque expressa habet maiorem similitudinem cum suo objecto; cum similitudo hujus sit formalis, impressæ autem tantum virtualis: ergo species expressa debet dicere mai. unitatem cum objecto, quam impressa; sed, juxta ipsosmet Thomistas, species expressa non dicit identitatem in essentia cum suo objecto: ergo multo minus species impressa. Vide Nostrates in

Materia de Visione absolute impugnantem Thomistas, negantes possibilitatem speciei impressæ, repræsentativæ divinæ Essentiæ, hoc ducti fundamento, quod quidditas Dei deberet esse quidditas talis speciei. Videatur etiam N. Salmantinus Gonzalez hic Disp. 3. quæst. 4. sub art. 1., ubi lato calamo hanc pertractat difficultatem.

SECT. II.

Quenam sit causa materialis, & subjectiva specierum sensibilium?

14 **T**AMQUAM certum supponi debet, species sensibiles habere causam materiale, ex qua educantur, & etiam causam subjectivam, in qua recipiantur. Ratio primi est; quia cum tales species producantur ab agente creato, & istud sit impotens creare, necessario præexigit subjectum; ex quo educat, & in quod agat. Deinde: species sensibiles sunt materiales: ergo perunt dependere à subjecto in fieri, & conservari: & per consequens quoad educi. Ratio secundi etiam patet; quia, cum ex dictis tales species sint essentialiter accidentia, necessario

requirunt subjectum, in quo recipiantur. Querimus ergo nunc quodnam sit subjectum, seu causa materialis educationis; & quodnam receptionis? Pro clara solutione nota, quod sunt species aliquæ, requirentes medium proportionatum inter sensum, & suum sensibile, uti se habent species visus, & auditus: aliæ verò sunt nullum tale medium requirentes, ut communiter dicitur de speciebus gustus, odoratus, & tactus. His notatis,

15 Dico, quod species sensibiles requirentes medium proportionatum inter sensum, et sensibile, educantur — ac recipiuntur in tali medio, & in suis potentijs: quæ vero tale medium non requirunt in solis suis potentijs recipiantur. Conclusio quoad utramque partem est satis communis contra aliquos antiquos; licet in modo eam explicandi sit aliqua dissentio, ut postea videbimus. Prob. breviter: species visibiles, & etiam soni recipiuntur in medijs proportionatis; sed alias recipiuntur etiam in suis potentijs: ergo, &c. Maior quoad primam partem constat; quia species visus recipiuntur in aere, aqua, & speculo: & soni in aere: ergo recipiuntur in medio. Prob. etiam minor; quia cum species simul cum potentia sit comprincipium eliciens sensationem: & alias
fit

fit accidens, debet esse unita ipsi potentiae, ut sic ex utraque fiat una causa totalis totalitate causae. Et per hoc probatur secunda pars Conclusionis.

16 Sed, ut hoc melius percipiatur, quaeres hic: an ut species simul cum sensu eliciat sensationem, ita necessario debeat recipi in sensu, ut nec divinitus possit aliter fieri? Thomistae communiter tenent, quod est indispensabilis, adhuc divinitus, talis receptio: est contra vero Scotistae. Unde cum N. Doct. in 1. dist. 3. quaest. 7. n. 22. dicimus, quod supernaturaliter loquendo, species sensibilis, non unita potentiae, sed à Deo conservata, conjuncta, & aproximata sensui sit comprincipium elicitive sensationis. Prob. 1. ex Doct. cit. dicente: *accidit speciei in quantum est causa partialis respectu actus intelligendi cum intellectu, ut cum alia causa partiali, quod ipsa perficiat intellectum; hoc est intrinsece, & per informationem; sed eadem ratio militat de specie sensibili in quantum est causa partialis sensationis cum sensu; ac de specie intelligibili: ergo, sicut haec in via Doct. non est necesse simpliciter, & absolute, ut recipiatur in intellectu ad actum intelligendi; ita nec est necesse, quod species sensibilis recipiatur in sensu.*

17 Prob. hoc idem à ratione: quamvis in specie sensibili, sicut & in intelligibili considerari debeant duae formalitates, scilicet, accidentis, & similitudinis virtualis objecti, secundum quam elicit cum potentia operationem, tamen secundum nullam ex istis formalitatibus petit ita indispensabiliter inherere sensui, ut nec divinitus possit aliter evenire: ergo species sensibilis potest divinitus concurrere ad sensationem, quin recipiatur intrinsece in sensu. Antec. quoad prim. part. constat; cum Deus accidentia possit denudare actuali inhaerentia, ut patet in accidentibus Eucharisticis. Prob. quoad secundam: ut species sensibilis exerceat munus similitudinis virtualis objecti in genere causae efficientis, concurrente cum potentia ad sensationem, sufficit, quod sit conjuncta potentiae simplici approximatione: ergo non requiritur, &c. Prob. antec. differentia, inter causam efficientem, & formalem: haec enim suam effectum praestat per exhibitionem suae entitatis; causa vero efficiens per solam exhibitionem suae virtutis: ad quam sufficit simplex aproximatio; ut patet in duobus simul portantibus lapidem: ergo, &c.

18 Dices tamen contra hoc: potentia sensitiva se sola, praecursive à praesentia objecti, vel

vel ejus specie, est absolutè, & simpliciter impotens, elicere sensationem: ergò, ut sit potens, adhuc divinitus, est necesse, quod habeat, vel objectum in se præsens; vel speciem talis objecti receptam in ipsa potentia. Antec. constat; quia objecto, vel ejus specie gignitur notitia, quod idem est in sensatione. Resp. concessio antec., distinguendo consequens quoad secundam partem: vel speciem talis objecti receptam in ipsa potentia, aut ipsi approximata simpliciter, conc. conseq.; præcisse receptam, nego conseq. Itaque, licet ut potentia sensitiva in quacumque providentia eliciat sensationem, sit necesse, ut adjuvetur ab ejus objecto, vel specie: ad hoc non est necesse quod fiat intrinsecè per receptionem, sed sufficit, quod fiat extrinsecè, & per solam applicationem virtutis ad virtutem; ut satis constat in exemplo adducto, de portantibus lapidem.

19 Dubit. hic primò: an subjectum, proximè susceptivum specierum sensibilium, sit organum sensus pro altera parte corporis, an verò potentia completa totius, constituti ex corpore, & anima sensitiva? Quamvis omnes Scotistæ conveniant in hoc, quod potentia sensitiva sit subjectum, receptivum specierum, dubitant tamen, & dis-

crepant in hoc, quod aliqui tenent, quod immediate insunt solo organo pro altera parte corporis, & mediante isto, toti composito. Sic Bargius, & alijs, quibus novissimè adhærent Discalziati Villac., & citant pro se Doct. in 1. dist. 3. quest. 7. §. *Ad rationes*, num. 18., alijsque in locis. Alij è contra sustinent, tales species immediate recipi in tota potentia completa adducentes pro se Subt. Doct. in 4. dist. 43. quest. 3. §. *Circa istam questionem*. Noster Maist. hic num. 47., & 18. utramque part. iudicat ut probabilem. Undè Subt. Doctorem tenet, ut problematicum in hoc puncto.

20 Dico tamèn: probabilius mihi apparet, quod potentia completa constituta ex corpore, & anima sensitiva, sit subjectum proximum susceptivum speciei sensibilis. Prob. 1. auctoritate Doct. citati in 4., ubi ait: *cum oporteat objectum aliquomodo esse præsens ad actum, & non potest esse in se præsens, oportet, quod sit præsens per speciem: & tunc potentia recordativa erit conservativa speciei, & hoc loquendo de totali potentia, requisita ad recordationem*. Nota ultima verba. Nec valet respondere cum Villac., Doct. hic loquitur de potentia recordativa, non autem de sensibus externis. Non valet; quia potentia recordativa, de qua hic loquitur Doct.:

est materialis, respectu speciei sibi proportionatę; sed eadem ratio militat de specie sensibili, respectu potentię externę; siquidem istę potentię solum differunt in hoc, quod externa est transiens; recordativa verò permanens: ergò sicut hæc requirit totam potentiam recordativam, ita, & illa potentiam completam organicam.

21 Prob. 2. Conclusio ratione: munus speciei sensibilis est reddere totum sensum proportionatum ad hoc, ut cum tali specie eliciat sensationem: ergò recipitur in toto sensu completo. Prob. hæc consequentia: connaturalius est, quod potentia totalis, eliciens, & recipiens sensationem compleatur per speciem in se tota receptam, quam per speciem receptam solum in parte: ergò cum species sensibilis detur, &c. Antec. satis constat ex paritate sensus interni, in quo, completè sumpto, recipitur ejus species, quia totum proportionat ad eliciendam sensationem internam: ergò à pari. Confirm.: principium elicitivum sensationis est potentia completa, prout distincta ab organo pro altera parte: ergò cum principium elicitivum proportionetur per speciem, hæc debet recipi in toto principio.

22 Dices 1. contra hoc hoc ex Doct. cit. pro se ab Adversarijs in 1., ubi ait: *potentia*

organica dedit natura, ut objectum sit præsens non in potentia ipsa, sed in organo, hoc est, in parte corporis, quam perficit potentia organica: & toti sufficienter objectum est præsens, quando species est in illa parte corporis: ergò juxta Subt. Doct., subjectum proximè susceptivum specierum sensibilibum est præcisè organum pro altera parte corporis. Resp., quod Subt. Doct. hic, non tam loquitur ex propria mente, quam impugnan- do Henricum, qui negabat species intelligibiles præcisè ex eo, quod recipere speciem, convenit solum sensui, quia est potentia organica: hoc refellit Doct.; nam recipere speciem, non solum est proprium potentię organice, sed & omnis potentię cognoscitivę; nam hæc habet prius naturaliter objectum sibi præsens. Undè intentum Doct. hic solum erat, concessio Henrico, quod potentia organica recipiat speciem, ponere adhuc necessitatem speciei intelligibilis in potentia inorganica. Vel dic, quod ex hoc solum infertur, Doct. esse problematicum in hac re; sicut & Contrarij respondent auctoritati pro nobis adductę.

23 Dices 2.: species sensibiles materiales non consequuntur totum compositum, sed solum formam corporis pro altera parte: ergò solum in forma corporis, seu organo recipiunt

tur. Prob. ant. : oculo recentèr mortuo imprimuntur species visibiles ; sed istæ non possunt recipi in tota potentia completa ; cum tunc iam non sit : ergò quando oculus est vivus tales species recipiantur in ipso organo oculi , & non in tota potentia completa ; consequenterque consequuntur formam , & non totum compositum. Resp. negando antec. ; quia licet species sensibiles non consequantur totum compositum elicitive , aut radicative , illud tamen exactivè consequuntur , in quantum pro suo exercitio complentur tales potentia perfectius per receptionem talium specierum.

24 Ad probationem distinguo mai. : species visibiles recipiantur in oculo recentèr mortuo , modo emortuo , & tamquam in medio differente , aut reflectente , conc. mai. : tamquam in medio , in quo forriantur suam effectam , cujus gratia dantur , nego mai. ; & concessa minori , nego conseq. Itaque species sensibiles in oculo mortuo recipiuntur modo emortuo , sicut in aere , aut in speculo ; sed non modo proportionato potentia ad hoc , ut hæc cum talibus speciebus eliciat suam sensationem ; ratione cujus conceduntur tales species , hoc est , ut representent objectum potentia totali , & viva. Undè , ad hoc convenientius est , ut immediatè recipian-

tur in potentia completa , quam in solo organo.

25 Dices tandè , & potest esse replici : species sensibiles , visibiles v. g. ; non requirunt receptivum animatum ; alias non possent recipi in aere , aut speculo , contra quæ diximus conclusionè prima : ergò organum , non prout animatum , sed prout altera pars corporis , est subjectum immediatè receptivum ipsarum. Confirm. : certum est ex una parte , quod species visibilis recipitur in organo ; sed si aliundè reciperetur in potentia completa , vel duplicaretur species , quod est superfluum : vel accidens migraret de subjecto in subjectum , quod est impossibile : ergò , quia organum est subjectum immediatè receptivum talium specierum. Resp. dist. ant. ; species sensibiles visibiles , qua accidentia , non requirunt receptivum animatum , conc. antec. : qua repræsentativè suorum objectorum , respectu potentia , nego antec. Ad confirmationem dico , quod species recipiuntur in organo præcisè , ut in subjecto inadæquato ipsarum : in potentia autem completa , ut in subjecto adæquato ; quin ex hoc sequatur , aut quod geminentur species ; aut , quod migrent de subjecto in subjectum. Res sub dubio manent ; nam pro una , & altera parte adsunt rationes

SECT. III.

De causa effectiva, & conservativa specierum sensibilium.

26. **O**MITTIMUS pro-
nunc opinionem
Antiquorum asse-
rentium, Deum, vel Intelligen-
tiam quamdam, à corporibus
separatam, esse causam unicam
effectricem specierum; nam hic
modus dicendi prorsus ab scho-
lis expulsus est. Sed, cum sint
quamplurima, de quibus dubita-
ri potest: an sint causæ effecti-
væ specierum sensibilium, ideo
hanc Sect. in variâ dubia di-
videmus. Quarè

27. Dubit. 1. : an spe-
cies sensibilis producatur totali-
tèr ab objecto: an verò partiali-
tèr ab ipsa potentia? Sub alijs
terminis solet proponi hæc dif-
ficultas: an detur sensus agens,
respectu speciei sensibilis? Pro-
cujus resolutione nota, quod
hic non quærimus: an potentia
sensitiva concurrat activè, res-
pectu suæ sensationis; nam
de hac difficultate iam egimus.
Disp. 5. quæsti. 2. num. 4. Undè,
solum relatè ad species sensibiles
procedit difficultas. == Dico:
*species impressa sensibilis totalitèr
producitur à suo objecto, ipsa po-
tentia merè passivè se habente.*
Hæc Conclusio est N. Doct. in

4. dist. 44. q. 3. §. *ad questionem*
sub num. 2. Prob. ratione: spe-
cies sensibiles sensuum extero-
rum producantur totalitèr ab ob-
jecto in medio, mediante intèr
objectum & potentiam: ergò
totalitèr producantur ab obje-
cto, & non à potentia in ipsa
met potentia externa. Conseq.
constat; quia non sunt multi-
plicanda entia sine necessitate.

28. Prob. 2. Conclusio,
præcipuè de speciebus sensuum
exteriorum: si esset necessè, quod
istæ species producerentur à po-
tentia: maximè, quia tales spe-
cies excederent in perfectione suâ
objectum; sed hoc est falsum:
ergò producantur totalitèr ab
objecto. Prob. min.: tales species
non sunt spirituales sed materia-
les; cum sint extensæ, & reci-
pantur in subjecto extenso: er-
gò non excedunt in perfectione
effectum. Antec. constat; quia,
ideo species intelligibilis requirit
concursum potentia, quia, cum
sit spiritualis, excedit in perfe-
ctione suum objectum: ergò
per oppositum; cum species sen-
sibilis sensuum exteriorum sint
materiales, poterunt totalitèr à
suo objecto produci. Undè ad-
verte, quod, quamvis species
sensibilis soleat appellari immat-
erialis, & spiritualis, hoc non
est intelligendum absolutè, sed
relatè ad suum objectum, in
quantum objectum talium specie-
rum est magis sensibile, & im-
mer-

mentum in materia, quam sit ipsa species, quæ solum habet esse quid diminutum, ut iam diximus quæst. 3. hujus disputationis, & quæst. ultima.

29 Prob. Conclusio quoad species sensuum interiorum: hæ species nequeunt produci à sensibus internis, nec totaliter, nec partialiter: ergo totaliter producuntur à suis objectis. Antec. quoad prim. part. constat paritate specierum intelligibilium, quas intellectus agens non producit totaliter, sed partialiter simul cum phantasmate, ut postea dicemus, agendo de intellectu; sed rationes, quibus hoc ibi probamus, probant æquè de sensu interno, comparative ad suas species sensibiles: ergo istæ non producuntur totaliter à sensibus internis. Prob. idem antecedens quoad secundam part.: ex dictis constat, quod objectum concurrat ad productionem specierum sensibilibus sensuum interiorum; sed nulla adest ratio urgens: cur talis activitas non sit totalis; cum etiam tales species sensibiles interne sint imperfectiores suis objectis, propter rationem, datam §. antecedenti; ergo dicendum est, quod objectum sit causa totalis talium specierum. Ex hoc constat, quod non datur, nec sensus externus, nec internus agens, respectu specierum sensibilibus, quamvis

detur, respectu suarum sensationum.

30 Dices tamèn contra secund. part. hujus Conclus.: in sensibus internis, nedum dantur species sensibiles interne actuum exteriorum, sed etiam rerum, seu objectorum *ad extra*; sed istæ species interne objectorum *ad extra* nequeunt totaliter produci ab objecto: ergo datur sensus internus agens, respectu specierum objectorum *ad extra*. Maior patet in somnis, in quibus species sunt alterius rationis ab externis, sicut & potentia. In solutione hujus replicæ divisi sunt AA. Quidam enim tenent, istas species totaliter, & immediatè fieri ab objecto; cum ipsum repræsentent. Sed hæc solutio faciliter impugnatur; quia in dormiente oculis apertis, causantur species externæ, non tamen interne in phantasia: ergo, quia objectum non est immediata causa specierum interiorum. Alij tenent, has species objectorum *ad extra* causari immediatè à sensibus externis. Sed etiam hic modus dicendi non placet; aliàs objectum nullo modo concurreret, nec ad sui cognitionem, nec ad causationem talium specierum. Undè, omissis his modis dicendi.

31 Resp. cum N. Mast. hic quæst. 5. art. 2. num. 83., quod species interne rerum, seu objectorum *ad extra* producuntur,

tur, tam ab specie externa, quam ab actu sensationis externæ. Et quidem, quod actus sensationis externæ concurrat partialiter ad talem speciem externam, constat; quia, si non esset talis actus, numquam fieret species interna; & hæc, eo perfectior est; quo perfectior est actus. Quod etiam producat ab specie externa; prob.; quia objectum debet habere concursum aliquem, ad minus mediatum, respectu cognitionis internæ: & hæc per aliquid, quod gerat vires illius; sed hoc nequit esse aliud, quam species externa; cum hæc se habeat veluti semen objecti: ergo, quia species externa concurret ad producendum speciem internam objectum *ad extra*. Per quod solvatur, quod objectum concurrat mediatè ad causandas species sensibiles objectorum *ad extra* in sensibus internis. Immo, si velis, quod etiam concurrat objectum, ut causa totalis talium specierum, poteris respondere, quod actus sensationis solum concurrat ut conditio *sine qua non*: & sic negatur absolute minor replicæ. Vide Mast. cit.

32 Dubitab. 2.: an sensibile per accidens producat propriam speciem sui? Ex dictis quest. 3. frujus à num. 16. constat, quod sensibile primo dividitur in sensibile per se, &

per accidens; quorum explanationes vide ibi. Et pro nunc tamquam quid certum supponimus 1., quod sensibile per se causat speciem sui; cum sit illud, quod ex se habet vim immutandi aliquem sensum, terminandique actum sensationis. Unde difficultas est de sensibili per accidens. Sed suppono 2., quod difficultas non procedit de omni sensibili per accidens; certum enim est, quod relatio, quæ inter sensibilia per accidens enumeratur, nequit causare speciem impressam sui; species enim impressa est quid absolutum, relatio autem quid relativum imperfectiusque omni absoluto; quare nequit esse causa huius. Difficultas est ergo de illo sensibili per accidens, quod aliquomodo confert ad sensationem, qualis est substantia. De ista ergo quarimus: an producat speciem impressam sui? Thomistæ tenent, quod producat speciem sui, non in sensibus externis, sed in aliquibus internis, maxime in cogitativa potentia; quia dum hæc apprehendit speciem sensibilem accidentis, eruit postea speciem substantiæ, quæ ibi latitabat. Sed

33 Dico: *nullum sensibile per accidens producere speciem sensibilem propriam sui, sed sentiri dijs accidentibus*. Hæc Conclusio est Philosophi 2. de Anima textu 65. Et N. Doct. in 1. dist. 3. q. 3.

& 2. dist. 13. Prob. : si aliquid sensibile per accidens produceret speciem propriam sui, maxime substantia; sed hæc non: ergo, &c. Prob. min. : si substantia immitteret propriam speciem sui esset per se sensibilis; sed hoc est contra suppositionem, quod sit sensibile per accidens : ergo &c. Confirm. ; quia, si immitteret talem speciem, sicut per ipsam cognosceremus ejus præsentiam, sic similiter possemus cognoscere ejus absentiam; sed hoc est falsum; alias possemus naturaliter cognoscere ejus absentiam substantiæ panis in Eucharistia; & consequenter Mysterium Eucharistiæ : ergo, &c. Urgetur : juxta Contrarios, substantia non producit propriam speciem sui in sensibus externis ergo nec in ullo interno. Prob. conseq. ; quidquid transit ad sensum internum, hoc facit per externos : ergo si substantia, &c.

34 Dices contra hoc: Philof. 3. de Anima text. 10. tenet, quod cognitio hujus carnis singularis pertinet ad potentiam sensitivam; sed in singulari est substantia; ergo hæc causat speciem sui in potentia sensitiva. Resp., quod ex hac autoritate Philof. nihil inferitur contra nos : Aristot. enim ibi solum tribuit potentia sensitivæ cognitionem singularis, ut singularis in quantum est individuum substantiæ, ut substantia est; sensus ergo cognoscit indi-

viduum subst antiæ, prout subest accidentibus; nam sensus cognoscendo accidentia, confulse, & implicite attingit substantiam, talia accidentia subjectantem. Ex quo nihil contra nos.

35 Dubit. 3. : an sensibile commune producat speciem sui, distinctam ab specie sensibilis proprii : an vero attingatur præcisè per speciem sensibilis proprii? Quid sint hæc sensilia? Videtè quæst. 3. cit. hujus à num. 18. Et pro clariori intelligentia hujus difficultatis, sit exemplum declarativum ipsius. Percipitur aliquid objectum, hominem v.g. moveri, & hoc, tam visu, quam auditu : queritur modo : an ut motus talis hominis percipiatur à visu, vel auditu, sufficiant species coloris, aut soni, quæ sunt sensibilis proprii : an ultra requiratur alia species hominis, ut se moventis; quæque species sit communis potentia, tam visivæ, quam auditivæ? In qua difficultate aliqui ex Antiquis part. affirmativam sustinebant. Nunc verò pars negativa communior est. Cumquaque

36 Dico : *sensibile commune non producit speciem propriam sui, distinctam ab specie sensibilis proprii : sed percipitur à sensu per speciem sensibilis proprii.* Hæc conclusio est satis communis inter Scotistas, Thomistas, & Recentiores. Et quamvis Meriner., Discalciati Josephini, & alij pauci Scotistæ eitent

Nost.

Noſt. Subr. Doct. pro oppoſita ſententia Noſterque Miſt. ipſum problematicum faciat; in rei tamen veritate pro nobis eſt in 2. diſt. 3. quæſt. 1. §. *Contra iſtam viam*, ubi ait: *ſenſibile commune eſt per ſe objectum viſus, ſicut magnitudo, & figura, licet ſint per ſe objectum potentiæ viſivæ non tamen includunt rationem formalem primam motivam viſus, ſine qua non eſt videre, ſicut color, & lux.* Item in 4. diſt. 12. quæſt. 3. §. *Ad principales*, ait: *ſenſibile per ſe non primo, non poteſt agere ſine illo, quod eſt primo ſenſibile.* Videatur etiam in 4. diſt. 49. quæſt. 13. §. *Ad rationes*, num. 12. Ex quibus auctoritatibus Subr. Doct. ſic

37 Prob. 1. Concluſ.: ſi ſenſibile commune, ut magnitudo, & figura v.g. producerent in ſenſu ſpeciem propriam ſui, ex propria ratione formali includerent rationem formalem motivam ſenſus, non minus, ac color, & lux; ſed eſt falſum, juxta Doct.; ergo quia non producunt ſpeciem propriam. Maior conſtat; quia ſi propriam producerent ſpeciem, ratione ipſius moverent ſenſum. Confirm.: ſenſibile per ſe non primo nequit agere ſine illo, quod eſt primo ſenſibile; ſed ſenſibile commune, licet ſit per ſe ſenſibile, non tamen primo, juxta Doct. cit.; ſenſibile autem proprium eſt per ſe primo ſenſibile; ergo ſenſibile per ſe commune non movet

per ſe niſi ratione conſortii; ſenſibilis proprii; conſequentèrque non producit propriam ſpeciem ſui. Urgetur: ſi eſſet diſtincta ſpecies ſenſibilis communis, & ſenſibilis proprii, poſſent hæc ſenſibilia ſeorſim videri; ſed hoc eſt falſum in via Doct.: ergo & quod ſint diſtinctæ ſpecies utriusque ſenſibilis.

38 Prob. 2. Concluſio alia ratione, quæ ſpecialitèr probat de magnitudine, quamvis alijs ſenſibilibus communibus adaptari poſſit: ſi magnitudo v.g. cauſaret propriam ſpeciem in ſenſibus, à quibus percipitur, ut viſu, & tactu; vel hæc ſpecies eſſet ejuſdem rationis in hiſ ſenſibus, vel diverſæ? Sed nunc trum dici poteſt; ergo quia magnitudo non cauſat propriam ſpeciem ſui. Maior conſtat. Prob. minor quoad prim. part.: quilibet ſenſus habet ſuum proprium modum operandi; ergo eadem ſpecies nequit immutare plures ſenſus. Antecedens eſt certum. Conſeq. inferitur; quia ſemèl ac quilibet ſenſus habeat ſuum proprium modum operandi, petit neceſſariò diverſum, & proprium motum; ergo & diſtinctas ſpecies. Deindè, ſi magnitudo produceret ſpecies ejuſdem rationis in diverſis ſenſibus, ſequeretur, quod omnes ſpecies ſenſibiles eſſent ejuſdem rationis, quod eſt falſum.

39 Prob. eadem minor quoad ſecundam part., ſcilicèt, quod

quod species productæ à magnitudine in visu, & tactu non sint diversæ rationis: quodlibet sensibile habet suam determinatam entitatem; & consequenter determinatam sensibilitatem, subsequitam ad entitatem: ergò nequit producere species distinctæ rationis in sensibus distinctis. Conseq. constat; quia species subsequitur ad entitatem. Si autem contra prob. primæ partis respondeas, quod quamvis quilibet sensus habeat suum proprium modum operandi, ex hoc non sequitur, quod petat species diversæ rationis pro suo motivo; quia sicut non repugnat, quod duplex potentia habeat idem objectum formale, & terminativum, ut patet in intellectu, & voluntate, ita non repugnabit, quod diversi sensus moveantur ab eodem objecto, & specie ejusdem rationis. Si inquam, respondeas,

40 Contra 1.: intellectus, & voluntas, ut potè potentie inorganicæ, sunt valdè illimitatæ, tenduntque in omnem ens; sed sensus externi ratione determinati temperamenti sui sensorij, sunt contracti, & determinati ad suum sensibile proprium, extra quodque vagari non possunt: ergò non tenet paritas de intellectu, & voluntate respectu sensuum. Contra 2.; quia sensibile commune, magnitudo v.g., vel producit speciem sui

in potentia visiva sub ratione colorati, vel sub aliqua alia ratione, præscindente à ratione coloris? Si primum, iam magnitudo non est sensibile commune, sed redditur sensibile proprium, quod à nullo alio sensu, quam à visu, poterit percipi; & sic iam deficit status difficultatis. Si secundum, scilicet, quod magnitudo producat speciem propriam in potentia visiva sub aliqua ratione præscindente à colore; inferò: ergò talis species non poterit movere visum. Ratio est; quia nequit potentia visus ferri extra spheram sui proprii sensibilis, quod est lucidum coloratum.

41 Prob. tandem conclus. ratione generali: non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas, quod sensibile commune producat speciem propriam sui: ergò eam non producit. Prob. min.: sensibile commune potest percipi per species sensibilis proprii: ergò non requirit propriam speciem. Hoc antec., in quo fiat difficultas patebit ex solutione argumentorum. Sed pro horum faciliiori solutione valdè notandum est, quod sicut affectiones sensibiles, sive hæc sint communes, sive propriæ, semper comitantur proprium sensibile; quia sine ipsis tale sensibile non reperitur; ita similiter, species sensibilis proprii nata est, representare

suam objectum cum omnibus illis affectionibus; cum semper immittantur ab objecto, quod est, sic, vel sic affectum. Explicatur: dum color v.g. immutat visum, vel est magnus, aut parvus; vel movetur, aut quiescit; habet hanc, vel illam figuram: sic speciem repræsentativam sui immittit cum omnibus illis affectionibus, quas re ipsa habet dum movet sensum. Sic ergo ex variatione harum affectionum, variatur quoque species, aut partialiter, aut totaliter; sed ita taliter, ut semper maneat species sensibilis proprii, quamvis sic, vel sic modificati, & numquam sit species propria sensibilis communis. His notatis,

42 Dices 1. contra conclus. : sensibile commune est sensibile per se; sed hoc ipso debet producere speciem propriam sui: ergo producit. Mai. constat; quia non est sensibile per accidens, ut substantia, & relatio. Prob. min. : ideo sensibile propriam immittit speciem; quia est sensibile per se: ergo si sensibile commune est sensibile per se, propriam sui producit speciem. Confirm. : sensibile per accidens, & sensibile per se in hoc differant, quod sensibile per accidens non cognoscitur per speciem propriam, sed per speciem sensibilis pro-

prii: secus verò sensibile per se: ergo cum sensibile commune sit sensibile per se, ut distinguatur à sensibili per accidens, est necesse, quod per speciem propriam cognoscatur.

43 Resp. distinguendo mai. : sensibile commune est per se sensibile, sed non primo, conc. mai. : est per se sensibile primo, nego mai., & min. in sensu distinctionis. Ad probat. distinguo antec. eisdem terminis. Itaque non omne per se sensibile est productivum speciei, aut immutativum potentiam; sed solum illud sensibile, quod per se primo sentitur, quale est proprium. Sensibile ergo commune, quamvis per se sit sensibile; proùt contra distinguitur à sensibili per accidens, nequit tamen immutare potentiam; quia nequit percipi, nisi simul cum sensibili proprio. Ad confirm. dico, quod sensibile per accidens utique distinguitur à sensibili per se communi; sed discrimen stat in hoc, quod sensibile per accidens, ut substantia, vel relatio, nec movet potentiam, nec terminat actum sensationis, aut se solo, aut simul cum alio; sensibile verò commune, licet non moveat potentiam primo, nec terminet actum se solo, tamen proùt unitum cum sensibili proprio, tamquam conditione, vel affectione, ut movet po-

potentiam, & terminat actum sensationis.

44 Dices 2. : sensibile commune percipitur per speciem, ità ut species sit ratio illud percipiendi; sed species solùm est ratio percipiendi illud objectum à quo producitur: ergò species per quam sensibile commune percipitur debet produci ab ipso sensibili communi. Minor constat, quia species est imago, saltem virtualis objecti ipsam producentis. Resp., concessa mai., negando min.; & ejus imbitam probationem. Species enim non producitur ab objecto secundum se, & præcisivè à suis affectionibus, neque est virtualis imago ejusdem objecti prout sic; sed sicut producitur à sensibili proprio, modificato suis affectionibus, ità est similitudo virtualis ipsius, prout modificari. Unde species, non solùm habet repræsentare objectum, à quo immediatè procedit, sed etiam omnes conditiones, & affectiones sensibilis illius, qualia sunt sensibilia communia: & sic naturalitèr non videtur objectum, nisi cum tali magnitudine, motu, quiete, &c.

45 Dices 3. : eadem species nequit esse repræsentativa sensibilis communis, & sensibilis proprii: ergò sensibile commune non percipitur per speciem sensibilis proprii; & consequenter, &c. Prob. antec. : eadem

species nequit repræsentare colorem, & sonum v.g. : ergò nec colorem, qui est sensibile proprium; & motum, qui est sensibile commune. Prob. consequ. : maior est distantia inter colorem, & motum, quam inter colorem, & sonum: ergò si eadem species, &c. Resp. neg. antec.; & concessio antec. probationis, nego consequent.; & disting. ejus probat. : maior est distantia inter colorem, & motum *in esse rei*, quam, &c., conc. antec. : *in esse sensibilis*, nego antec., & consequentiam. Color ergò, & sonus sunt objecta disparata in sua sensibilitate; quia ad distinctos sensus pertinent; quantitas autem, magnitudo, & figura, cum sint affectiones propriæ sui sensibilis proprii scilicet coloris, necessariò ipsum committantur in motione, & specie immittenda. Unde, color nisi ut quantus, nequit saltem naturalitèr terminare visionem.

46 Dices 4. : species sensibilis communis debet esse distincta à specie sensibilis proprii: ergò, &c. Prob. antec. : permanente in sensu specie sensibilis proprii, corrumpitur species sensibilis communis; ergò non sunt eadem species. Prob. antec. : idem numero sensibile proprium, album v.g., modò quietescit, & postea movetur, & sic potentia, modò cognoscit motum, postea quietem, quæ sunt

sensibilia communia ; sed potentia semper cognoscit album, quod est sensibile proprium : ergo permanente specie sensibilis proprii, corrumpitur species representativa sensibilis communis. Pro solutione hujus replicæ notanda est doctrina, allata num. 41. hujus. Resp. negando antec., & antec. probat. Ad probat. distinguo min. : sed potentia semper cognoscit album, vel per eandem, vel per distinctam speciem, totaliter, aut partialiter variatam, conc. min. : per eandem numero præcisè speciem, nego min., & consequ.

47 Itaque, variato objecto quoad sensibile commune, variatur & species impressa, & expressa, & hoc, aut totaliter, aut partialiter : *totaliter*, si varietur tota affectio, aut modificatio, ut cum homo transit de motu ad quietem secundum omnes sui partes : variabitur autem *partialiter*, si homo, qui antea totus movebatur, postea secundum unam partem movetur, & secundum alteram quiescit. Ratio hujus variationis est, sive partialis, sive totalis ; quia cum species sit imago intentionalis objecti, debet illud representare, non solum in specie, sed etiam in individuo, hoc est, cum omnibus conditionibus individualibus, & affectionibus sensibilibus. Quare, his variatis, iam totaliter, iam partialiter, eo-

dem modo variatur, species sensibilis proprii, prout noviter affecti novis conditionibus ; quia novam producit imaginem sui, saltè m numericè distinctam, vel ex toto, vel ex parte. Unde nunquam verificatur, quod varietur species sensibilis communis, quin varietur, & sensibilis proprii.

48 Dices ultimò : possumus percipere sensibile commune, quin ullo modo percipiamus sensibile proprium : ergo, &c. Prob. antec. : persèpè percipimus altitudinem, & figuram montium, & aliarum rerum, quin percipiamus colorem ; sed tunc casus percipimus sensibile commune sine proprio : ergo, &c. Resp. negando ant. Ad prob. disting. mai. : persèpè percipimus altitudinem, &c. ; quin percipiamus colorem clarè, & distinctè, conc. mai. : quin percipiamus confusè, & obscurè, nego mai., min., & consequ. Itaque talia objecta sensibilia deferuntur ad visum ratione speciei coloris ; sed quia color, ob nimiam distantiam sui immittit speciem valdè remissam, idè color solum imperfectè, & obscurè percipitur ; ita ut intellectus determinatè non cognoscat quisnam sit color.

49 Dubitab. 4. : à quo dependant species sensibiles in conservari ? Diximus iam dubio 1. huius, species impressas sensi-

sibiles totalitèr produci à suo objecto. Nunc querimus: à quo dependeant in conservari? Et quia, quoad hoc non videtur esse eadem ratio de omnibus, ideò dico 1.: *species aliquorum sensuum externorum, ut visus, gustus, & tactus, conservantur à suis objectis.* Est communis. Prob.: ab illo conservantur tales species, quo posito, ponuntur, & quo sublato, immediatè desinunt esse; sed sic se habent species visus, gustus, & tactus; ergò istæ conservantur à suis objectis. Minor ipsamet experientia constat. Maior patet paritate luminis; nam hoc dicitur conservari à corpore luminoso; quia isto posito, ponitur lumen; & auferitur ablato tali corpore.

50 Dico 2.: *species sensuum externorum, scilicèt soni, & odoris: & universalitèr species sensuum internorum non dependent in conservari à suis objectis.* Prima pars prob., & primo de sono; nam transeunte collisione corporum, v.g. excussione alicujus tormenti bellici, adhuc per aliquod tempus perseverat sonus in potentia auditiva. Similiter istud constat de odore, qui quidem paululum durat, postquam amotum est odorabile: ergò quia species horum sensuum non dependent in conservari immediatè ab objecto. Et si queras: ubinam conserventur? Dico, quod in medio, nempe in aere. Prob.

secunda pars, scilicèt, de speciebus sensuum internorum; quia objectis absentibus, aut destructis, eorum species conservantur in imaginativa, aut memoria: ergò tales species non conservantur ab objectis. Antec. constat; siquidem beneficio talium specierum quampluriès recordamur præteritorum: ergò, &c.

51 Dubitabis deniquè: quomodo corrumpantur species sensibiles? Quoad species dependentes in suo conservari ab objecto parva, aut nulla difficultas est: quomodo corrumpantur; quia cum oppositorum eadem debeat esse ratio, causa desitionis earum est defectus, aut absentia objecti. Undè, difficultas precipuè procedit de cæteris speciebus, quæ sic in conservari non dependeat ab objecto. Et certum debet esse quod tales species non corrumpuntur per contrarietatem unius speciei cum alia in eodem subjecto. Ratio est; quia species non contrariantur inter se, sicut objecta, aut habitus; nam aliàs, adveniente specie albi, desineret esse species nigri, quod est falsum. Et quamvis N. Doct. in 1. dist. 3. q. 6. §. *ad rationes*, videatur dicere quod species sensibiles possant deleri *per contrarium formalitèr; ly contrarium non cadit supra speciem, sed supra qualitatem subjecti, conservativi speciei, vel supra qualitatem, oppositam*

qualitati productivæ talis speciei; ut ipse Doct. se explicat. His notatis,

52 Dico: *species sensibiles corrumpuntur per variationem subjecti: & hoc, vel quoad entitatem, vel quoad dispositionem temperamenti in organo.* Prima pars constat; quia, dum cerebrum acquirit novas partes per nutritionem, perdit priores; sed ex harum mutatione, maxime si sit magna ex parte, perduntur priores species acquisitæ: ergo corrumpuntur ex variatione entitativa subjecti. Confir. ex Philos. Lib. de Memoria, & reminiscentia cap. I. docente, quod in pueris, & senibus minuitur reminiscentia propter nimiam humiditatem, & frigiditatem cerebri. Secunda pars etiam constat; quia ex indispositione temperamenti in organo oritur ejus læsio, & ex ista nascitur major, vel minor perfectio potentia memorativæ, ut docet N. Doct. immediate cit. Alias causas minoris momenti vide apud A.A.

SECT. IV.

De divisibilitate, & intensione specierum sensibilium.

53 **P**RO resolutione primæ partis Sect.

notandum est, quod species sensibiles sunt divisibiles in essendo, seu subjectivè. Ratio est; quia cum tales species sint materiales, & educantur ex subjecto materiali, & extenso, eidemque inhæreant, necessario debent habere partes, & esse divisibiles, non minus, ac cætera accidentia materialia. Quare, difficultas non procedit de divisibilitate entitativa, & subjectiva, sed de divisibilitate objectiva, & in representando. Quod ergo in præsentibus queritur, est: an species ita representet aliquod objectum, ut tota species representet totum objectum, & quælibet pars speciei similiter totum objectum representet, & quamlibet ipsius part. ? An verò res ita se habeat, ut tota species representet totum objectum, & pars speciei solam partem objecti, non vero totum? Si primum est verum, sequitur quod species sit indivisibilis objectivè, & in representando, ut voluerunt aliqui Antiqui, citati apud Mast. hic num. 84. : si secundum, erit divisibilis, nedum entitativè, & subjectivè, sed etiam objectivè, & representativè. Quid nobis?

54 Dico: *species impressæ sensibiles sunt divisibiles objectivè, & representativè modo explicato.* Est communis inter Nostrates, & prob. 1.: objectum, quod representatur per tales

Ies species, vél est etherogenum, vél est homogenum; sed quodcumque dicatur, species impressa nequit ipsam indivisibilitèr repræsentrare, ità ut tota repræsenter totum objectum, & qualibet pars etiam repræsenter totum, & quamlibet partem objecti: ergò, &c. Prob. min. de objecto etherogeneo: supponamus, quod hoc sit color conflatus ex coloribus dissimilaribus & diversis, ut ex albedine, & nigredine, ità ut fiat color medius, hic color nequit repræsentrari ab eadem specie; quia colores, ex quibus componitur sunt omninò specie distincti: ergò nequit unica species repræsentrare totum hoc objectum etherogenum, ità ut, &c.

55 Prob. etiam de objecto homogeno: qualibet pars talis objecti habet entitatem numero distinctam ab alia parte: ergò qualibet pars objecti causat partem speciei, & sic una pars non causat totam speciem. Hæc conseq. constat; quia non est maior ratio, cur una pars totam speciem producat præ alijs. Prob. antec.: licet partes talis objecti dicant unionem continuationis inter se, & consequenter tollat divisionem talis unio, non tamen tollit distinctionem numericam; quia tales partes non transeunt in unam entitatem simplicem, sed retinent entitates æque distinctas, ac ante unio-

nem: ergò qualibet pars objecti, &c. Confirm.: supponatur statua lignea, quæ causet speciem totalem sui potentia; quæro: pars speciei causata à capite, repræsentrabit pedem, aut brachium, vél non? Primum dici nequit; quia caput, & pes habent diversam figuram, & caput potest repræsentrari perfectum & pes imperfectus. Si secundum; sequitur, quod pars speciei repræsentrat partem objecti, scilicet, caput, & non alias partes, ut brachia, & pedes: ergò repræsentrat divisibiliter.

56 Prob. 2. Conclus. ratione universali: ponatur aliquod objectum, quatuor palmorum v.g.; & quod totum illud sit tectum: detegatur unus non repræsentrabit, nisi primum palmum; detegantur postea successivè alij palmi; quæro: vél producit nova species; ipsos repræsentrans: vél species primi palmi invariata repræsentrat cæteros palmos? Si primum, habemus intentum: secundum nequit dici: ergo quia species est divisibilis objective, & in repræsentrando. Prob. secunda pars: hæc species, quæ repræsentraret cæteros palmos, aut dependeret in esse ab ipsis, aut non dependeret? Si primum, sequitur, quod idem numero effectus, scilicet, eadem invariata species dependeret simul à pluribus causis totalibus; sed alias, si non
de-

dependeret à talibus palmis, non posset ipsos repræsentare; quia species solum potest repræsentare illud objectum, à quo producit, & à quo dependet in esse: ergo eadem species indivisa, quæ repræsentabat primum palmum talis objecti, nequit repræsentare cæteras partes; & consequenter, &c.

57 Dices 1.: plures partes ejusdem objecti produciunt eandem indivisibilem speciem: ergo quia species in repræsentando est indivisibilis. Antec. constat experientia; nam plura minuta corpuscula, ut grana sinapis, quæ singulatim videri non possunt, unita, & conjuncta videntur. Confirm.: ad hoc, ut aliquod objectum videatur v. g. requirit determinatam molem: ergo quia partes talis objecti indivisibiliter produciunt totalem speciem totius illius objecti. Resp., concessio antec., negando consequ.; quia unio, & conjunctio talium corpusculorum minutorum non se habet ut principium, respectu visionis; sed solum per modum conditionis, requisitæ ad hoc, ut tale objectum possit immutare visum.

58 Itaque species producta ab uno grano sinapis v. g., dependet totaliter ab illo, tamquam à principio ipsius, & non à multitudine granorum, nisi ad summum ut à conditione, respectu cujuslibet grani: vel ad

hoc, ut longius emittat propriam speciem: vel ad hoc, ut illa species unius grani, quæ erat valde remissa, & insufficientis ad immutandum visum, additis speciebus aliorum granorum, multiplicentur in eodem puncto medij, & sic omnes aggregatæ, possint immutare visum. Undè talia corpuscula plura non se jubant invicem, tamquam principia, nec concurrunt ut una causa totalis indivisibiliter produciens unicam speciem, sed tot., quot corpuscula. Per id patet ad confirm., cujus antec. concessio, negatur consequent.

59 Dices 2.: quodlibet agens, ita indivisibiliter producit suum effectum, ut totum agens producat totum effectum, & quælibet ejus pars quamlibet partem effectus: ergo à pari, totum objectum producit totam speciem, & quamlibet ejus partem; quælibet pars partem speciei, & totam speciem; sed hoc ipso species est indivisibilis in repræsentando: ergo est. Confirm.: lumen ita producit à corpore luminoso, ut omnes partes talis corporis conjungantur ad illuminandum per modum unius agentis; & sic totum lumen productum, & quælibet ejus pars dependet à toto corpore luminoso, & à quælibet ejus parte; sed lumen est species impressa lucis: ergo species producit à

toto corpore, & à qualibet ejus parte, & quælibet pars producit totam speciem.

6 Respond. ad replicam, concesso antec., negando conseq. Est enim discrimen inter agentia, respectu suorum effectuum, & objectum comparative ad speciem. Et stat in hoc; quia alij effectus solum habent rationem effectus; proptereaque virtualiter continentur in qualibet parte ejusdem rationis. Species verò ultra rationem effectus dicit rationem imaginis: & cum hæc repræsentet objectum cum omnibus conditionibus individuantes, & sensibilibus, hinc petit determinatam causam, nedum in specie, sed etiam in individuo. Unde, non continentur virtualiter, nisi in tali individuo determinato. Ad confirm., nego mai., quia lumen divisibiliter producit à corpore luminoso; quia, si quis aliquod vitrum coloratum v.g.; apponeret medietati candelæ, certè una pars luminis appareret colorata, & alia non; quod indicat, quod totum lumen non dependeat à qualibet parte corporis luminosi.

61 Dices tandem: si plures species requirerentur, ut repræsentarent plures partes objecti, sequeretur, quod in exigua pupilla oculi v.g.; & in quolibet puncto medij essent simul tot partes speciei, quot sunt par-

tes in toto Cælo, sed hoc est inconveniens: ergo ne hoc sequatur, dicendum est, & quamlibet partem speciei repræsentare totum objectum, & quamlibet ejus partem; & consequenter indivisibiliter. Resp. concessa maiori, negando min. Ratio est; quia cum species sensibiles non afficiantur quantitate, sunt ab invicem penetratæ, ut patet in sensibus internis. Quare, non est inconveniens, quod exigua pupilla oculi, & quolibet punctum medij capiat speciem repræsentativam totius Cæli.

62 Ut hoc melius percipiatur, notate ex Nost. Mast. hic num. 88., quod species istæ se habent indivisibiliter in ordine ad subjectum, hoc est, in ordine ad punctum medij, dum ab illis partibus ad illud potest duci lynea recta, & etiam in ordine ad potentiam respectivè. Quod ita intelligendum est, quod tota species recipiatur indivisibiliter tum in medio, tum in potentia, non ita ut tota unica species sit in toto medio, aut potentia, & tota in qualibet parte, & puncto medij: sed ita, ut in quolibet puncto sit species distincta omnium partium objecti, dum ab illis partibus ad illum punctum potest duci lynea recta. Hoc declaratur exemplo: in candela illuminante aliquod cubiculum,

ex qualibet parte, aut puncto medij videntur omnes partes candelæ, & ipsa tota: ergò quia species omnium partium recipiuntur in qualibet parte, aut puncto medio. Videatur N. Salmatinus hic Conclusionæ 2. n. 114.

63 Quoad intensionem talis speciei, dico, *quod species sensibiles sunt intensibiles, & remissibiles.* Prob.: maior, vel minor extensio objecti causat maiorem, vel minorem intensionem speciei sensibilis: ergò à pari: objectum magis, vel minus intensum, proaucit species magis, vel minus intensas. Confirm.: albedo ut unum est causa naturaliter productiva speciei representandis in albedinem secundum illum unum gradum: ergò albedo ut duo naturaliter producat speciem representandam albedinem ut duo, & hæc erit intensio prima; & consequenter intenditur. Res est communis: unde non plus immorandum.

SECT. ULTIMA.

De muneribus specierum sensibilium.

64 **A** B hæc difficultate breuiter expediemur; nam de ipsa longius, dum de speciebus intelligibiliibus agamus. Duo ergo munera præcipua assignari so-

lent speciei sensibili impressæ. Primum est concurrere cum potentia ad sensationem producendam. Sed nunc circa hoc munus est difficultas: quomodo concurrat: & an hoc conveniat speciei sensibili impressæ, tam sensuum internorum, quam externorum? De qua difficultate primo agemus. Secundum munus talis speciei est quod sit representativa objecti, cujus est similitudo; sed ex hoc etiam oritur dubium: an species sensibilis impressa sit similitudo formalis objecti: an verò tantum virtualis? De quo etiam in hac Sectione breuiter agendum est. Pro resolutione autem primæ difficultatis.

65 Dico: *species sensibiles impressæ, tam sensuum internorum, quam externorum concurrunt activè simul cum potentia ad sensationem producendam.* Prima pars conclusionis est communis. Quoad secundam, licet sit contra aliquos Scotistas, non tamen contra Doct. ut notat Mast. hic num. 107. Prob. prima pars: potentia sensitiva interna non est causa totalis cognitionis, sed requirit concursum partialem objecti; sed objectum respectu talis sensationis, nequit immediate concurrere; ergo debet concurrere, mediantè specie objecti. Maior constat ex illo communi proloquio, recepto in Scholis: *ab objecto, & potentia pa-*

visus notitia. Prob. min. : sensus interni percipiunt objecta ab sentia, & quæ à parte rei non existunt, ut patet dum recordamur de aliquo objecto; sed hoc ipso nequit immediatè se ipso concurrere ad sensationem internam: ergò concurrit medio alio, gerente ejus vices, scilicet. specie impressa.

66 Prob. secund. pars conclusionis quoad sensus externos; quæ pluries videtur aliqua res, quæ à tergo existit, medio speculo; sed in hoc casu ad istam visionem, nequit ipsamet res, seu objectum immediatè concurrere: ergò debet concurrere species reflexa, habita in speculo. Prob. minor: si non concurreret talis species, ipsummet objectum à tergo existens posset videri sine speculo; sed hoc est falsum: ergò quia objectum non concurrit immediatè, &c. Confirmatur hoc exemplo nummi positi in fundo alicujus vasis; nam si vas impleatur aqua videtur numus, è certo loco è quo non videretur, si aqua non adesset; sed hujus non est alia ratio, nisi variatio medij refrangentis radium, aut speciem: ergò quia tunc species, & non objectum concurrit immediatè ad istam sensationem.

67 Dices 1. contra hanc secund. part. pro Scotistis: Subt. Doct. in 2. dist. 9. quest. 2. §. *Ad ista*, num. 18. arguet, quod species non concur-

rit ad visionem, sed quod ipsummet objectum, seu color causat speciem, tanquam effectum prævium, & postea immediatè visionem: ergò, juxta Doct., objectum concurrit immediatè ad sensationem externam. Resp. 1., quod pro hoc loco Doct., quem pro se adducunt Scotistæ Contrarij, adducit Nolter Mast. cit. quam plura loca, in quibus expressè tenet Doct.: *oculum videre objectum per speciem*: speciem coloris repræsentare organo colorem. Sed resp. 2., quod Doct. alegatus à Contrarijs in 2., non loquitur ex propria sententia, sed ex sententia aliorum: Cajus signum est; quia uritur tali doctrina, tanquam exemplo, ut explicet: quomodò agens possit agere in distans, quin agat in medium actione ejusdem rationis. Vide Mast. cit.

68 Dices 2. : omnis cognitio sensuum externorum est intuitiva; sed hoc ipso nequit species concurrere cum potentia ad sensationem producendam: ergò ipsummet objectum est præcisè, quod concurrit. Minor constat, tum ex definitione cognitionis intuitivæ, quæ est rei præsentis, & existentis; prout in se præsens, & existens est: tum ex dicendis, dum agamus, de cognitione intuitiva intellectuâli. De hac difficultate ex professo agemus ibi. Pro nunc respondeo, quod est discrimen inter speciem intelle-

Etalem, & etiam sensitivam internam, respectu speciei impressæ sensibilis externæ; quod fiat in hoc, quod species sensibiles internæ, & intelligibiles nati sunt diu manere absente objecto; ideoque nequeunt esse principium cognitionis intuitivæ; species verò sensuum exterorum dependent in conservari ab objecto, nam ipso absente, cito transeunt, & desinunt esse: unde possunt deservire pro sensatione intuitiva externa. De hoc, ut dixi longius postea.

69 Pro resolutione secundæ muneris speciei sensibilis impressæ, scilicet, representare objectum, notare, quod similitudo triplex distingui solet, *formalis* scilicet, *virtualis*, & *objectiva*. Formalis est, quæ representat objectum ad modum imaginis, sicut se habet sensatio externa, seu species expressa. Similitudo virtualis consistit in hoc, quod sit semen, & virtus productiva illius, quod formaliter representat objectum. Similitudo objectiva dicitur illa, quæ se habet ut medium cognitivum: & est imago alicujus rei, quæ prius cognita ducit in cognitionem sui prototypi, uti se habet imago Cæsaris depicta in tabella. Queritur modo: quænam ex his similitudinibus conveniat speciei impressæ?

70 Dico: *species sensibilis impressa rigurose sumpta, nec est similitudo objectiva, nec*

formalis sui objecti; sed solum virtualis. Prob. prima pars; quia, quando videmus albedinem, in pariete v. g., non cernimus speciem albedinis quæ est in oculo, vel aere, sed solum ipsam albedinem immediate; sed si species impressa, esset similitudo objectiva, ipsa deberet esse objectum, seu medium, quod primo, & per se attingeretur: ergo quia non est similitudo objectiva. Prob. 2. pars: si species impressa esset similitudo formalis objecti, superflueret in potentia species expressa, distincta ab impressa; sed hoc non est dicendum: ergo non est similitudo formalis. Prob. mai.: totum, quod præstat species expressa media sua similitudine formali, scilicet, reddere objectum expressam potentia, haberetur per speciem impressam, media sua similitudine formali; nam exprimeret objectum formaliter eidem potentia: ergo tunc superflueret species expressa: ergo à sufficienti partium enumeratione solum est similitudo virtualis.

71 Dices contra hanc part. pro Complutensibus, quod, quamvis species impressa sit similitudo formalis objecti, per ipsam tamen objectum solum exprimitur in actu primo: per speciem autem expressam in actu secundo: ergo, quamvis admittatur similitudo formalis speciei impressæ, non ob hoc super-

perfluit species expressa, ad hoc ut per ipsam exprimatür objectum in actu 2. Resp. tamen, quod si species impressa est similitudo formalis expressa ab objecto in potentia, & hæc redditur formalitèr representativè, ipsum=met objectum, media tali specie, sequitur, quod iam objectum evadit expressum potentie, nedum in actu primo, sed etiam in actu secundo; cum non sit alia expressio, quæ fieri valeat. Vide N. Mast. hic

DISP. VI.

DE POTENTIIS EXTERNIS animæ sensitivæ.

CUM sensus externi priores sint, præexiganturque sensibus internis, prius de illis, quam de istis in particulari agendum est. Quinque communiter assignantur, visus, scilicet, auditus, olfatus, gustus, & tactus. Sed quia hi sensus duo important, & facultatem animæ, quæ nobis ignota est, & organum, seu sensorium ex parte corporis, hic præcipuè agemus de his sensibus, pro eo, quod dicantur ex parte corporis. Sit ergo

QUÆST. I.

In qua difficultates, ad sensum visus pertinentes examinantur.

CUM organum visus cætera in perfectione excedat, merito ab ipso incipiendum est. Ejus dignitas ex ejus miro officio clarescit. Undè de ipso aliqua in compendio dicemus, reliqua ad Physicos Medicos, & Anatomicos relinquendo. Constat ergo extractura oculi in communi tribus humoribus, *crystalino, vitreo, & aqueo*: deinde quinque tunicis, scilicet, speculari, reticulari, uvea, cornua, & adjacente, sive adnata: Tercio septem musculis, juxta alios sex; & tandem duobus nervis opticis, seu visorijs. Ordo, & dispositio harum omnium partium sic breviter explicatur.

2 In centro oculi adest primo humor crystalinus, sic dictus, non ob duriciem sui, sed ob transparentiam, & luciditatem ipsius. Hunc humorem circumdat undique prima tunica, *specularis* dicta ob sui nitorem; ab alijs dicitur *aranea* ob sui subtilitatem. Ex humore crystalino, & tunica speculari coales-

cit pupilla. Sequitur deinde secundus humor dictus *vitreus*, ob similitudinem, quam dicit cum vitro liquefacto. Hic humor non est omnino fluidus, sed aliquomodo crassus: & in ipso innatat pupilla, sed taliter, ut eminent aliqua sui parte, ad modum ligni natantis super aquam. Sequitur deinde tunica *reticularis* ambiens totum humorem vitreum, excepta tamen ea parte, ex qua humor cristallinus, seu pupilla supra talem humorem supernatat. Dicitur tunica *reticularis*, quia componitur ex multis venulis, plenis sanguine, quo aluntur oculi, ad instar retis ex varijs filis contexta.

3 Hanc tunicam reticularem circumdat tertia, scilicet, *uvea*, sic dicta ob similitudinem ipsius cum folliculo uvæ. Unde, sicut si ex ista pendiculum detrahatur, relinquitur in ipsa foramen, sic; tunica *uvea*, quamvis oculum circumdet, habet tamen quoddam foramen à parte anteriori, per quod patet additus species, ut perveniant ad pupillam, & hæc respiciat objectum. Subsequitur tertius humor, *aqueus* dictus, qui etiam non obscurat pupillam, nec aliquam partem tunice *uveæ*: & hic humor est humidus, ut sua humiditate conservet pupillam humectatam. Hunc humorem aqueum tegit

quarta tunica, *cornea* scilicet, sic dicta ob ejus duriciem. Sed notandum est, quod hæc tunica, licet tegat, & muniat, nondum oculum, sed etiam pupillam; quia tamen & diaphana, & splendida, non impeditur pupilla ab ipsa, ut recipiat species, percipiatque objecta. Tandem sequitur ultima tunica, *adjacens*, sive *adnata* dicta, quia quasi congenita, quæque est pellicula exigua totum oculum ultimo ambiens, firmans, & continens in propria sede. Ab alijs vocatur hæc tunica *pericranium*, quia ducit ortum à tunica ambiente calvariam. Hæc est extractura, intrinseca oculi.

4 Postea sequuntur muscoli septem, aut sex, & duo nervi, qui extracturam oculi quasi extrinsecè continent. Declarantur: muscoli sunt quedam ligamenta, quæ deserviunt motui oculi. Duo primi inserviunt ad motum oculi sursum, & deorsum: alij duo deserviunt ad motum dexterum, & sinistram: etiam duo circumferunt oculum in gyrum, seu ipsum revolvunt. Qui tandem septimum musculum admittunt, ipsum ponunt, ut oculum in suo loco, & sede sustineat, ipsumque firmiter retineat, & alliget cum nervis opticis. Denique concurrunt ad extracturam oculi duo nervi optici, seu visorii, qui à parte an-

anteriori cerebri prodeunt, & versus oculos tendunt: sed hoc ordine, ut qui à dextera oritur tendit ad sinistram: & è contra, qui à sinistra tendit in dexteram. An verò hi nervi sit unus in cerebro, vel duplex? differunt AA. Quod certum est, est, quod per hos nervos descendunt ad oculos spiritus animales deservientes ad visionem, & etiam per ipsos ascendunt ad cerebrum, & ad sensum internum species rerum visarum, quæ requirantur ad sensationem internam. His de exstructura oculi explicatis, sunt aliquæ difficultates resolvendæ.

5 Dubitabis 1. : ejus temperamentum sit organum visus? Galenus, cum alijs tenuit esse igneum. Cujus fundamentum erat, tum, quia oculi felis v.g. noctu lucent: ergò ignea debent esse: tum ex magna velocitate oculorum, quæ naturam igneam imitatur. Sed hæ rationes non cogunt: non prima; nam ad summum sequitur, quod in oculo felis sit aliquod lumen intus: neque secunda, quia velocitas oculorum revocanda venit in lubricitatem eorum, quæ oriatur, tum ex musculis, valde facilibus motui: tum ex copia spirituum, qui deferuntur ad oculos per nervos opticos. Undè cholericis ex magna copia, & vivacitate spirituum videntur habere oculos

igneos. Quarè
6 Dico cum Philos. Lib. de sensu, & sensibili cap. 2., quod temperamentum oculi est aqueum, hoc est humidum, & frigidum. Prob. 1. : oculi in foetibus sunt, qui ultimo loco perficiuntur; sed hoc provenit ex eo, quod eorum humiditas, & frigiditas tardius concoquitur, ad hoc, ut ad debitum temperamentum deveniant: ergò quia eorum temperamentum est humidum, & frigidum. Confirm. experientia humiditatis, & excrementi, quæ ex oculis per sæpe fluit. Tandem; quæ, si oculi essent temperamenti ignei, cum magna facilitate accrescerent, citòque redderentur minus idonei visioni, quod est contra experientiam.

7 Dubit. 2. : in qua parte, ex quibus exstructura oculi componitur consistat organum visus? Certum debet esse, quod non consistat in omnibus; aliàs frustra volveremus oculos ad illam partem, quam videre cupimus, si tota facultas videnti resideret in toto, & qualibet parte oculi. Aliqui, cum Avicenna, ponunt organum visus in nervis opticis, maxime in ea parte, quæ ab invicem copulantur. Aliqui autem Thomase cum Complutensibus, non solum in nervis opticis, ubi prædicti nervi conjunguntur, sed etiam in humore cristallino col-

locant, ita ut ex nervis, & humore integreretur potentia visiva.

8 Dico: *sensorium visus consistit unice in humore cristallino, sive oculi pupilla.* Est communis inter Philosophos, & maxime Medicos. Prob. 1. impugnando Thomistas: *sensorium visus nequit consistere in nervis opticis: ergo, &c.* Prob. antec.: primo; quia, juxta Medicos, nervi sunt transparentes, sed terrestri nature; sed ad sensorium visus est necessaria transparentia, & diaphanitas: ergo, &c.. Secundo: nervi optici sunt tunica uvea obiecti, ut diximus; sed tunica uvea, ut potè colorata, hoc est, subnigra, aut flava, omnia objecta reddit hujus coloris: ergo, si in nervis opticis staret potentia visiva, omnia objecta apparerent colorata, sicut tunica uvea, per quam transirent.

9 Prob. 2. Conclusio ratione: inter omnes partes oculi humor cristallinus, seu pupilla est aptior ad visionem eliciendam: ergo in ipso consistit potentia visiva. Prob. antec.: talis humor est magis transparentis, & diaphanus: & ultra habet à tergo alium humorem opacum, ad hoc ut possit in eo fieri reflexio specierum, ut videmus in speculo; sed hoc requiritur ad visionem eliciendam: ergo, &c. Conf.: humor cristallinus, & pupilla est centrum totius oculi,

ita ut omnes partes ipsius sint ordinatæ à natura propter ipsam: aliæ ad tutamentum: aliæ ad alimentum; sed hoc ipso in hac parte debet statui potentia visiva: ergo, &c. Minor constat; quia in hac parte debet constitui, quæ magis defenditur à natura, & à nobis magis diligitur; sed hæc est pupilla, juxta illud Psalmi 16.: *custodi nos Dñe. ut pupillam oculi: ergo, &c.*

10 Dices 1. Contra hoc: Philosophus cit. ait, quod non in ultimo oculi anima, aut animæ sensitivum est; sed manifestum est quoniam interius: ergo juxta Philosophum, nervi sunt sensorium visus. Confirmatur ex Nost. Doct. in 1. dist. 3. quæst. 4. §. *De tertijs*, numer. 10., ubi videtur sentire, quod sensorium visus consistat in conjunctione nervorum opticorum. Ait enim: *quia haberet sufficientem distantiam respectu organi visus, quod est in concursu istorum nervorum: ergo juxta Doct., &c.* Resp. ad prim. quod ex authorit. Philos. nihil contra nos, quinimò in nostrum favorem; nam sensus Arist. est, quod visio non producitur in superficie, aut tunica exteriori oculi, sed in humore cristallino, qui est pars intima ipsius oculi. Ad Doct. dico, quod in loco citato non agebat ex professo de hac difficultate; sed solum adducebat varios modos, quibus

bus illuditur sensus, & ponit exemplum in potentia visiva, quæ quamvis consistat in conjunctione nervorum opticorum, tamen ob distantiam ad objectum, facile potest illadi. Vide Doct. in 2. diit. 13. num. 3. ubi agit de hac re.

11 Dices 2. : unum sensorium visus debet statui; sed hoc esset falsum, si potentia visiva consisteret in humore Crystalino, aut pupilla: ergo, &c. Prob. maior primò; quia unus guttus sufficit pro omnibus saporibus, ut unus tactus pro omnibus tangibilibus: ergo & una potentia visiva pro omnibus visibilibus. Prob. 2. eadem maior; quia sicut objectum visus, & visio est unum, ita & potentia visiva debet esse una. Min. primi syllogismi etiam patet; quia cum sint duo humores crystalini, duæque pupillæ, si in his consistit potentia visiva, jam erit duplex. Unde, statuendo ipsam in nervis opticis; cum in cerebro faciant unum, unica erit potentia. In primis hæc replicæ instari potest in potentia auditiva, & olfativa: deinde facit contra Thomistas, statuentes organum visus, nedum in nervis opticis; sed etiam in humore crystalino, seu pupilla.

12 Resp. directè distinguendo mai. : potentia visiva est una unitate integritatis, conc. mai. : una unitate identitatis, ne-

go mai. ; & distinguo min. eisdem terminis; & nego consequ. Ad primam prob., concessio antec., nego consequ. Ad secundam nego antec. quoad prim. part., & distinguo, quoad secundam terminis maioris. Itaque, sicut potentia visiva coalescit ex duplici partiali oculi geminati, ita & visio perfecta integratur ex visione utriusque oculi, nam perfectior; & extensior est visio hominis, præditi utroque oculo, quam monoculi. Neque ex hoc sequitur, quod quamvis objectum duplici visione videatur, si est in uno loco, multiplex objectum videatur; quia species emissa ab eodem objecto in utrumque oculum, illum representant, & ut unum; ad modum quo, dum plures homines vident eadem objectum; scilicet, lucernam, omnes eandem vident, quia representatur, ut multiplex: dum vero eadem objectum representatur in diverso loco, multiplex apparet.

13 Dub. 3. : quodnam sit objectum visus? Objectum visus sic communiter describitur in generali: *est qualitas sensibilis per se primò immutativa visus.* Ly *qualitas sensibilis* se habet ut genus respectu objectorum aliorum sensuum. Per ly *per se* distinguitur à sensibili per accidens: & per ly *primò* à sensibili communi: & per ly *immutativa visus* distinguitur ab alijs

alijs sensibus. Quænam autem sit hæc qualitas immutativa visus? Est in præsentia, quod quaeritur. Et certum est, quod cum per visum percipiatur *color, lux, & lumen*; hinc est, quod hæc tria pertinent ad objectum visus. Unde, quamoptime potest dici, quod objectum adæquatam cū aggregatam ex omnibus objectis, in quæ sola potentia vitiva, & nulla alia potest tendere, componatur *ex colore, luce, & lumine*, inà ut color, lux, & lumen sint objecta formalia partialia visus attingibilia per diversos actus non immeritò hæc tria seorsim hic explicanda veniunt.

14 Quæres 1. : quid sit color? Nota quod color alius est verus, & apparet alius. Color verus est, qui ex proprio temperamento corporis exurgit, & ei permanentè in existit, ut albedo Gygno, & nigredo corvo. Sicque à Philoſop. definitur Lib. de sensu, & sensibili cap. 3. *est extremitas perspicui in corpore terminato.* Dicitur *extremitas*, non pro superficie corporis terminantis perspicuum, alias color esset quantitas; sed prout est idem, ac terminus in corpore opaco, impediente progressionem perspicui ultra ipsum corpus opacum, ut apparet in speculo, cujus terga, si finita fuerint, non, reflectit species, impediendo, ne ultra progrediantur. Dicitur *perspicui*, quod idem idem est, ac *transparens*,

seu receptivum luminis. Additur *corpore terminato*, scilicet, suamet opacitate finito, quia impedit progressionem ulteriorem perspicui. Sed pro hoc

15 Nota, quod perspicuum est in triplici differentia: aliud est purè & simpliciter diaphanum, & transparent, ut Cœlum, ignis elemental, aer, aqua, & quædam mixta, ut cristallum, vitrum, &c. Hoc perspicuum vocatur ab alijs *interminatum*; quia nullo modo videri potest, nisi ab aliquo corpore opaco terminetur. Aliud est perspicuum non simpliciter; quia licet secundum magnam part. penetreretur à visu, non tamen secundum totam profunditatem. Sic se habent lapides preciosi, & omnia ferè corpora lucida: & hoc perspicuum dicitur etiam *interminatum secundum quid*; quia nequit à nobis assignari, quænam sit pars, quæ terminat nostram visionem. Tandem aliud est perspicuum solum secundum externam superficiem; quia secundum ipsam terminat nostram visionem, cum parum, aut nihil diaphanum sit. De hoc ergo perspicuo intelligitur descriptio coloris, assignata à Philoſop. dum ait, quod in corpore opaco terminatur perspicuum.

16 Color *apparet*, sic dictus, non quia fictus, sed quia non venit ab intrinseco rei, sed

sed ab extrinseco, & transeun-
tér, sic solet describi: est qua-
litas secundi proveniens ex
diversa temperatione luminis, fa-
ciliq; mobilis à subjecto cui
inest: ut tricolor in Iride, &
varius color in collo columbæ,
qui causantur à radijs solis, re-
flectentibus, & refractis in nu-
be, aère, aut in alio corpore
opaco. Undè patet discrimen
utriusque coloris; nam verus
hæret rei, & in ipsa permanet;
apparens, deficiente luce, aut
lumine, citò desinit esse. Dein-
dè: verus videtur ex qualibet
parte medijs uniformitè ab omni-
bus: apparens autem non sic,
sed variatur, ad variationem nos-
tri aspectus. De hoc vero colore
agimus in præfenti.

17 Veri ergò colores,
alij sunt simplices, alij mixti.
Primi sunt, quorum intensio est
homogenea, eo quod intendan-
tur per gradus ejusdem rationis,
ut albedo, & nigredo. Vocan-
tur etiã *extremi colores*, quia
sub genere coloris valdè con-
trariantur: & communitèr asig-
nantur quatuor, album scilicèt,
nigrum, flavum, & rubrum.
An cæruleum sit color simplex?
Est dubium, ex utriusque parte
probabile. Colores mixti sunt, qui
ex commixtione graduum diver-
sæ rationis, ut albedine, & ni-
gredine, coalescunt, ut rufus,
palidus, &c. Sed notate, quod
quamvis color ponatur objectum

visus, nequit tamen videri sine
luce, aut lumine: lux verò, aut
lumen possunt videri sine colo-
re. De quo postea.

18 Quæres 2. : quid
sit lux? Suppono pro nunc, quod
lux non est entitas aliqua sub-
stantialis; cum sit per se obje-
ctum sensibile, quod non con-
venit substantiæ. Undè sic com-
munitèr definitur: *est qualitas
per se visibilis absque colore, natu-
ralitèr consequens naturam cor-
poris lucidi.* Dicitur *qualitas*; quia,
nec est substantia, ut diximus,
nec quantitas, quæ de se non
est lucida; nec relatio, ut de se
patet: undè solum restat, quod
sit qualitas, non intentionalis,
ut postea de lumine dicemus, sed
physica. Dicitur *visibilis*, ut dis-
tinguatur à cæteris qualitatibus,
quæ sunt objecta aliorum sen-
suum. Per *ly absque colore*, se-
cernitur ab omnibus coloribus:
qui licet ab oculo percipiantur,
non ut medium visionis, sicut
lux, sed ut objecta terminativa.
Reliquæ particule adduntur, ut
distinguantur à lumine, & radio;
quæ non consequuntur semper
adhuc naturalitèr naturam cor-
poris lucidi; quamvis certum
sit, quod lux possit ab ipso su-
pernaturalitèr separari, ut satis pa-
tet in igne interno, combu-
rente, & non illuminante in
communis opinione.

19 Quæres 3. : quid
sit lumen? Lumen communitèr

dicitur forma producta à corpore luminoso in alio corpore, ex se non lucido. Ita, dum aer tenebrosus illuminatur à Sole, forma, qua redditur illuminatus, dicitur *lumen*. Undè sic definitur à Philos. 2. de Anima text. 69. *lumen est actus perspicui, secundum quod perspicuum est.* Dicitur *actus*, quia est forma producta à corpore luminoso in alio corpore; perquodque convenit cum alijs formis accidentalibus, ut cum albedine; nam sicut albedo est actus albi, reddens corpus actu album, sic lumen est actus, reddens corpus actu perspicuum. Dicitur, *secundum, quod perspicuum est*; quia subjectum, quod antea erat perspicuum in potentia solum redditur per lumen transparens, & perspicuum actu.

20 Lumen ergò dividitur communiter in *primarium*, & *secundarium*. *Primarium* est, quod immediatè causatur à luce. *Secundarium* verò, quod non causatur immediatè à luce; sed à lumine primario: tale est lumen, quod videtur in umbra; nam hæc non est privatio totius luminis, sicut tenebræ, sed solum luminis primarij. Queritur autem hic: an lumen primarium sit species lucis: & lumen secundarium species primarij. Cui quæsito quoad utramque part. resp., quod lumen primarium est species intentionalis lucis: & secundarium luminis primarij.

Prima pars prob.; quia, si lumen non esset species intentionalis lucis, sequeretur, quod applicatum sensui, impediret visionem, tam lucis, quam coloris; cum ex dictis Disp. antec. sensibile positum supra sensum, impediatur sensationem; sed hoc est falsum; quinimò facit devenire in cognitionem lucis, corporis luminosi, & aliorum colorum, ut experientia docet; ergò est species intentionalis lucis.

21 Dices contra hanc part.: lumen primarium cernitur à visu: ergò nequit esse species intentionalis lucis. Prob. Conseq.: species intentionalis est medium, quo aliquid sentitur, non verò objectum, quod sentitur: ergò si lumen, &c. Ut hæc replica solvatur, noto ex Nostro Doct. in 2. dist. 13. quæst. unica, quod species dupliciter considerari potest: vel præcisè ut per medium perspicuum diffunditur: vel prout terminatur ad aliquod corpus opacum. In primo sensu dico, quod lumen est præcisè medium quo respectu lucis, & prout sic species intentionalis ipsius. In secunda verò consideratione est objectum, quod terminat visum. Undè lumen duo habet: & esse speciem intentionalem lucis, & esse rem visam, sub diversa tamen consideratione. Notate hoc benè.

Prob.

22 Prob. 2. pars, scilicet, quod lumen secundarium sit species intentionalis luminis primarij: per lumen secundarium quod est illud, quod componitur cum umbra, non videmus immediatè lucem Solis, sed solum lumen, à sole productum: ergò quia lumen secundarium non est species intentionalis lucis, sed ipsiusmet luminis primarij. Alij AA. agunt hic ex professo de radio, & splendore; sed quia radius convertitur cum lumine primariò, & splendor cum secundariò, meritò ab ulteriori sermone abstinemus. Videatur Nost. Doct. cit., ubi radium dividit in *rectum*, *refractum*, & *reflexum*, ubi ea explicat. Videatur etiam. Matt. hic art. 2. Nos verò ad propositum redeamus.

23 Dubit. 4. ; an, & quomodo lumen requiratur ad visionem ex parte coloris? In explicatione coloris diximus, quod lux, & lumen videntur, non interveniente lumine. Ratio hujus fundatur in ipsamet experientia; siquidem Aurora incipiente irradiare videtur à nobis ejus lumen versus aerem; sed hic nullus est color: ergò lumen sine colore videtur. Per oppositum color existens in tenebris non videtur: sed hoc defectu luminis: ergò ad visionem coloris est necessarium lumen. Hoc ergò supposito, querimus nunc: an lu-

men requiratur ex parte objecti colorati: an verò ex parte medij: an tandem ex parte utriusque? Et tandem queritur: quomodo requiratur: an, ut causa partialis: an verò solum ut conditio *sine qua non*. Rem per conclusiones declarabo.

24 Dico 1.: *lumen requiritur ex parte medij*. Probat. hæc conclusio ratione S. Doct. cit. in 2.: quandocumque duæ causæ aliquorum effectuum sunt inter se subordinatæ in operando, illa, quæ operatur posteriùs necessariò præsupponit effectum causæ prioris; sed color, & lux sunt duæ causæ inter se subordinatæ in operando suum proprium effectum, ita ut color non producat in mediò suam speciem, quin prius tale medium illuminetur: ergò lumen requiritur ex parte medij. Mai. constat in intellectu, & voluntate; nam, quia sunt subordinatæ potentia: in operando, voluntas necessariò prærequirit operationem intellectus. Minor patet ex Philosoph., dicente; quod color est motivum perspicui in actu, hoc est, medij illuminati actu.

25 Dico 2.: *lumen requiritur etiam ex parte objecti*. Probat. ex Doct. Quodl. 15. §. si vero, ubi ait: *ad hoc autem, quod color agat in visum, requiritur alia concausa, concurrens ad agendum, scilicet, lumen: ideo tunc solum est*

color visibilis, potentia propinqua, quando est actu illuminatus. Hæc Doct. Prob. ratione: sit oculus existens in loco obscurissimo, & objectum sit extra intense illuminatum: abs dubio clarius videtur tale objectum, quam si res è contra se habeat, hoc est, si objectum existat in obscuro loco, & oculus in aliquo medio illuminato: ergò quia magis requiritur lumen ex parte medij; sed requiritur ex parte medij: ergò & ex parte objecti. Ex his constat, quod etiam requiritur lumen ex parte potentia; nam aliàs species objecti nequit oculum pervadere, & recipi in humore christalino.

26. Dices contra istas Conclusiones: dantur aliqua animalia, quæ noctu vident, & sic illa hora quærunt sibi cibaria: ergò non requiritur lumen, neque ex parte medij, neque ex parte objecti. Confirmatur, tum in nive, quæ nocte in tenebris videtur; & etiam in igne remoto, qui per medium obscurum conspicitur. Urgetur in oculis vermium, qui vulgò: *gufanos de luz* appellantur; nam in obscurissimo loco videntur: ergò non requiritur lumen ex parte medij. Resp. quod in his, alijsque casibus talia animalia, quæ noctu videntur, & vident habent in suis oculis aliquod lumen, insitum à natura, quo lumine, aut luce participata à

natura sufficienter illuminant media, ut objecta percipi valeant, saltem imperfectè. Et hoc patet in exemplo vernaculorum; quod adducitur pro urgentia: & etiam in squamis aliquorum piscium. Ad confirmationem dico, quod nix, sua albedine accedit ad lucem, & sic potest videri. Ignis, etsi remotus illuminat medium aliquomodo, & sic videtur.

27. Dico 3. : *lumen requiritur ex parte coloris, ut conditio sine qua non.* Est Doct. citi quodlib. 15. Prob.: ex dictis lumen requiritur aliquomodo ex parte coloris ad hoc, ut iste causet visionem; sed non requiritur, nec ut ratio formalis, nec ut causa partialis talis visionis: ergò requiritur, ut conditio sine qua non. Maior constat ex dictis Conclusionibus antecedentibus. Prob. min. quoad prim. part.: color ex se ipso est intrinsecè visibilis, ita ut visibilitas formalis sit proprietas ipsius, juxta Philos. hic cap. 3. dicentem: *color in se ipso causam habet, cur sub aspectu cadat*: ergò, &c. Prob. eadem min. quoad secund. part.: species intentionalis coloris causatur solum effectivè ab illo objecto, quod repræsentat; sed species coloris non repræsentat lumen, sed unicè colorem: ergò non producitur à lumine, adhuc, ut à causa partiali: ergò solum concurret ut conditio.

28 Dubit. 5. : quomodo fiat visio? Aliqui ex Antiquis cum Platone docuerunt, visionem fieri per extramissionem radiorum visualium ex oculis usque ad objectum. Sed nunc communis Peripateticorum sententia tenet, quod visio fit per susceptionem, seu receptionem specierum ab objectis: quæ species intentionales simul cum potentia visiva producunt visionem: & ex alia parte, cum visio sit operatio immanens, recipitur in ipsamet potentia visiva, à qua producitur. Hoc assertum, quod à nobis tenetur, factis constat, & prob. ex his, quæ docuimus quæst. ultima Disp. antec.: ad visionem est necesse per se in potentia visiva speciem intentionalem objecti visibilis, media qua determinatur potentia ad visionem hujus objecti, præ illo: ergo visio fit per receptionem specierum objecti. Rationes Platonicorum, & aliorum, ait N. Frasen hic, sunt merè nugæ, indignæ vero Philosopho: quare eas hic omitto.

29 Dubit. deniquè: quibus animantibus sensitivis conveniat potentia visiva? Communiter asseritur à Philosophis, quod illa animacula, quæ carent motu progressivo semperque, & prosemper manent affixa, careant potentia visiva. Quorum ratio hæc est unica: natura nihil facit frustra; sed si talibus ani-

malibus dedisset oculos, faceret frustra; nam eos daret, ut possent percipere, & assequi proficua, & fugare noxia, quod quidem exequi non possent, carente motu progressivo: ergo, nē hoc dicatur, dicendum est, quod carent potentia visiva. De alijs vero animantibus, motum progressivum habentibus, discordant inter se AA. Aliqui privant potentia visiva linces & aliquos vermes, in quibus non deprehenditur vestigium oculorum. Alij excludunt Valenas, & talpas. Circa hoc videatur Noster Cabellus tract. de Anima quæst. 6. n. 11.

30 Ego universaliter dico, quod omnia illa animalia, in quibus deprehenditur vestigium oculorum, non sunt absolute privata potentia visiva; è contra verò, quæ vestigio oculorum orbata sunt, etiam potentia visiva carent. Hæc secunda pars per se constat; quia ubi non est organum visus, nequit esse potentia visiva. Prima patet ex proximè dictis; quia cum natura nihil frustrâ faciat, frustra daret eis vestigium oculorum, si his videre non possent. Hinc ergo N. Cabellus citat. tam in Valenis, quam in talpis potentiam visivam, & visum admittit, quamvis valdè remissam, & imperfectam, quodque suedet experientijs à se visis

QUÆST. II.

De Auditu, & Sono.

1 **STRUCTURA** auditus mira etiam est, breviterque explananda, ut postea sciamus, in qua ejus parte consistat. Duplīci ergo parte expletur, exteriori scilicet, & interiori. Pars exterior, secundum substantiam est cartilaginosa, quæ mediat inter carnem & ossa: nam si esset totaliter ossæ, faciliter frangeretur, & si carnea, cum vehementi sonu contunderetur. Figura auris est semicircularis, & cava, ad hoc, ut melius excipiat sonum, & in partem internam transmittat; ex quo provenit, quod aliqua animalia subtilius, & acutius audiunt, quam alia. Deinde auriculæ sunt anfractuossæ, maximè in hominibus ad modum labyrinthi, tum ut oclusus sit ingressus inimicis; tum, ut sonus frangatur successivè, & non accedat ad potentiam tumultuosè. Deinde, ne aer frigidus sua frigiditate lædat immediatè organum auditus. Accedit etiam in parte exteriori humor quidam viscosus, detinens bestiolas, intra ingredi conantes. Hæc est pars exterior.

2 Interior autem, quæ etiam sinuosa, anfractuosaque est, tegitur quadam membrana subtilissima ad modum tympani, quæ vocatur *miringa*. Substantatur hæc membrana tribus ossibus, seu officulis, quæ dicuntur *malleus*, *incus*, & *stapes*, sic dicti ex sua figura. Ad ipsam etiam descendunt è cerebro duo nervi sensorij, & per hos feruntur spiritus animales ad auditum, & species soni devolvuntur ad sensum commune. Ista membranula *miringa* dicta, habet quandam cavitatem intra quam clauditur substantia quædam tenuis, quæ solet appellari *innatus aer* ob similitudinem, quam dicit cum aere elementali; sed non est talis; quia in eo non fieret sensatio: & alias ob propinquitatem cum cerebro humido, incrassatus talis aer de facili corrumpere, & læderet auditum. Est ergo talis aer animatus, & vitalis; quia in ipsa fit auditio, & sensatio soni, ut citò dicemus. Et licet aliqui aliam concavitatem *cochlea* dictam, in structura auris admittat, communior modus explicandi eam omittit.

3 Dubitabis nunc: in quam ex his partibus consistat organum auditus? Dico, quod residet in substantia illa spirituosæ aeris, inclusa in tympano ipsius. Est communis, & prob.: organum auditus nequit consistere

tere adhuc partialiter in nervis, *auditorijs* dictis : ergo præcisè consistit in substantia aerea explicata. Prob. antec. : ossa propter suam terretreitatatem non sunt idonea ad motionem intentionalem ; sed tales nervi aliquomodo sunt ossei : ergo , &c. Confirm. : sensorium auditus debet consistere in subjecto magis proportionato receptioni specierum audibilium ; sed substantia illa tenuis aeris est hic magis proportionata ; ut constat in aere elementalì , per quem differuntur ad auditum , & in quo extra recipiuntur : ergo , &c. Urgetur , quia sicut organum visus collocavimus in parte magis tura , & circumbalata , sic & auditus collocare debemus ; sed hæc est illa substantia aeris : ergo , &c.

4. Dubit. 2. : quodnam , & quid sit objectum auditus ? Resp. 1. , quod objectum adæquatum auditus est sonus. Prob. : solus sonus percipitur ab auditu , qui ultra sonum non extenditur : ergo est objectum adæquatum auditus. Sonus autem sic communiter describitur : *est qualitas de tertia specie , à solo auditu perceptibilis , producta efficienter à duobus corporibus , se invicem percutientibus*. Sed nota hic ex Philos. , quod ad sonum edendum tria corpora concurrere debent : duo se collidentia , & unum medium , quod

frangitur , vel atteritur eorum percussione , ut aer , aqua , & etiam , in aliquorum opinione , ignis. Sit exemplum in sono campanæ : ibi est malleus percutiens : est percussum : & aer agitur.

5. Sed ut hoc melius percipiatur , notate , quod ad hoc , ut fiat sonus , non est necesse , quod hæc tria corpora sint inter se discontinuata , uti evenit in sono campanæ , sed sufficit eorum distinctio , & aliqualis discontinuatio , ut servetur percussio , & agitatio. Pater hoc ; quia , cum aer percutitur virga , & ab ipsa secatur , ipse aer percussus , & est corpus percussum , & medium agitur secundum illas partes , in quibus editur sonus. Clarius : dum aer concitatur vento , fit quandoque sonus vehemens , qui solum causatur ex sola distinctione partium aeris inter se , & à vento agitante ; quamvis non sit discontinuatio corporis collisi , & collidentis. Hinc deducitur , quod causa effectiva soni sunt corpora se percutientia ; aer verò , vel aliud corpus intermedium solum est conditio sine qua non. Sic Philos. hic text. 79.

6. Dubitabis 3. de differentia soni , à quoque proveniat. Tribus modis fit sonus ; *ictu , impulsu , & fractura*. Ictu fit , quando duo corpora dura in-

inter se colliduntur, & hoc, si-
ve simpliciter dura sint, ut æs,
& ferrum; si ve, ex parte molia,
& ex parte dura, ut evenit in
chordis citharæ tensis, & ex-
pansis in longam. Impulsu fit
sonus, quando aliquod corpus
flavile contrahitur ad durum, sic
aer attractus per foramina tabu-
læ, sonitum edit. Tandem frac-
tura fit sonus, cum corpus ali-
quod durum frangitur, aut dis-
rumpitur, ut ferrum, aut pan-
nus. Sonus dividitur in simpli-
cem, vocem, & sermonem, gra-
vem, acutum, suboscurem, di-
rectum, & reflexum. Differen-
tia istorum eo eorum vocibus su-
mitur; & qui eam explicatam
voluerit, legat N. Maff. hic q.
3. artic. 1.

7 Dubit. 4. : quodnam
sit subjectum sonus secundam
suam esse reale? Dico: *subjectum soni est illud corpus medium
resiliens, non vero corpora se in-
vicem percutientia.* Prob.: nam
experientia texe, si adsit ven-
tus impellens aerem versus unam
partem certè sonus sentitur in-
tensior in hac parte, quam in
opposita; sed hujus experientia
nequit assignari alia ratio, nisi
quia, vento flante, moveret so-
nus subjectatus in aere: ergo
quà aer intermedius resiliens est
subjectum soni. Confirm.: cor-
pora sonantia non sufficiunt ad
sonum, nisi adsit medium, ut
patet in Cœlis, qui sonum non

edunt quamvis immediatione
contractus se contingant.

8 Sed ad hoc ut sonus
commodius fiat aliqua requiruntur
ex parte corporum, se percutien-
tium, & aliqua ex parte medij.
Ex parte corporum requiritur,
quod corpora percutientia sint
dura; & resistentia; alias non
possent frangere, & comminue-
re corpus intermedium; hinc la-
na, spongia, & alia similia non
causant sonum. Requiritur etiam,
quod sint tersa, & plana; nam
sic aer impactus in superficiem
æqualem, totus extruditur, se-
cus verò si aliquam cavitatem
habeat. Ex parte medij requiri-
tur, quod non sit densum, sed
mole, & facile divisioni. Sic
sonus Campanæ difficultè per-
cipitur per faneitas; quia
sunt valdè dense. Undè aeri prin-
cipaliter convenit esse corpus in-
termedium soni. De aqua, & ig-
ne dubitant AA. Pars affirmati-
va probabilior est, & suaderetur
experientia piscium sub aquis na-
tantium, qui voces piscatorum
audiunt.

9 Dub. 5. : quomodo
sonus diffundatur per aerem? Est
idem, ac inquirere: an sonus
perveniat ad aures secundum
suam esse reale, vel secundum
esse intentionale: seu, an ipse
sonus perveniat ad aures: an ve-
rò solum accedat per proprias
species audibiles? Resp., *quod
ipse sonus in se pervenit usque ad*
au-

ares realitèr per aliquam distantiam proportionatam: ad partes vero, plus ventos solum pervenit intentionalitèr, & per suas species. Prima pars conclusionis probat. : ibi est sonus secundum suum esse reale, ubi primò causatur ex collisione corporum sonantiù; sed non est inconveniens, quod corpora collisa edant sonum non solum in prima parte aeris primò percussa, quin ipsum edat in alia vicina parte, à prima agitata, usque ad certam distantiam: ergò sonus diffunditur realitèr per aërem usque ad certam distantiam.

10 Prob. secunda pars: idem numero sonus secundum suum esse reale nequit accedere ad aures quin accedat idem numero aer; cum accidens non possit migrare de subjecto in subjectum; sed idem numero aer nequit pervenire ad aures omnium audientium; nam impossibile, est quod exigua vox contionantis differatur ad aures omnium audientium, maximè dùm sunt in gyro brevissima morula temporis: ergò quia non sonus ipse secundum esse reale, sed secundum esse intentionale, seu per proprias species audibiles pervenit ad aures. Si autem quæras: an species intentionales soni simul diffundantur per totam spheram; an verò successivè? Respondeo, quod successivè. Et fit hoc modo: sonus immediatè per se ipsum simul producit, & immittit proprias species

usque ad certam distantiam: deinde hæ species, immediatè productæ, producant alias: & ite alias usque ad finem spheræ. In hoc parva est controversia.

11 Dices tamen contra hanc secundam partem: si sonus perveniret ad aures secundum esse intentionale, seu per proprias species sui, sequeretur, quod talis auditio esset cognitio abstractiva; sed hoc est falsum; quia auditio est cognitio intuitiva, non minus ac visio: ergo, &c. Sequela maioris constat; quia cognitio habita per speciem est abstractiva: ergo, &c. Resp. disting. mai. : si sonus, &c., sequeretur, quod cognitio soni esset abstractiva, conc. mai.: cognitio speciei soni esset abstractiva, nego mai.; & concessa min., nego consequentiam. Itaque cognitio auditionis, quæ habetur medio sono perveniente ad aures, est intuitiva non primarij sui objecti, hoc est, soni, sed speciei ipsius, quæ auditur; quare, cum hæc se habeat per modum objecti, hæc est, quæ cognoscitur intuitivè.

12 Dubitab. deniquè: quomodo fiat echo? Echus est sonus reflexus, qui etiam spectat ad objectum sonus; nam sicut in visione evenit, quod videatur res aliqua per reflexionem, ubi non est, scilicet, in speculo; quia species visibiles ab illo reflectuntur: sic pariformitèr contingit in

auditu; nam si occurrat corpus aliquod concavum, & solidum intra spheram activitatis soni, ejus progressus impeditur, reflectitur que sonus: & illa vox, quæ fuit primo audita auditione directâ, secundo auditur reflexe, Unde sic communiter definitur echo: *est sonus reflexus, seu vocis regressio propter occursum corporis obijantis, & impediens, ne ultra progrediatur directè sonus.*

12 Quæritur autem modo: an echo fiat immediatè ab ipso sono: an verò ab specie ipsius? Resp. sub distinctione: cum echo sit ad minimam distantiam soni primò causati, ipse sonus repercutitur, à suaque entitate geminata per reflexionem causatur echo: si verò sit echo ad multam distantiam, tunc causatur mediante specie soni, diffusa ab eodem sono per medium. Hoc satis constat ex dictis in probatione conclusionis dubij antecedentis. Hinc oritur, quod si echo fiat in magna distantia, non reddit voces integras, sed aliquando dimiditas, & pluries penès ultimas syllabas, secundum quod tardius, aut citius hæ vel illæ species regrediuntur; cæteris confusis in ipsamet distantia. Unde tunc vox reflexa non auditur, nisi post aliquod spacium desinitionis vocis directæ.

QUÆST. III.

De Olfatu, & Odore.

1 **Q**UOD organum, seu sensorium olfactus in naribus sit, indubitatum est apud omnes. In qua verò parte resideat hujusmodi sensorium, non adeò compertum est. Unde, ut hoc resolvarur, ejus structura explananda venit. Nares enim constant parte olea, quæ est superior, & parte cartilaginosa, quæ inferior est. Ex hac parte cartilaginosa, & alia media afficiuntur duo foramina, quæ in duas vias dividuntur: una est fluxuosa, descendens ad fauces, per quam aer in respiratione transit usque ad cor: altera vero ascendit ad cerebrum, & per istam emittuntur excrementa capitis, & ex alia parte cerebrum suggerit qualitates odoriferas, quibus recreatur. Deinde: in suprema parte utriusque foraminis circa cerebrum reperiuntur duæ parvitiunculæ carnis, quæ ratione similitudinis cum mammillis, vocantur carunculæ *pupillares*, seu *mammillares*.

2 Sub his carunculis est quoddam os, divisum in plura foramina, quod à similitu- di-

dine dicitur os cribum, seu spongiolum. Sed inter plura foramina hujus osis sunt duo maiora, quæ correspondent naribus. Partes hujus osis teguntur quadam pellicula extensa, quæ continuatur cum tunica quæ extenditur usque ad palatum, guttur, & linguam. Tandem in structura narium reperiuntur duo nervi, descendentes à cerebro usque ad carunculas, per quos descendunt spiritus animales deseruientes olfactui, & etiam species odoris ad sensum internum ascendunt. Hæc est structura narium.

3 Munera autem narium tria communiter assignantur: primum ad attrahendum, & emittendum aerem, cujus una pars in cerebrum ascendit ad cor per quosdam meatus, per quos etiam, attracto aere, inspirat, & respirat. Secundum munus est projicere excrementa capitis, & reugmata fluentia à cerebro, quod munus, ut melius exerceatur natura dedit nasum declivem, seu inferius tendentem, ne os suis excrementis inficiatur. Tertium tandem munus narium est, fugere qualitates odoriferas, quibus cerebrum, & cor refociletur, & confortetur. His ergo de fabrica, & muneribus narium præhabitis.

4 Dubitabis 1.: in quamnam ex partibus, quibus constat nasus, resideat formaliter sensus olfactus? Resp., quod con-

sistit in carunculis papillaribus, seu mammillaribus. Est communis. Probat.: sensus olfactus non consistit in exterioritate narium, nec in cerebro, nec in nervis, nec in osse spongioso, nec tandem in pellicula regente carunculas: ergo à sufficienti partium enumeratione debet consistere in ipsis carunculis. Prob. antec. quoad omnes partes: primo, quia abscessis naribus exterioribus, adhuc permanet odoratus: secundo, quia cerebrum cum sit frigidum, & humidum, est omnino improporcionatum ad recipiendos odores, qui sunt calidi, & sicci: tertio, nervi solum deseruiunt pro ferendis spiritibus, & speciebus: quarto, os spongiolum non informatur anima sensitiva; quare nequit esse talis sensus: tandem pelliculo extenditur per totum nasum: ergo in nullo ex his potest consistere sensus olfactus. Confirm.: carunculae mammillares sunt vaporosæ, & plenæ spiritibus, cerebroque propinquæ: ergo sunt aptissimæ, ut recipiant odoriferas exalationes; & consequenter in ipsis consistit formaliter sensorium olfactus.

5 Dubit. 2.: quodnam, & quid sit objectum olfactus? Abs dubio certum apud omnes est, quod odor sit objectum olfactus; nam olfactus solum ad odorem extenditur. Quid autem sit odor? Est quod queritur in præ-

senti. Aliqui in communi sic ipsum definiunt: *est qualitas secunda ex primarum temperie orta, in qua calor, & siccitas prædominium habent.* Primæ particule ponuntur loco generis, per quas convenit cum colore, & sono. Ultimæ verò sunt differentie. Sed expressius, & distinctius sic odor describi valet: *est forma accidentalis de tertia specie qualitatis, orta ex temperamento primarum qualitatum, in quo prædominat siccitas, & calor, concoquens, ac temperans humidum.* Explicatur hæc descriptio: dicitur *forma accidentalis*; quia quod non sit substantia, patet; tum in pommo, cujus substantia perseverante, ejus odor, modo intenditur, modo remittitur, immò pluriès totus deperditur: tum in vino consecrato, in quo destructa substantia, manet odor, cum cæteris accidentibus. Dicitur, *de tertia specie qualitatis* quia ad nullam aliam commodius reduci valet. Dicitur, *oriri ex temperamento primarum qualitatum*; quia invariata substantia, & solo variato temperamento variatur odor.

6 Tandem dicitur, quod in odore sit prædominium siccitatis, & caloris præ alijs qualitativis. Ratio est; quia ut ipsa experientia docet tempore vernali, & æstivo plus sentitur odor hortorum, quam in hyeme: & aromata emittunt odo-

rem, dum exicantur calore solis, vel ignis; sed hujus nulla alia ratio est, nisi quia tali tempore prævalet siccitas, & calor; ergò; quia hæc qualitates prædominant in odore. Confirm. ex eo, quod in regionibus orientalibus siccis, ut porè in Arabia, Siria, &c., intensiora aromata generantur. Sed notare oportet, quod ut odor effundatur, requiritur aliquid humiditatis; nam odor provenit ex eo, quod calor decoquat humidum: & deinde terra nimis arida nullam emittit odorem; si autem aliquantulum irrigetur, statim odores sentiuntur.

7 Dubit. 3. : an odor diffundatur per medium producendo realitèr alium odorem: an verò per solam evaporationem sui, seu exitum exalationum ab ipso corpore odorifero? Medium diffusivum odoris in communi sententia est aer, & aqua: de aere patet, quia, quæ respirant, olfaciunt per attractionem aeris: de aqua etiam patet; nam pisces in aqua, ubi nullus est aer, sentiunt odorem cibi, ut experiuntur piscatores. Hoc supposito, dico, quod odor non multiplicatur in medio per realem productionem, sed per evaporationem sui. Est communis. Prob.: odor, ex dictis, est qualitas secunda; sed qualitates secundæ non sunt uniuocè activæ; ergò odor non est productivus alterius similis;

Et consequenter non multiplicatur per realem productionem. Confirm.: res Aromaticæ, si incenduntur, facilius percipiuntur sed assidua evaporatione odorum cito evanescent: ergo, quia multiplicatur odor in medio per realem evaporationem, non verò per novam productionem sui.

8 Dubit. ultimò: an odor causetur per species intentionales? Aliqui tenent, quod dum odor est immediatus olfactui, ipse per se immediatè causat odorem; quia: tunc non est necessitas speciei intentionalis, dum adest objectum, cujus est vicaria species. An verò aliquando sit necessaria species intentionalis odoris? Est quod quaeritur. Resp. affirmative. Prob.: pisces, ut diximus, immersi in aquis, quaerunt escam appositam in laqueis; sed hanc praesentire nequeunt, nisi medio olfactu cautato ab speciebus emissis ab ipsa esca: ergo odor fit medijs speciebus. Minor constat; quia in aqua non possunt introduci evaporationes odoris. Confirm. experientia Vulturum de quibus dicitur, quod ad multa milliaria olfaciunt carnes cadaverum; sed in tanta distantia non potest evenire odor per evaporationem sui: ergo causetur per species intentionales odorum, diffusas per medium aërem.

QUÆST. IV.

De Gustu, & Sapore.

QUOD gustus (quartus sensus externus) resideat in ore, certum est sed cum in ore plura contineantur, dubitatur: in quam parte principalitèr consistat? In ore enim reperiuntur dentes, palatum, gurgulio, & lingua. Lingua est in medio, cujus natura est carnis aquosæ, & molis. Constat autem varijs musculis, aut nervulis. Duo descendunt è cerebro, qui descendunt in ipsam linguam, & ramificant per ipsam palatum, & fauces. Deindè, in radice linguae extant duæ glandulæ, quæ dicuntur *tonsillæ*, & sunt valdè spongiosæ. deservientes ad sugendam salivam ex humoribus: quæ saliva humectatur linguam, palatum, & fauces, & ratione talis humiditatis percipitur gustus, seu sapor. Tegitur lingua tunica quadam valdè crassa, quæ deservit, ut defendatur à saporibus acerbis, & pungentibus: est tamèn referta parvis foraminibus, ut per ea pateat additus saporibus ad internam substantiam linguae. Sunt & alia artificia, tam linguae, quam palati pro

pro voce, & locutione edenda quæ pro nunc omittimus, cum solùm de lingua prout ad gustum attinet, agamus.

2 Dubit. 1.: in quam parte oris stet sensus gustus? Dico, quod in lingua, & pallato, sed principaliter in cuspide linguae, & minus principaliter in reliquo linguae, & pallato. Probatum quod consistat principaliter in cuspide linguae: nam, ut experientia docet, dum volumus aliquid prægustare, illud attingimus cuspide, seu extremitate linguae. Deinde: si aliquid amarum deglutandum sit, curamus illud amovere à tali cuspide, & ad fauces trajicere: ergo quia gustus principaliter, residet in cuspide linguae. Quod etiam resideat, licet minus principaliter, in reliquis partibus linguae, & in pallato, ipsamet experientia docet. Sed hæc differentia, quod perfectius existit in fine pallati, hoc est, versus gurgullonem; imperfectius verò in principio, scilicet, versus dentes. Et ratio est; quia caro pallati in fine est maior: in principio durior.

3 Dub. 2.: quodnam, & quid sit objectum gustus? Certum est apud omnes, saporem esse objectum gustus; quia per saporem distinguitur gustus ab alijs sensibus, tamquam per suum objectum formale. Sapor in duo extrema dividitur, sci-

licet, dulcedo, & amaritudo: horum autem sunt alij sapes medij, ut acrimonia, falfedo, acciditas, austeritas, &c.: quorum explicationem vide apud medicos. Quid autem sit sapor? Resp. cum Philos. Lib. de sensu, & sensibili cap. 4., sic ipsum describente: est passio, seu qualitas secunda immutativa gustus, resultans ex mixtione primarum qualitatum, quæ humidum, aqueum, & terrestre consequitur, ita tamen, ut humidum superet siccum.

4 Explicatur hæc definitio: dicitur passio, quia immutat gustum, inferendo illi sensationem. Dicitur, qualitas secunda; nam sapor resultat ex primis qualitibus attemperatis; nam sapor non reperitur in elementis, cum solùm mixtis competat. Dicitur, quæ consequitur humidum, aqueum, & terrestre; quia siccitas terræ, & humiditas aquæ, cum consequantur materiam densiorem, sunt magis improporcionatæ, ad hoc, ut cibi, & licores reddantur magis gustabiles è contra verò, siccitas ignea, & humiditas aerea, ob nimiam suam raritatem, sunt improporcionatæ, & imperceptibiles à gustu. Ponitur tandem, quod humidum superet siccum; quia, sicut in quæst. antec. diximus, quod siccitas, & calor debeant prædominare in odore; nunc in sapore dicimus, quod humidum debeat

su-

superare siccum ; quamvis siccum requiratur , ut attemperet humidum. Sed contra hoc

5 Dices : idem cibus molioris est insimul odoriferus , & sapidus : ergò in tali cibo , qua odoriferum siccum superabitur humidum : & qua sapidum , siccum prædominabitur ab humido. Resp. negando conseq. ; quia cum idem cibus est simul sapidus , & odoratus , secundum partes siccioreas emittit odorem olfactui : & penes istas partes , siccum prævalet humido : secundum partes verò humidiores , emittit saporem gustui , & secundum has humidum prævalet sicco. Si verò eveniat , quod eadem omnino pars sit odorifera , & sapida , tunc attemperantur inter se , & ex tali attemperatione sequitur , quod si sit maior odor prædominet siccatas ; si verò sapor , prædominat humiditas.

6 Dubit. 3. : an sapor moveat potentiam , mediante aliquo medio , tanquam medio externo , vel interno : & an moveat immediatè , vel medijs speciebus ? De his difficultatibus expofessò agemus quæst. sequent. cum eadem ratio sit de gustu ac de tactu. Solum notandum est , quod ad hoc , ut sapor moveat potentiam gustativam ad sui sensationem , communiter priùs debet illam immutare immutatione reali quoad primas

qualitates ; quia nequit censerì sensatio gustus sine tactu , & maximè quoad humiditatem , à qua , ut diximus , derivatur sapor. Nec contra hanc immutationem realem quoad primas qualitates facit , quod idem cibus , qui uni est dulcis , alteri sit amarus. Non facit ; nam hæc differentia provenit ex distemperie organorum ; quia palatum , scilicet , vel lingua unius abundat humoribus omninò distinctis , & contrarijs humoribus alterius. De convenientia , & disconvenientia hujus sensus cum sensu tactus , agemus quæst. seq. Et si quæras : an hic sensus omnibus animalibus conveniat ? Resp. affirmativè , secus aliquibus animalibus valde imperfectis. Et ratio pro nunc est ; quia quodlibet animal (illis exclusis) eget alimento , ut sustentetur ; sed gustus deservit perceptioni alimenti : ergò est in ipsis gustus.

QUÆST. V.

De Tactu , & tangibili.

1 **S**ENSUS iste ultimus in ordine , & in perfectione est : in perfectione , quia communissimus ; & dispersus per omnia mem-

membra ferè corporis. Dixi ferè; quia in communi sententia, cum ossa non sint informata anima sensitiva, & inde non sentiant; hinc est, quod in ipsis non est sensorium tactus. Certum etiam est apud omnes, quod nervi ramificati per totum corpus, sunt sensorium tactus. Ratio est; quia si nervi pungantur dolorem sentiunt. Deinde, per nervos deferuntur spiritus animales, medijs quibus omnes alij sensus exercent omnes suas operationes. Unde, si quæ difficultas in presenti est, est: an caro sit sensorium tactus? Pro cuius que resolutione.

2 Dubitabis 1.: an caro sit immediatum sensorium tactus? Resp. affirmativè, & est Philof. 2. de anima text. 149. ubi carnem vocat sensorium non ultimum. Et primo de Historia animalium cap. 2.: & Lib. de partibus animalis cap. 1. & 5. expressè tenet, quod caro est sensorium tactus. Prob. conclus. ratione: caro ex iam dictis, Disp. 1. quæst. 5. num. 3., informatur anima sensitiva: ergo sentit; sed nulla alia sensatione, quam tactus: ergo est sensorium ipsius. Confirm. experientia: carne percipimus tangibilia, maximè primas qualitates, ut calorem, & frigus: & etiam percipimus ex tactu carnis delectationem, aut dolorem: ex asperis enim, duris, & pungea-

tibus displicentiam patimur: è contra autem ex lenibus, & suavibus jucunditatem, & delectationem capimus: ergo quia caro est immediatum sensorium tactus. Hac eadem ratione prob., quod cutis sit tale sensorium.

3 Respondere autem, aliqui huic rationi, quod ex ipsa non infertur, carnem esse tale immediatè sensorium, sed ad summum mediatum. Ratio est; quia cum nervi, ut diximus, sint diffusi per totam carnem minutissimis fibris, seu musculis, ut patet in folijs arborum, nervi sunt immediatum sensorium, quia per ipsos deferuntur spiritus animales, non verò caro; nam, dum caro sentit, sensatio fit in nervo propinquo carni, quæ sentit. Sed contra primo; ex hac responsione solum sequitur, quod caro in sua sensatione dependeat à nervis, sicuti dependet ab ipsis in participatione spirituum animalium; & consequenter, quod non sit ultimum sensorium, ut aiebat Philosophus; non verò sequitur, quod ipsa non sit immediatum sensorium tactus. Contra 2.: in corde, pulmone, aliisque interioribus partibus corporis, vel nulli sunt nervi: vel si sunt, sunt valdè distantes ut docent Anothomici; sed si istæ partes pungerentur, abs dubio sentirent dolorem: ergo non solum nervi; sed etiam caro est imme-

me-

mediatum organum tactus.

4 Dices tamèn contra conclus. : quod est medium inter tactum , & tangibile , non est sensorium tactus ; sed caro est huiusmodi medium : ergò non est sensorium tactus. Minor constat paritate aliorum mediorum. Minor est expressa Philos. 2. de Anima cap. 11. , text. 116. ; ubi docet , quod sicut aer , & aqua se habent , ut medium ad visum , auditum , & olfactum ; sic caro , ac lingua se habent ut medium , respectu tactus , & gustus. Undè text. 117. concludit : quare sine dubio ipsa caro medium est in tactu. Hoc idem sentire videtur Nost. Subt. Doct. in Lib. de Anima quæst. 2. Conf. : sensibile positum supra sensum non facit ; immò impedit sensationem , sed inter tangibile , & carnem nihil mediat ; cum sit contactus immediatus utriusque : ergò quia caro non est sensorium tactus ; sed medium inter tactum , & tangibile.

5 Resp. distinguendo mai. : quod est medium purum , & rigurosum inter tactum , & tangibile , nequit , &c. , conc. mai. : quod est medium non purum , sed in simul sensorium , licet non ultimum , nequit , &c. , nego mai. : & inveris terminis distinguo min. , & nego consequ. Philos. ergò , ne sibi contrarius videatur , exponendus est ; ipse enim persèpè docuit , quod ca-

ro sit organum , & sensorium tactus : undè , dum ait , quod est medium , non est intelligendus de medio riguroso , excludente absolutè rationem organi , sicuti se habent aer , & aqua , respectu visus , & auditus. Dici ergo potest *medium* caro respectu tactus ; quia ut iam diximus non est sensorium ultimum , sed aliquomodo à nervis dependens. Sicque explicandus venit Subt. Doct. cit. , immò sic se ipsum explicat v. *Ad aliud* , numero 4. Ad confirm. dico , ex dictis Disp. 5. q. 4. , dubio 3. , quod illud proloquium est verum de sensu visus absolutè , & probabiliter de auditu & olfactu , non autem de sensu tactus , & gustu. De hoc longius postea.

6 Dices 2. : ideò caro esset immediatum sensorium tactus ; quia ipsa sentimus sensibilia ; sed hæc ratio nihil probat : ergò caro non est tale sensorium. Maior est nostra probatio. Probat. min. : si quis supra carnem extenderet pelliculam subtilem , media ipsa certe sentiret tangibile ; sed illa pellicula non esset sensorium tactus : ergò quamvis media carne sentimus tangibile , non sequitur , quod ipsa sit sensorium tactus. Resp. concessa maiori , negando min. Ad prob. distinguo mai. : si quis extenderet pelliculam subtilem supra carnem adhuc sentiret tan-

gibile, tanquam medio extrinsecò, & per accidens, conc. mai.: tanquam medio intrinsecò, & vitali, nego mai., min., & consequ. Itaque pellicula illa supra carnem solùm esset medium extrinsecum, & accidentale, impertinentè se habens ad sensationem tactus: caro verò, quando se habeat ut medium, non ut medium rigurosùm, sed insimul, ut sensorium non ultimum. Undè non tenet replica.

7 Dubit. 2.: quòdnam sit objectum tactus? Resp., quòd objectum adæquatum tactus est omnis qualitas, per se tangibilis, objecta vero inadæquata, & partialia sunt quatuor primæ qualitates, & etiam aliquæ secundæ. Conclus.: quoad prim. part. est communis, & per se constat. Quoad secundam de primis qualitatibus, omnes conveniunt in eo, quòd frigus, & calor sint per se sensibiles, id enim constat experientia, & aliàs sunt qualitates de se activæ, & realitè immutativæ tactus: de humiditate autem, & siccitate aliqui dubitant; sed certè humiditas, & siccitas in se immutant organum, ab ipsoquè percipiuntur. De qualitatibus autem secundis etiam aliqui dubitant. Sed certum est, quòd Philos. hïc inter qualitates secundas tangibiles enumerat aliquas qualitates secundas

8 Scilicèt: gravitas, le-

vititas, durities, molities, asperitas, & lenitas, crassitudo, tenuitas, viscositas, & ariditas. Sed ut omnis dubitatio tollatur sciendum est, quòd inter qualitates primas (ad minus frigus, & calorem) & qualitates secundas est maxima differentia quoad esse objectum tactus; nam primæ qualitates immutant sensum producendo similes qualitates in organo, ut calor calorem; qualitates autem secundæ non immutant sensum, producendo similes qualitates in ipso; nam durities, & sic de reliquis, non producit aliam duritiem; sed solùm impulsum, aut speciem sui.

9 Dubit. 3.: an ad sensationem tactus sit necessarium aliquòd medium? Medium communitè duplex assignari solet; intrinsecum unum, & aliud extrinsecum. Intrinsecum est, quòd est pars ipsius sentientis, & conjuncta organo, ut caro nervis. Extrinsecum est, extra ipsum sentiens, & mediat inter potentiam, & objectum, uti se habet aer respectu visus, auditus, & olfactus. Hoc notato, illi Authores, qui tenent, sensorium tactus esse tantum in nervis, ex consequenti debent dicere, quòd caro sit medium intrinsecum, & necessarium ad actionem. Sed cum ex dictis, hoc apud nos non teneat, ideò.

10 Dico: ad tactum nullum medium, sive intrinsecum, sive extrinsecum est per se necessarium. Prob. 1.

pars; quia, si aliquod medium intrinsecum esset necessarium, maximè carò, in sententia Contrariorum; sed hæc, ex dictis, non est medium rigurose tale; cum sit organum tactus, immediateque tangat corpora: ergò, &c. Deindè, nudentur nervi ab omni carne, certè sentirent tangibile, sibi aproximatam sed hoc absque ullo medio intrinsecò: ergò quia non est necessarium. Prob. secunda pars; quia, si esset necessarium medium extrinsecum, maximè aer, vel aqua; sed hæc sunt objecta tangibilia, maximè dum sunt frigida, aut calida: ergò non sunt media extrinseca. Sed notate ex dictis secunda replica primi dubij, quod per accidens potest dari in tactu medium extrinsecum, ut patet in exemplo pelliculæ tegentis manum.

11 Dubit. 4. : quæ qualitas tangatur à tactu: an qualitas ipsius organi tangentis: an verò qualitas solius objecti. Ut hoc melius percipiatur, notate, quod duplex qualitas intervenit in tactu. Alia est organi, & alia objecti. Qualitas organi est illa, quæ inexistit ipsi organo, ejusque continuit temperiem naturalem, ut calor, siccitas, & humiditas, quæ reperitur in manu tangente. Qualitas objecti est illa, quæ advenit tactui à subjecto extraneo, se habente, tamquam objecto, ut

calor productus ab igne in manu, qui calor, ut objectum, immutat manum. Tamquam quid certum habetur ab omnibus, quod qualitas se tenens ex parte objecti, est tangibilis ab organo per se; nam ut experientia docet, quod si manus applicetur igni intensiori calore calefiat magis, quam sit calor connaturalis ipsiusmet manus. Undè difficultas procedit de qualitate organi: an sit per se perceptibilis à tactu?

12 Respondèò negativè. Prob.: sensus tactus concessus est à natura ad hoc, ut possimus prosequi convenientiam, & fugere noxia; sed propriæ qualitates organi non possumus deviare, nec prosequi; cum istæ sint congenitæ ipsimet organo independentèr à quacumque operatione vitali; benè verò possumus prosequi, aut vitare qualitates se tenentes ex parte objecti: ergò quia istæ, & non illæ sunt tangibiles per se à tactu. Confirm.: si qualitates, se tenentes ex parte organi essent per se tangibiles, sequeretur, quod tactus semper existeret sub actuali ratione earum; quia semper est sub proprio, ac naturali temperamento; sed hoc est contra experientiam: ergò, &c.

13 Dices contra conclus.: æger, seu infirmus maximè sentit calorem febris; sed hic calor inexistit in ipso febricitante: ergo qualitas organi est

per se sensibilis. Confirm. : qualitas organi, ut potè materialis, est per se sensibilis ab organo, maxime si est in debita approximatione ; sed talis qualitas est maxime aproximata organo, immo cum ipso compenetrata: ergo percipitur ab ipsamet organo. Resp. negando min. ; quia infirmus non angitur à calore proprio organi ; sed à calore præternaturali, qui oritur ex effervescentia sanguinis, humorum, & spirituum diffusorum per corpus, qui calor se habet per modum objecti, cum sit in subjecto realiter distincto. Ad confirm. dist. mai. : qualitas organi est per se sensibilis ab organo distincto ab illo, cui inest, conc. mai. : ab organo, cui inest, nego maior. Et distingo min. : sed est maxime aproximata in esse rei, conc. min. : & in esse objecti sensibilis, nego min., & conseq. Iraque, cum sentatio fiat media specie objecti, quæ nata est produci transeuntèr, & in esse sensui per impressionem à sensibili, quod nequit convenire qualitati organi ; quia ista permanentèr convenit organo, & nequeat imprimi ab eodem in se ipso, hinc est, quod, quamvis sit aproximata talis qualitas in esse rei organo, non verò in esse sensibilis.

14 Dub. 5. : an tactus percipiat qualitatem objecti, dum hæc est in eodem gradu, qui habetur ab organo ? Explicatur difficultas hoc exemplo : habet

manus v. g. ; calorem, ut duo, in se ; applicatur alteri calido, ut duo ; quæritur modo : an manus sentiat hujusmodi calidum, ut duo ? Resp. negativè cum Philos. 2. de Anima, cap. 11. tex. 118. : & N. Doct. hic quæst. 15. de Anima. §. Ad primum principale, num. 9. ; quarum auctoritates vide passim in Author. Prob. prima ratione deducta ex eorum auctoritatibus : receptivum alicujus formæ debet esse in potentia ad ipsam ; sed sensus tactus non est in potentia ad illum gradum qualitatis, quem in se præhabet, quamvis sit in potentia ad reliquos excedentes in objecto : ergò tactus non percipit illum gradum, sed alios. Maior constat ; quia si receptivum formæ non esset in potentia ad illam, esset simul in potentia, & in actu formali, quod repugnat. Min. eadè ratione patet.

15 Prob. 2. Conclus. experientia : si manus sit intensè calida, & immittatur in aqua, remissè calida, aut æquè calida, non percipit calorem remissionem, aut æqualem aquæ calidæ ; bene verò frigiditatem, si aqua esset frigida ; sed ratio hujus experientiæ est ; quia tactus tantum percipit in objecto exuperantiam frigiditatis, quæ est maior in aqua, quam in manu calida : ergò quia tactus non percipit qualitates, dum istæ sunt in eodem gradu cum eis, quas habet organum. Sed, ut hoc meliùs per-

percipiatur, & ut aliqua argumen-
ta solvantur, notate, quod hoc
est discrimen inter sensum tac-
tus, & alios, quod cum tac-
tus habeat pro objecto primas
qualitates, quibus ipse constat
in suo temperamento, non est
necessè; quod denudetur abso-
lutè ab ipsis, sed sufficit, ut de-
nuderetur à gradu excedente suum
sensibile: alij autem sensus, cum
habeant pro objecto secundas
qualitates, quibus non consti-
tuuntur; hinc est, quod possunt
denudari absolutè à qualitatibus
sui objecti. De his ergò intelligi-
tur dictum Philos.: *ut fiat sen-
satio, oportet sensum denudari à
suo sensibili*

16 Dices tamen i. con-
tra hoc: sensatio tactus fit me-
dia specie sensibili, ut statim di-
cemus: ergò quilibet gradus
qualitatis objecti sensibilis pote-
rit à sensu percipi; & consequen-
tèr qualitas æqualis cū qualitate
organi. Prob. conseq.: species sensi-
bilis est effectus æquivocus, cum
actio productiva ipsius æqui-
voca fit; sed agens æquivo-
cum potest agere in sibi simile,
quamvis non univocum: ergò
quilibet gradus, &c. Resp. dis-
tinguendo mai.: sensatio tactus
fit media specie, interveniente
simul actione reali, conc. ant.:
non interveniente tali actione
reali, nego antec., & conseq.
Ad prob. disting. mai.: talis spe-
cies est effectus æquivocus, vel

univocus; conc. mai.: æquivo-
cus præcisè, nego mai., min.,
& conseq.

17 Itaque organum
tactus hoc habet speciale supra
alios sensus, quod ad hoc, ut
percipiat sua objecta, & patia-
tur, seu immuetur intentiona-
litèr per eorum species, præsup-
ponit pro hoc statu immuta-
tionem naturalem tactus à suo
sensibili, recipiendo qualitates
reales. Quarè calor v.g., prius
debet agere univocè, & reali-
tèr, producendo in tactu calorem,
quàm æquivocè, & intentiona-
litèr immittendo species. Undè
cum simile, vél remissius ne-
queat agere actione univoca in
simile, vél intensius; hinc qua-
litas equalis, vél remissa ne-
quit agere intentionalitèr; &
consequentèr, nec species in-
tentionales poterit immittere in
sensem tactus. Circa hoc videat-
ur Subt. Doct. citat. §. *respon-
deo*: & in 4. dist. 49. quest. 13.
num. 12.

18 Dices 2.: lingua
habet suum proprium saporem,
ut patet in commedente linguas
animalium; sed hoc non obstan-
te, cum lingua percipimus om-
nes alios sapes, & hoc se-
cundum quemlibet gradum: er-
gò & secundum tactum perci-
pimus omnes qualitates tangibi-
les secundum quemlibet gradum.
Confirm.: sint duæ manus in
eodem temperamento; & adin-
vi-

vicem se tangant, quælibet sentit aliam: ergo qualitas similis tangitur ab alia simili. Resp. quod lingua potest considerari, vel ut in suo temperamento naturali, vel ut alterata qualitibus extraneis: primo modo nata est percipere omnes sapes; ipsa verò in se sibi sapida non est. Secundo autem modo, iam induit saporem à qualitibus adventitijs, & sic evenit in lingua animalis mortui, & in lingua febricitantis, quæ ex adjuncta amaritudine humoris percipit amaritudinem extraneam. Unde lingua, prout ipsa percipimus omnes alios sapes, non est sapida, seu non causat saporem sui: & sic replica non est ad rem. Ad confirm. nego ant.; cujus falsitas constat ex probatione Conclus.

19 Dubit. 6.: an sensatione tactus fiat media specie? Resp. affirmativè. Ex Philos. hic cap. 12., text. 121.: & Doct. cit. quest. 4., & 6. Prob. ratione: ut potentia cognoscitiva efficiat operationem suam, debet habere quandam conformitatem ad objectum; quia conformitas cum objecto est determinativa potentie ad percipiendum hoc, vel illud objectum; seu sensus tactus est potentia organica cognoscitiva, seu percipitiva sui objecti: ergo ejus sensatio debet fieri per quandam conformitatem tactus cum tan-

gibili. Nunc sic: sed hæc conformitas fit media specie: ergo &c. Prob. subsumpta: conformitas tactus cum tangibili in qualitate reali potius obstat sensationi, quam eam efficiat, ex dictis in solutione primæ replicæ dubij antec.: ergo conformitas tactus cum suo tangibili, seu objecto debet fieri media specie.

20 Prob. 2.: in objecto tangibili adest virtus productiva specierum: ergo illas producit, quando objectum est contiguum potentie. Prob. ant.: quando objectum tactus habet medium extrinsecum, tunc habet virtutem productivam specierum: ergo in objecto tangibili, &c. Antec. patet in exemplo tactus manus coopertæ pellicula; nam certè tunc manus producit sensationem, non immediatè per se, sed mediante medio extrinsecò, seu specie. Per ea, quæ hic diximus, solvuntur difficultates, quæ de sensu gustus proponi poterant, tam circa medium necessarium, ut gustus exerceatur, quam circa speciem prærequisitam ad sensationem gustus; nam in hoc hi duo sensus convenire videntur, licet in aliqua differant: nam differunt primo ex objecto formali utriusque: secundo ex diversò modo percipiendi objectum: tertio ex subjecto organorum: quarto deniquè ex fine; cum gustus sit ad conservandam vitam in-

teriolem ; tactus autem ad exterioriorem , hoc est , ad fugienda noxia , & conservanda profiqua

21 Dub. 7. : an sensus tactus sit unus in specie ? Resp. affirmativè. Prob. : objectum adæquatum sensus tactus est unum : scilicet , qualitas tangibilis : ergo & sensus. Confirmatur : eadem parte corporis sentimus humiditatem , siccitatem , calorem , frigus , & reliquas qualitates ; ita ut nulla pars sit determinata ad aliquam determinatam qualitatem : ergo potentia tactiva , seu tactus unicus est. Undè , licet qualitates sensibiles in esse rei non convenient univocè , convenient tamen in esse sensibili , in quantum eodem modo immutant tactum. Similiter , licet caro , & nervi materialiter , & in esse rei specie distinguantur , tamen in esse potentie tactive non ; quia caro , & nervi easdem participant qualitates. Per quod solvuntur replicè , quæ hic objici poterant.

22 Dubit. denique (pro maiori explicatione sensuum externorum) : an sensus externi sint perfectiores in homine , quam in brutis ? sensus externi dupliciter sumi possunt : vel radicaliter , vel formaliter. Radicaliter sumpti , hoc est , vel pro natura , vel pro forma totius in organo , à qua dimanant ; &

prout sic certum est , quod tales sensus sint perfectiores in homine , quam in brutis ; quia natura hominis longè perfectior est , quam bruti. Sensus autem externi formaliter sumpti sunt ipsæ facultates sensitive , secundum suam propriam rationem. Sed adhuc possunt sic sumpti dupliciter considerari : vel ordine virtutis ad actum , & objectum ; vel ratione temperamenti primarum qualitatum repperarum in organo. In prima consideratione , ait Doct. in 2. dist. 1. q. 5. quod sensus hominis , & brutorum sunt æqualis perfectionis , quod probat exemplo visionis aquilæ , & bobis. Undè difficultas procedit in secundo sensu , hoc est , an attento temperamento qualitatum primarum in organo , sensus externi hominis sint perfectiores , quam brutorum ?

23 Dico ; quod homo potest excedi , & defacto exceditur à brutis in uno , aut altero sensu , attento temperamento ipsius. Est communis , & prob. explicando in quibus sensibus excedatur homo ; in quibusque excedat. In primis homo exceditur à lince , & aquila in visu : ab apre in auditu : à vulture , & cane in olfatu : à simia in gustu : & tandem ab aranea in tactu. Totum hoc patet ex illo carmine fati philosophicè composito :

Nos apen auditu: linx visu: simia gustu: & canis odoratu: præcedit aranea tactu.

Sed hic excessus harum belluarum in aliquibus sensibus nequit provenire, nisi ex diverso temperamento qualitarum, ita ut in his belluis sit perfectior, & aptior ad tales operationes, quam in homine: ergo attento temperamento, &c. Homo autem relatè ad has belluas si exceditur ab ipsis in uno sensu, ipsas in alijs excedit: quare hic excessus potius secundum quid dicendus est, quam simpliciter. Aliqui docent, quod homo excedit gustu, & tactu, & etiam in auditu cum percipiat omnes differentias soni, & conceptus musicos. Sed cerè hic excessus provenit ex sensu communi interno,

DISP. VII.

DE SENSIBUS INTERNIS

Animæ sensitiva.

CUM sensus externi internis famulentur; hinc est, quod post notitiam de illis, breviter de istis agendum restat, sicut etiam de potentia

appetitiva, quæ cognitionem præsupponit; nec non & de potentia loco motiva, quæ appetitivæ subordinatur. Quod, ut clarius fiat, Disp. in tres dividam quæstiones, hasque in varias difficultates. Sit ergo

QUÆST. I.

An sit: & quotuplex sit sensus internus?

CIRCA prim. part. quæst. communis inter A.A. est, dari in animalibus, saltem perfectis, sensum internum. Qui quidem sic dicitur, quia intus latet, residetque in partibus internis animalis. Hæc suppositio ipsamet experientia constat; tum in nobis, nam quamvis somno ligati, plura phantasiatur; quod & aliquibus belluis convenire dicitur; nam maximè canes dormientes, aliquandò somniansdo laurant; quia apprehendunt hominem ipsos vapulantem, aut famam eis inimicam. Deindè animal, sive rationale, sive irrationale, percipit, & distinguit objecta con-

venientia, aut disconvenientia sensibus externis; sed hoc efficere nequeunt per ipsos sensus externos: ergò per internos; consequenterque dantur. Sensus internus *ut sic* sic communiter definitur: *est facultas vitalis materialis interna perceptiva, & iudicativa omnium eorum, quæ per sensus externos percepta sunt.* Sed ex hoc

2 Dubitabis 1.: quodnam sit sensorium, seu subjectum sensus interni? Resp., quod est cerebrum. Est Galleni, & N. Subt. Doct. quæst. 10. de Anima contra aliquos ponentes illud in corde, & alios in Meningibus hoc est, quibusdam cellulis cerebri, quibus ipsum regitur. Prob. nostra Conclusio: dum magna cura, & contentione vacamus studio, experimur in cerebro fatigationem, & aliquoties dolorem; sed hoc provenire non potest, nisi ex eo, quod phantasia cogitur operari vehementer, considerans, & speculans: ergò quia hæc, quæ est una ex potentijs sensus interni, residet in cerebro: ergò ita est. Ex hoc oritur, quod medicinæ applicantur in tali fatigatione capiti, & non cordi. Confirm.: illud est subjectum proportionatum pro sensu interno, quod aptius est ad sua munera obeunda, scilicet, ad recipiendas, & retinendas species sensationum externarum; sed ad hoc nullum

aptius, quàm cerebrum, quod non est durum, sicut Meninges; nec solidum, & nervosum, sicut cor; sed aliquantulum molle, pro facili impressione specierum: & aliquantulum durum pro earum retentione: ergò, &c.

3 Dices tamèn contra hoc: juxta dictum Christi Dñi. Math. 15.: de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, & adulteria: sed cogitationes istæ sunt sensitivæ, & animales, consequenterque propriæ sensus interni: ergò hic residet in corde. Confirmatur; quia Philos. persæpè docet, sensum internum residere in corde, & non in cerebro; quod evidentèr probatur ex eo, quod plura animalia carent cerebro, ut sunt *insectibilia*, & tamen ista habent sensum internum: ergò saltim in istis cerebrum nequit esse sensorium. Resp. ad primum, quod cogitationes illæ de quibus loquitur Christus Dñus., non sunt propriæ sensus interni, sed voluntatis, cum sint operationes moralitèr malæ: undè ibi per *cor* intelligitur *voluntas*.

4 Ad autoritatem ex Philos. resp. cum N. Doct. quæst. 7., quod Philos., dum dixit, sensum internum residere in corde, loquitur *originativè*, in quantum, tam sensus internas, quam externi accipiunt à corde spiritus vitales, qui per venulas, aut nervos quosdam transeunt ad cerebrum,

brum, subserviuntque operationibus omnium sensuum. Undè, sensus internus mediatè residet in corde. Ad probationem dico, quod vel talia animalia imperfecta carent sensu interno: vel si datur, datur aliquid supplès vices cerebri, diffusum per totum corpus, & divitum cum ejus partibus, ex quo provenit, quod adhuc factæ sentiant, atque aliquomodo imperfectè percipiant.

5 Circa secundum, quod quæritur in titulo quæst. non est omnium A.A. una mens. Aliqui enim statuunt tria membra sensus interni, scilicèt: *sensum communem, æstimatoriam & memoriam*. Alij addunt alia duo, scilicèt: *imaginativam, & phantasiam*: undè isti numerum quinarium ponunt. Tandèm alij addunt *cogitativam, & reminiscen-tiam*. Quomodò istæ facultates sensus interni inter se distinguantur? Postèa videbimus. Sed, ne in æquivocum laboremus, per prius terminos explicare necesse est.

6 *Sensus* ergò *communis* est facultas illa per quam animal percipit, ac distinguit objecta, & sensationes sensuum externorum in particulari. Undè, per ipsum judicamus unum objectum v.g. colorem, videri à visu, & non videri ab auditu, & sic de alijs. Quarè sensus

communis tria habet munera: primum, percipere objecta particularia sensuum externorum, actionesque eorum erga illa; sic quando animalia percipiunt, se videre, audire, &c., isti actus sunt sensus communis, non sensus particularis externi; quia nullus ex istis est supra se reflexivus: & hæc est ratio, cur dicatur sensus communis. Secundum munus est, discernere objectum, & actum nrius sensus externi ab alio, ut colorem à sono, visionem ab auditu. Tertium tandèm est, subministrare spiritus sensorios sensibus externis: quarè, si meatus ipsius habeat impedimentum aliquod, sensus externus privatur talibus spiritibus.

7 *Phantasia* est illa facultas, quæ ex speciebus, acceptis iam per sensus externos, postèa varia effingit spectra, ut ex speciebus montis, & auri confingit sibi montem aureum, & hoc plerumque accidit in somnis. Undè actus phantasiæ est *phantasiare*. Alij autem hoc attribuunt imaginativæ, & meliùs quidem; nam phantasia, prout distincta à sensu communi, est facultas, quæ percipit objecta iam sensata ab externis sensibus, quamvis actu non sentiantur. Undè *imaginativa* tertia facultas est, quæ ex duobus objectis, simpliciter apprehensis, unum

tertium componit, ut in exemplo allato montis, & auri. *Æstimatoria* quarta facultas, est, quæ cognoscit objectum sensatum, ut conveniens, vel disconveniens, postquam media sensatione expertum est animal utilitatem, convenientiam, aut disconvenientiam objecti. Sic bruta apprehendunt sibi proficua, aut nociva; amica, vel inimica objecta percepta sensibus externis.

8 Quinta facultas est *memoria*: & est, quæ repræsentat res sensatas præteritas, ut præteritas. Sic canis v. g., fugit ab illo, qui eum percussit: & avis repetit suum nidum. In his quinque facultatibus conveniunt bruta cum hominibus: sed sunt aliæ duæ, in quibus differunt, scilicet, *cogitativa*, & *reminiscentia*. *Cogitativa* est facultas, quæ circa sensibilia particularia, & præsentia discurrit, inferendo ignotum ex noto: quare, cum hoc, quod est discurrere, & inferre unum ex alio, non conveniat brutis, sed ad summum, quod ex cognitione unius excitari ad cognitionem alterius; hinc est, quod in istis non datur cogitativa rigurosa. Tandem *reminiscentia* est recordatio rei præteritæ, sed oblitæ: undè differt à memoria, quod hæc est rei præteritæ, ut præteritæ, nulla oblivione intermedia è contra reminiscentia. Dein-

dè in reminiscentia intervenit aliqua inquisitio, & discursus, non verò in memoria. His facultatibus explicatis,

9 Dubitabis 2.: an, & quomodò istæ facultates sint distinctæ? Est idem, ac inquirere: an sensus internus sit unicus realitèr; & etiam formalitèr; solumque distinctus penès diversa munera? Quod non distinguantur realitèr est ferè communis: quoad distinctionem formalem aliqui Socraticæ eam statuunt, sed communior negat. Dico: *Sensus internus est unus, tam realitèr, quam formalitèr, solumque distinguitur penès diversa munera*. Prob. prima pars: nulla est necessitas multiplicandi realitèr præfatas facultates: ergò non distinguuntur realitèr. Prob. antec.: si aliqua esset necessitas, proveniret ex diversitate suarum operationum; sed hæc diversitas operationum non arguit talem distinctionem realem: ergò, &c. Prob. min.: magis differunt intellectio, & volitio, quam operationes prædictarum facultatum; sed potentie intellectio, & volitionis realitèr identificantur: ergò & facultates sensitivæ internæ.

10 Prob. secunda pars conclusionis: ad distinctionem formalem aliquarum facultatum requiritur diversitas actuum adæquatorum; quique non redduntur ad unam rationem com-

munem, attingibilem ab unica potentia; sed actus cujuslibet facultatis sensitivæ non est adæquatus, & alias est reducibilis ad aliquam rationem communem, scilicet, in sensibile commune, licet sub diversa connotatione: ergo tales facultates non distinguuntur formaliter. Maior constat; quia est isto præcisè, scilicet, quia intellectio est actus adæquatus intellectus, & volitio voluntatis, probant Scotistæ distinctionem formalem inter intellectum, & voluntatem. Videte, quæ diximus Disp. 2. q. 1. hujus.

II Dices 1. contra prim. part. conclusionis: separatio actualis est signum evidens distinctionis realis; sed facultates sensus interni separantur actualiter: ergo distinguuntur realiter. Prob. min.: in aliquibus animalibus datur sensus communis, & non datur imaginativa: in alijs datur hæc, & non memoria: ergo separantur actualiter: Confirm.: illæ facultates, quarum una perijt, & altera acrescit, distinguuntur realiter; sed in brutis decrescit memoria, & augetur phantasia, imaginativa, &c. ergo, &c. Resp. 1. ad argum., quod solum probat, has facultates distingui penes diversa animalia; hoc est: si in aliquo bruto est sensus communis, & non est phantasia, aut imaginativa, tales potentia tunc distinguun-

tur realiter; non verò, si simul sint in eodem subjecto. Parificatur in animalitate, quæ, dum est in bruto, distinguitur a rationalitate, secus verò dum est cum ista in homine.

12 Resp. 2. directè negando min., & mai. probationis; quia in probabili Philosophorum sententia, omnes quinque facultates assignatæ reperiuntur in quolibet animali, saltem perfecto; quamvis non omnia æquè perfectè exercent proprias operationes. Hoc enim provenit; tum ex diversa constitutione, tum ex diverso temperamento organorum. Ad confirm. resp., quod illa decretio memoriæ, & augmentatio phantasiæ, imaginativæ, &c., non est facultatis quoad suam essentiam & actum remorum, sed quoad potentiam proximam, & actum secundum; & hæc inæqualitas provenit ex diverso temperamento, diversaque dispositione; quæ diversitas non sufficit ad distinguendas realiter præfatas facultates; alias, cum unus homo benè judicet, & malè discurrat, haberet duplicem intellectum, quod non est dicendum.

13 Dices 2.: illæ facultates quæ habent distincta organa, seu subjecta, distinguuntur realiter; sed quinque facultates sensus interni habent distincta organa: ergo distinguuntur realiter. Minor constat ex

Anatomicis, afferentibus, rep-
 riri in cerebro quinque cœllulas,
 unaquæque pro sua facultate.
 Hæc replica, ex dictis difficul-
 tate primæ hujus sufficienter sol-
 vitur. Sed resp. omiffa mai., ne-
 gando min. Ad probat. dico,
 quod illæ quinque cœllulæ, ab
 Anatomicis assignatæ, quandò
 dentur, non sunt distincta fen-
 foria; sed cointegrant unum
 adæquatum; quamvis una facul-
 cultas magis vigeat in una parte,
 quam in alia: ad modum, quo
 diximus Disp. antec. de gustu,
 quod magis vivus sit in cuspide
 linguæ, quàm in alijs ipsius partibus

14 Dubit. 3.: quæ
 percipere possit sensus internus,
 & quomodo? Tamquam quid cer-
 tum supponitur, quod objectum
 adæquatum sensus interni est sen-
 sibile in communi concretivè ac-
 ceptum ad sua inferiora; nam
 ad omnia se extendit immédia-
 tè ipsius operatio; non autem
 est sensibile in communi in ab-
 stracto, seu prohi supponit pro
 se solo. Ratio hujus suppositio-
 nis est; quia in hoc distinguitur
 sensus internus ab externis, quod
 isti habent pro objecto adæqua-
 to sensibile sibi proprium. Sed
 cum sensibile in communi sub se
 contineat plura objecta particu-
 laria, dubitatur modo: quænam
 ex his percipi possint, à sensu in-
 terno? Pro cujus clariori resolu-
 tione.

15 Notate, quod obje-

cta sensibilia, alia sunt sensata,
 & insensata altera. Sensata dicun-
 tur, quæ prius à sensibus exter-
 nis immediatè per se, & direc-
 tè percipiuntur: ut objecta par-
 ticularia cujuscumque sensus. In-
 sensata verò sunt, quæ à sensi-
 bus externis non percipiuntur,
 sed immediatè ab interno. Hæc
 sunt in multiplici differentia: pri-
 mo ipsæmet sensationes externæ:
 secundo internæ affectiones re-
 rum sensibilibus, ut convenien-
 tia, vel disconvenientia: ami-
 citia, vel inimicitia rerum cum
 ipsismet animalibus: tertio ac-
 tus proprii ipsiusmet sensus in-
 terni: quartò tandem sunt pri-
 vationes, & negationes. De his
 omnibus objectis, sive sensatis,
 sive insensatis procedit prima pars
 difficultatis, resolvenda breviter
 per varias conclusiones.

16 Dico ergò 1.: *sens-
 sus internus percipit objecta sen-
 suum externorum, quæ dicuntur,
 objecta sensata.* Est communis, &
 prob.: animalia in eodem sub-
 jecto distinguunt colorem à sa-
 pore v.g.; sed hoc nequeunt ef-
 ficere per sensum aliquem ex-
 ternum: ergò per internum,
 & consequenter hic attingit
 objecta visus, & gustus. Ma-
 jor constat experientia canis, qui
 judicans aliquam rem comesti-
 bilem esse ex ejus colore, pos-
 teà gustans, aut olfaciens, eam
 relinquit. Minor verò prob.: ne-
 quit aliquis sensus externus dis-

tin-

tinguere unum ab alio, quin utrumque apprehendat; sed nullus sensus externus se solo potest apprehendere saporem, & colorem; cum color, & sapor sint objecta sensuum externorum distinctorum, ut diximus: ergo nullus sensus externus, &c.

17 Si autem dicas, quod unus sensus externus v.g. visus, potest percipere colorem, & alius, scilicet gustus saporem: & sic duo sensus externi iam distinguerent inter colorem, & saporem. Contra: quia potentia nulla potest cognoscere differentiam inter aliqua duo, nisi utrumque possit apprehendere: si enim unus homo v.g. præcisse cognosceret album, & alter solum cognosceret nigrum, neuter illorum, nec ambo simul, posset percipere differentiam inter album, & nigrum: ergo à pari, quamvis visus possit cognoscere colorem, & gustus saporem, neuter istorum, nec ambo simul possunt percipere differentiam repertam inter colorem, & saporem. Deinde, sensus externi non subordinantur abinvicem, sed disparatè se habent: ergo neuter potest cognoscere convenientiam, aut disconvenientiam sui objecti cum objecto alterius sensus. Quomodo autem sensus internus percipiat convenientiam, & disconvenientiam objectorum sensatorum statim dicemus.

18 Dico 2. : *sensus internus cognoscit actus sensuum ex*

ternorum, & etiam appetitus sensitivi. Est communis, & probatur, quoad utramque partem: experientia videmus, quod aliqua bruta quærant illa, quæ amiserunt in eodem loquo, in quo prius illa inveniebant; sed ratio hujus inquisitionis nequit esse alia quam quod bruta recordentur se vidisse tales res in tali loco, & non in alio: & aliàs percipere delectationem in inventione talis rei, desiderio cujus moventur ad eam inquirendam: ergo quia sensus internus cognoscit actus sensuum externorum, & etiam appetitus sensitivi. Confirmatur: bruta aliquandò appetunt gustare cibum, videre aliqua objecta amissa, aliosque actus externos; sed hic appetitus movetur ex cognitione talium actuum, quæ cognitio nequit haberi, nisi per potentiam internam cognoscitivam, quæ est una ex facultatibus sensus interni: ergo hic cognoscit actus sensuum externorum, & appetitus sensitivi.

19 Dices 1. contra hoc: *objectum sensus interni debet esse qualitas, aut prima, aut secunda: sed nulla sensatio externa est qualitas prima, aut secunda: ergo nulla sensatio externa potest percipi à sensu interno.* Confirm.: sensus internus nequit cognoscere sensus externos: g. nec actus ipsorum. Conseq. constat; quia, qui non potest cognoscere actum primum, nec actum secundum cognoscere

valet. Resp. negando min.; quia sensationes externæ sunt qualitates secundæ: undè benè possunt attingi à sensu interno, qui est potentia universalis, cujus objectum, nedum est qualitas prima, sed & secunda. Ad confirm., nego consequ.; quia sensus externi sunt substantiales, & sic non sunt sensibiles per se: actus verò ipsorum sunt accidentales; consequenterque sensibiles à sensu interno. Hoc apparet in ipsismet sensibus externis; tactus enim attingit calorem, quamvis percipere non valeat substantiam ignis, à quo talis calor producitur.

2. Dices 2.: ut sensus internus cognosceret actus sensuum externorum, debebat concurrere cum ipso, vel ipsummet objectum, vel species ipsius; cum hoc requiratur ad quamlibet cognitionem; sed sensationes externæ non possunt immittere proprias species in sensum internum; nec concurrere per se: ergo, &c. Prob. min.: si sensationes externæ immitterent speciem sui in sensum internum, duæ species essent simul in ipso, scilicet, species objecti, & species sensationis externæ; sed hoc repugnat; aliàs sensus externus simul haberet duplicem actum: ergo, &c. Resp., concessa mai., negando min., & min. probationis; quia, cum actus sensus externi, eorumque objecta sint omninò diversa, hinc est, quod

diversis speciebus debent movere sensum internum, alia actus, alia verò objecti. Et dum dicitur, quod essent duo actus in sensu interno; cum hi actus sint inadæquati, benè possunt esse absque inconveniēti in eadem potentia.

21. Dico 3.: licet sensus internus cognoscat convenientiam, vel disconvenientiam; amicitiam, vel inimicitiam objectorum sensatorum, hoc tamen non facit per primum actum. Conclusio quoad secundam partem est contra aliquos. Est tamen Nost. Doct., postea citandi. Prima pars plus eget explicatione, quam probatione: pro qua nota, quod convenientia, vel disconvenientia potest sumi tripliciter: primò materialiter, & prout supponit pro subjecto, aut substracto talis convenientiæ, aut disconvenientiæ: secundo formaliter, prout supponit pro convenientia, aut disconvenientia rei, respectu appetitus, que est formalis subjecti: tertio tandem pro respectu, aut relatione ipsa convenientiæ, vel disconvenientiæ. Sensus ergo internus nullo modo percipit convenientiam, aut disconvenientiam in hac tertia acceptione, quia relationes non sunt sensibiles, ex dictis. Difficultas est in prima, & secunda acceptione.

22. Prob. iam prima pars: bruta enim persæpè repetunt loca, ubi cibos prius inve-

neruat: fugiunt ab illis, à quibus aliquid mali perpetrati sunt, quod quotidie experimur in canibus; sed hoc signum est, quod per sensum internum cognoscunt, non solum convenientiam, vel disconvenientiam; amicitiam, vel inimicitiam objectorum sensorum, materialiter, & prout supponit pro subjecto; sed etiam formaliter, prout supponit pro forma ipsius convenientiæ, aut disconvenientiæ: ergo sensus internus sic cognoscit convenientiam aut disconvenientiam talium objectorum. Sunt alia penè innumera exempla, quibus hæc prima pars conclusionis probari potest,

23 Secunda pars conclusionis, scilicet, quod non cognoscat sensus internus hæc suis primis actibus, prob. ex Subt. Doct. in 4. dist. 45. quæst. 3. §. *Iuxta hoc*, num. 7., ubi ait: *Sensitiva* (id est potentia interna) *non percipit primo, nisi qualitatem aliquam sensibilem.* Sed qualitas sensibilis non est convenientia, aut disconvenientia; amicitia, aut inimicitia: ergo sensus non primo percipit ista. Confirmatur: dum ovis v.g. primo videt lupum, actu immediate ad ipsam visionem lupi non percipit inimicitiam istius cum ipsa: ergo non percipit primo actu sensus interni inimicitiam, sed solum accidentia sensibilia ipsius met lupi. Prob. antec.: inimicitiam, lupi cum

ove nequit percipere, nisi media aliqua specie representativa talis inimicitiae; cū ad quamcumque cognitionem sensitivam requiratur concursus objecti media aliqua specie; sed ex primo actu visionis, terminato ad lupum nequit habere speciem representativam inimicitiae lupi: ergo &c.

24 Si respondeant quod cognitio, qua ovis percipit disconvenientiam lupi sibi primo suo actu, non pendet totaliter ab specie, sed etiam ab instinctu naturæ ipsius: & sic prima visione lupi percipit talem disconvenientiam. Contra: ergo species lupi, qua primo videtur, est omnino indifferens ad representandam ejus convenientiam, vel disconvenientiam cuilibet naturæ, ovi siquidem representat disconvenientiam, & alteri lupo convenientiam. Nunc sic; sed ex hoc sequitur, quod ovis primo actu sensus interni non percipiat disconvenientiam lupi cum ipsa: ergo eam non percipit primo suo actu. Minor subsumpta constat; quia: talis disconvenientia nequit percipi, nisi media aliqua specie ipsam representate; sed species habita media prima visione lupi, quantum est ex se est indifferens ad representandam convenientiam, vel disconvenientiam: ergo, media tali specie, medio actu sensus interni non percipit talem disconvenientiam. Probat.

secundo eadem pars: species sensibilis habita per visionem, non repræsentat sensui communis naturam lupi; sed solum ejus accidentia externa; ut colorem figuram, magnitudinem, &c.; sed hæc accidentia externa non sunt disconvenientia ovi, sed sola natura lupi: ergo species lupi nequit primò repræsentare disconvenientiam. Maior constat ex dictis de sensibus externis. Minor etiam patet; quia si ovis servata propria natura, haberet accidentia externa, distincta ab his, quæ habet, ob hoc non esset disconveniens agno. Ex hoc sequitur, quod sensus internus post primum actum, & post notitiam aliquam experimentalem de aliquo objecto, percipit ejus convenientiam, vel disconvenientiam. Sic videmus, quod bos reperit præsepè Domini sui; & canis accurrit ad mensam illius, qui ei benefacit, fugitque à præsentia illius, à quo percussus est.

25 Dices tamen contra hoc: agnus prima vice, quæ videt lupum perhorrescit ipsum, & insequitur matrem: ergo, quia sensus internus ipsius primo suo actu percipit disconvenientiam lupi, & convenientiam matris. Antedens patet experientia. Consequentia probat: non posset appetitus agni prima vice perhorrescere lupum, & insequi matrem, nisi media cognitione, ha-

bita per sensum internum de tali convenientia, & disconvenientia; quia appetitus est potentia cæca, indigens potentia aliqua cognoscitiva, ostendente rationem formalem convenientiæ, vel disconvenientiæ objecti: & hæc nequit esse alia, quam potentia sensitiva interna: ergo hæc primò suo actu, &c.

26 Resp. concessio antec., negando consequentiam: & antec. probationis. Agnus ergo in primò actu fugæ à lupo, & prosecutionis matris ducitur ex instinctu, & inclinatione, indita ab Authore naturæ: undè ejus appetitus dirigitur à tali Authore. Hoc patet in cane, qui nuperrimè nato, statim quærit mammillas suæ matris, nulla præcedente cognitione externa circa convenientiam, aut disconvenientiam. Quod patet etiam; quia canis venaticus, qui quidem absque eo, quod prima vice lepores viderit, ipsos insequitur. Quæro ergo: media quæ specie sensus internus canis cognovit inimicitiam ipsius cum lepore? Certè non alio medio, nisi ex instinctu, & inclinatione indita ab Authore naturæ, absque aliqua cognitione ex parte sensus interni in primo suo actu.

27 Dico 4.: sensus internus etiam percipit proprios suos actus. Hæc conclusio deducitur ex Doctore in 4. dist. 45. quæst.

3. § *Justinendo*. num. 12. Prob. ipsamet experientia : persipé nos imaginamur, imaginatos fuisse: memoramur, fuisse memoratos: & somniamus nos somniare; sed isti secundi actus, quibus percipimus primos potentię sensitivę internę, non sunt actus alicujus sensus externi, nec etiam intellectus: ergò debent esse actus sensus interni: ergò actus proprii istius percipiuntur ab ipso. Minor quoad prim. part. constat; quia sensus externus solum potest percipere presentia, & prima imaginatio, memoratio, & somnium iam transferunt. Quoad secundam part. etiam patet; nam cum somniamus, nos somniare, &c., pro tunc intellectus est impeditus à suo actu.

28 Dices contra hoc: si sensus internus perciperet suos proprios actus, sequeretur, quod sensus internus esset reflexivus; sed hoc non conceditur sensui interno; cum sit proprium intellectus: ergò percipit proprios actus. Resp. disting. mai.: si sensus, &c., est reflexivus *imperfectè*, conc. mai.: *perfectè*, nego maiorem: inversis terminis distinguo min., & nego consequ. Itaque duplex datur reflexio supra proprium actum: una perfecta, qua percipitur, non solum actus ipse, sed etiam conformitas, vel disconvenientia ejus cum objecto, dependentia à potentia, ipsaquemet poten-

tia cognoscens. Alia est imperfecta, quęque solum cadit supra actum præteritum, ut representantem objectum, nec ultra progreditur. Ex his prima est propria solius intellectus; secunda verò convenit sensui communi. Per hoc resoluta manet difficultas, quę hęc solet proponi: an, scilicet, sensus internus sit reflexivus?

29 Dico ultimò: *sensus internus aliquomodo cognoscit privationes, & negationes*. Explicatur hæc Conclusio ex N. Doct. in 1. dist. 23. §. ad quæst. num. 5. paritate intellectus; nam sicut species, quę movet intellectum ad cognoscendas res, movet etiam ipsum ad cognoscendas earum negationes; sic sensus internus per affirmationem, aut speciem rei actu quoddam quasi divisivo percipit ejus privationem, & negationem. Unde, sicut ovis v.g., ex specie agni, residente in ejus memoria, movetur ad agni cognitionem; sic ex absentia speciei in oculo, cognoscit, agnum non esse presentem. Quare bruta cognoscunt carentiam cibi, aut filiorum, & ex hujusmodi carentia oritur in ipsis magnus dolor: & sic de alijs.

30 Dabit. 4.: an sensus internus sit judicativus, & discursivus? Iudicium ex Subr. Doct. multipliciter sumitur: primò late, pro quacumque cog-

nitione certa rei, etiam simplicis: secundò *minus latè*, scilicèt, pro cognitione duorum, vel ab invicem unitorum, vel distinctorum, non quidem attingendo formalitèr identitatem, vel distinctionem; sed solum materialitèr, percipiendo extrema distincta, & unum non esse aliud. Iudicium in his duabus acceptio-nibus, certum est apud Doct. in 4. dist. 47. quæst. 1., quod conveniat sensui communi; quod-que colligitur ex Philos. 2. de Anima, text. 145. Tertio tan-dèm sumitur iudicium *proprie*, & *strictè*, scilicèt, pro actu verè compositivo, vel divisivo, quo potentia apprehensis terminis, non solum determinatè iudicat, hoc esse, vel non esse illud, sed etiam attingendo distinctè com-plexionem formalem extremorum. De iudicio ergo in hac acceptio-nis, sicut & de discursu, qui est illatio unius cog-nitionis rei ignotæ, per notitiam alterius notæ, procedit præfens difficultas.

31 Dico: *potentia sen-sitiva, neque in brutis, neque in homine est verè, & proprie iudi-cativa, & discursiva.* Prima pars est communis: secunda ve-rò est contra aliquos Thomistas iudicantes, quod sensus com-munis in homine, propter pro-pinquitatem, & conjunctionem cum intellectu, est verè, & proprie iudicativus, & discursi-

vus. Utraque verò est N. Doct. citati, alijsque in locis. Prob. prima pars ex Sacra Script. quia Epist. 2. Div. Petri cap. 2. di-citur, quod bruta sunt irratio-nalia; sed si iudicarent verè, & discurrerent, aliquomodo rationalia essent: g. &c. Confirm.: si sensus communis iudicaret verè, & discurreret, sequeretur quod participaret aliquam liber-tatem; sed hoc nequit dici; quia sic possent mereri, & de-mereri bruta; cum ad omne opus liberum sequatur, esse imputabile ad laudem, vel vi-tuperium: esse dignum premio, aut pæna: ergò, &c. Maior constat; quia non est maior ra-tio, cur sensus gaudeat ratio-nalitate, quæ ad iudicium pro-prium, & discursum requiri-tur, quam libertate; cum hæc illam committeretur.

32 Prob. 2. pars Con-clus., scilicèt, de sensu com-muni in homine: si sensus com-munis in homine esset proprie iudicativus, & discursivus: vel hoc conveniret ipsi secundum se, vel quia in homine; sed primum nequit dici à Thomistis; alijs, etiam in brutis esset pro-prie iudicativus, & discursivus: secundum est falsum: ergò, &c. Prob. min. quoad secund. part.: ideo sensus communis in homi-ne, juxta Thomistas, posset esse verè iudicativus, & dis-cursivus; quia, ratione conjun-

tionis cum intellectu, posset elevari, ad agere super suas vires; sed hujusmodi elevatio ad hoc imperinens est; aliàs oculus, ratione conjunctionis cum sensu communi, posset elevari ad attingendam operationem aliquam, excedentem proprias vires, hoc est apprehensionem soni; quod est falsum: ergo, &c.

33 Dices 1. contra prim. partem Conclus. ex varijs experiencijs, quibus videmus, quod bruta gaudent cognitione aliqua scientifica, dialectica, & arte: canis enim, si in triviu quærat færam, percipiendo olfactu, quod non transferit per duas primas, statim absque alio olfactu arripit tertiam viam, quasi ita secum discurrendo: færa non pertransit per primam, nec per secundam viam: ergo per tertiam. Deindé habent medicinam; nam multa remedia homines ex brutis acceperunt. Habent Astrologiam; prævident enim tempestates, & serenitates. Etiam polent pluribus artibus; aranea siquidem habet artem texendi: & hirundo ædificandi. Tandem habent prudentiam, & alias virtutes: quaproptè à Salomone 6. Prov. extollitur providentia formicæ; sed hæc omnia arguant verum iudicium, & discursum, ergo, &c.

34 Resp. quod hæc omnia non probant iudicium,

& discursum in brutis; sed solum instinctum naturæ dirigentis, quo imitantur homines in industria, arte, & virtutibus. Undè ad singula respondeo, & primo ad illud de cane, quod non satis certum est: an odorem færae ibi ullatenus apprehendar, sed tertiam viam arripit ex instinctu quoddam naturæ, vel ex quoddam iudicio, & discursu imperfecto. Ad secundum de medicina dico, quod bruta ipsam non habent ex verò habitu; aliàs essent perfectiora nobis, qui neque intellectu possumus cognoscere virtutes hervarum. Undè solum supposita prima apprehensione, appetitus appetit instinctu naturali talem medicinam, & postea addita experientia de convenientia talis hervæ, ipsam quærit, & appetit. Idem dicendum de Astrologia, & alijs artibus. Neque in ipsis sunt veræ virtutes; sed umbræ quædam virtutum, secundum quas in suis operationibus regulatissimè procedunt; proptereaquè proponuntur ut exemplaria hominum; & merito, cum isti non adeò regularitèr procedant.

35 Dices 2. contra secundam part. Conclusionis, & primo ex Philos. varijs in locis docente, quod sensus in homine sit propriè iudicativus, & discursivus, saltim participativè ab intellectu: ergo, &c. Confirm.

sicut appetitus sensitivus in homine, ratione unione cum voluntate participat libertatem aliquam, ita & sensitiva, ratione consortij cum intellectu debet participare aliquem discursum: ergo participat. Resp., quod Philos. numquam docuit, quod potentia sensitiva sit verè discursiva: sed, quia intellectus in discursu dependet ab illa; cum immediatè ab illa moveatur, ideo illam denominat discursivam, non denominatione intrinseca, sed extrinseca, propter propinquitatem ipsius cum intellectu: Sic ipsum explicat Doct. in 4. dist. 45. quæst. 1. in fine. Ex quo ad secundum dicimus, quod sicut appetitus non dicitur, participare libertatem intrinsecè, ita ut acquirat propriè vim operandi indifferenter, sed solum extrinsecè, in quantum subditur imperio voluntatis; sic similiter potentia sensitiva in homine ex consortio ipsius cum intellectu, dicendus est solum extrinsecè, & impropriè iudicativus, & discursivus. Qui plura de hoc consideraverit, legat N. Mast.

hic Disput. 5. q. 8.

per totam.

* *

QUÆST. II.

In qua de appetitu sensitivo agitur.

1 **A**PPETITUS sensitivus communitè dividitur in *innatum*, & *elicium*. Primus est insitus natura erga bonum sibi consentaneum, abique cognitione ipsius; quapropter hic appetitus *non cognoscitivus* dicitur. Sic lapis dicit appetitum ad ubi deorsum; & materia ad formas. Secundus, qui & *cognoscitivus* dicitur, est qui sequitur bonum, aut respuit malum propositum ab intentione, seu cognitione. Sed quia cognitio, alia est intellectiva, & sensitiva alia, de qua iam egimus quæst. antec., ideo appetitus elicitus, alter est *rationalis*, qui est voluntas, sequens ductum rationis: & alter *sensitivus*, seu *animalis*, & est qui sequitur ductum sensus, maxime interni. De appetitu elicito rationali agemus Disp. 10. hujus, nunc autem solum tractamus, de sensitivo, sive animali.

2 Dari hujusmodi appetitum sensitivum, tam in brutis, quam in homine, certum est apud omnes. Et primo constat de brutis, nam multa operantur, quærentia sibi res

de

delectabiles , & fugientes , seu respuentes disconvenientia , & noxia. Quod autem detur in homine , constat ex fide ; nam ad Roman. 7. dicitur : *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* Et ad Galat. 5. : *caro concupiscit adversus spiritum.* Sed ex hoc sequitur , quod detur in homine inclinatio quædam sensitiva , contraria dictamini rationis , contra quam ipsa ratio se opponit : ergo datur talis appetitus sensitivus in homine , distinctus à rationali. Patet ultra in pueris , & amentibus , qui appetunt delectabilia , ostensa ab imaginatione , & non à ratione ; cum ipsius nullum usum habeant. His ergo notatis aliqua sunt resolvendæ difficultates de tali appetitu sensitivo.

3 Dubitabis ergo primo : quodnam sit objectum appetitus sensitivi ? Antè resolutionem nota , quod cum in appetitu sensitivo sint duo actus contrarij , scilicet , prosecutio boni , & fuga mali ; hinc est , quod duo objecta partialia , secundum diversitatem actuum assignanda sunt. Dico ergo , quod objectum appetitus sensitivi quoad prosecutionem , est *bonum* : & quoad fugam , *malum*. Sed adverte , quod non loquimur de bono honesto , aut malo inhonesto ; quia bonum honestum præcisè ostenditur à

ratione judicante bonitatem illius cum regulis morum , quod non reperitur in appetitu sensitivo. Loquimur ergo de bono delectabili , & utili in particulari , & hoc , sive sit verum , sive apparens. Hoc notato , probatur Conclusio paritate ; quoad objectum enim eadem est ratio appetitus sensitivi , ac rationalis ; sed objectum voluntatis quoad prosecutionem , ita est bonum , ut non possit tendere in malum sub ratione mali : & quoad fugam , ita est malum , ut non possit respuere bonum : ergo pariter dicendum de appetitu sensitivo.

4 Dub. secundo : an appetitus sensitivus sit unus , vel multiplex ? Cum ex dictis quæst. antec. potentia cognoscitiva sensitivæ sint plures , quæritur nunc : an cuilibet correspondeat suus appetitus sensitivus : an verò unus sufficiat pro omnibus talibus potentijs ? Resp. , quod appetitus sensitivus est multiplex , ita ut cuilibet potentia cognoscitiva , sive internæ , sive externæ , correspondeat proprius , & peculiaris appetitus. Hæc conclusio est Doct. in 3. dist. 15. num. 11. , & 17. num. 2. Prob. : quavis in potentia cognoscitiva possit imaginativa imaginari objecta , tam presentia , quam absentia omnium sensuum exteriorum , adhuc tamen ponimus alios sensus particulares , percipien-

pientes propria vi objecta propria particularia, cuiuslibet sensus: ergò à pari, licet potentia appetitiva, sequens imaginativam, possit appetere objecta convenientia cuiuslibet sensus particularis, & fugere disconvenientia, est ratio urgens ad ponendos appetitus particulares in quolibet sensu, sive interno sive externo. Antec. constat ex quæst. antec.

5 Prob. conseq.: ideò præter imaginativam ponuntur plures potè. iæ, seu sensus, quia alia apprehensio, seu cognitio particularis est necessaria ultra communem: v.g., est necessaria cognitio visus, gustus, &c. sed similiter est alia inclinatio, & delectatio consequens apprehensionem visus, auditus, &c., qua singuli sensus inclinantur in objecta, sibi convenientia, eorumque assuetudine delectantur: ergò qua ratione ponantur plures facultates cognoscitivæ, ponendi sunt etiam plures appetitus particulares. Confirm.: cibus dulcis, & profiquus v.g., non solum est perfectio totius animalis, sed potiori iure est perfectio gustus; sed quia est perfectio totius, ponitur appetitus communis: ergò quia est perfectio particularis hujus sensus, debet poni appetitus particularis, consequens cognoscitivam particularem.

6 Dubit. 3.: ubi resideat appetitus sensitivus communis? Ex ipsamet difficultate constat, non procedere de appetitu particulari; siquidem singuli ex istis resident in suis respectivè organis, ut visus in visu, & gustus in lingua, & palato. Procedit ergò dubium de appetitu interno communi. De quo aliqui cum N. Frasen, Suarez, & Aversa tenent, quod sedes hujus appetitus est cor; pro qua opinione videtur stare Philos. Liber 3. de partibus animalium cap. 4. Alij autem collocant talem appetitum in cerebro. Sic videtur Nost. Subt. Doct. cit., cum quoque.

7 Dico: *appetitus sensitivus communis residet in cerebro.* Probat. ex Doct. cit. in 3.: sensus communis residet in cerebro; ergò & appetitus in eo locandus est. Antec. constat ex dictis quæst. antec. Prob. conseq.: appetitus movetur à sensu interno; undè nequit appetere objectum non sensatum; sed ad hoc est valdè utile, immò, & necesse, quod appetitus resideat in eadem sede, in qua residet sensus communis: ergò residet. Confirm. ex doctrina ipsiusmet Philos., cui valdè fidant contrarij; quia eo appetitum possuit in corde, quia sensum communem in ipso collocavit: iudicans, unam, & eandem sedem debere poni pro utroque: ergò etiam in commu-

nio-

niori sententia sensus communis fit in cerebro, in ipso debet esse & appetitus. Urgetur paritate appetituum particularium, residentium in eodem sensorio, in quo residet sua vis cognitiva particularis.

3. Dices tamèn contra conclusionem: ibi potissimum residet appetitus sensitivus, ubi maximè exercet suas passiones, & actiones; sed istas maximè exercet in corde: ergò in isto residet appetitus. Maior constat ex Doct. citato, qui ex dolore, & delectatione, quam percipit quilibet sensus ex suo proprio objecto, infert, quod cuiuslibet potentiae cognoscivæ correspondet proprius appetitus. Minor etiam patet, nam cor, ex possessione sui boni delectabilis gaudet, ac dilatatur: & è contra, ex privatione ipsius, tristatur, & contrahitur: ergò in corde exercet, &c. Resp., concessa mai., negando min.; quia quamvis actiones, & passiones appetitus sentiantur in corde, & circa cor, hoc provenit ex accursu sanguinis, qui ratione sensus tactus, ejusdemque particularis appetitus, residentis in corde, causat hos varios effectus delectationis & tristitiæ in ipso corde: sed hoc non probat de appetitu communi, de quo hic loquimur.

9. Dub. 4. : quatuorplex sit appetitus communis? Subt.

Doct. in 3. dist. 34. quæst. unica, §. *Notandum*, dividit appetitum communem, in *concupiscibilem*, & *irascibilem*. Concupiscibilis est, quo animal actu prosecutionis versatur circa bonum, & conveniens, sibi ostensum per apprehensionem: actu verò fugæ resillit circa malum, & disconveniens, similiter sibi propositum. Appetitus irascibilis est ille; qui tendit etiam circa conveniens, ac delectabile, sed non, ut absolutè, & simpliciter propositum, sed prout est impeditum ab alio; ita ut non possit consequi. Ex hoc sequitur, quod appetitus irascibilis præsupponit actum concupiscibilis, erga bonum præostensum, & actum fugæ, seu aversionis circa carentiam boni concupiti; sed ultra hoc dicit affectum, & desiderium respuendi impediens à consecutione boni concupiti: & consequenter intendit vindictam, & victoriam de impediente consecutionem talis boni.

10. Ut hoc melius percipiatur, declaratur isto exemplo: canis v.g., appetit sibi cibum actu prosecutionis concupiscibilis, & actu fugæ respuit carentiam ipsius: sit vero corpus aliquod interpositum, impediens consecutionem cibi; huiusmodi corpus detestatur, & contra hominem, aut aliud agens apponens impedimentum, ne

cibus consequatur, irascitur, & desiderat sumere vindictam ab ipso, ipsamque superari, si possit. Inferitur ex hoc differentia objectiva horum appetituum. Objectum namque proximum concupiscibilis, quoad actum prosecutionis est bonum conveniens, quoad actum fugæ, malum oppositum. Objectum proximum irascibilis est vindicabile, & punibile, hoc est, ipsum offendens, non specificativè, & secundum se, sed reduplicativè, ut apprehensum, tamquam impediens consecutionem boni concupiti. Undè bonum ipsum concupitum, se habet tamquam objectum remotum, aut finis appetitus irascibilis; nam gratia ipsius irascitur animal.

II Dubit. 5. : quomodo hi appetitus inter se distinguantur? Resp. non distinguuntur realitèr, sed esse unam, eandemque facultatem cum sola distinctione penes diversa munia. Est communis inter Scotistas, & Jesuitas, contra aliquos Thom. Et probari potest 1. paritate sensus interni, qui ex dictis quaest. antec. : quamvis in varias facultates dividatur, non tamen iste distinguuntur realitèr, sed solum extrinsecè penes diversa connotata operationum, & objectorum : ergò à pari hoc idem dicendum est de appetitu sensitivo. Prob. 12. conclus. Cad homi-

nem contra Thomistas : in appetitu rationali, seu voluntate datur concupiscibilis, & irascibilis, quæ tamèn facultates non distinguuntur realitèr; sed ratio, qua hoc probant Thomistæ, probat de appetitu sensitivo : ergò &c. Prob. min. : ideò concupiscibilis, & irascibilis in voluntate non distinguuntur realitèr; quia semper sequuntur eandem potentiam cognoscitivam, scilicèt, intellectum; sed appetitus sensitivus semper sequitur eandem potentiam cognoscitivam, scilicèt, sensum communem internum: ergò, &c. Hoc idem patet in intellectu, qui dividitur in portionem superiorem, & inferiorem: in speculativum, & practicum, quin istæ facultates distinguuntur.

12 Dices tamèn contra hoc: potentia sensitiva diversificantur ex diversitate organorum; sed concupiscibilis, & irascibilis appetitus sensitivi diversa habent organa, juxta Doct. in 3. dist. 34. num. 12. : ergò, & ipsæmet facultates distinguuntur realitèr. Confirm. : concupiscibilis movetur motu contrario à motu irascibilis; sed idem organum nequit moveri motu contrario : ergò &c. Respondi., concessa maiori, negando min.. Ad prob. ex Doct. dico, quod ibi non loquitur absolutè, & ex propria mente, sed supposita probabilitate oppositæ sententiæ, ita-

ruentis distinctionem realem inter concupiscibilem, & irascibilem appetitus sensitivi. Quapropter tunc admittitur sententia, intentum Doct. erat, quod concupiscibilis, & irascibilis in voluntate non distinguantur realiter; cum sint potentiae inorganicae. Ceterum in 3. dist. 26., ubi ex professo agit de hoc, solvit argumenta probantia distinctionem realem concupiscibilis ab irascibili, quod certe suadet, esse pro nobis.

13 Ad confirm. resp. I., quod si aliquid, probat, probat, quod amor concupiscentiae, & odium habeant facultates realiter distinctas, quod nemo dixit. Unde, omittitur maiori, distinguitur minori: sed idem organum nequit moveri simul motibus contrariis, omittitur minori: successively, nego minori, & consequenter. Itaque, ex hoc; quod motus irae, & concupiscentiae sint contrarii, non deducitur distinctio potentiarum, & organorum, sed tantum actuum, requirementum distinctas, & oppositas dispositiones in eodem organo. Et hoc non inconvenit; quia non oportet ponere tantam distinctionem in principiis, quantum in principiatis.

14 Dubit. 6.: quinam sint actus concupiscibilis, & irascibilis? Quamvis ex dictis, istae non sint potentiae realiter distinctae; cum tamen habeant di-

versa objecta, etiam diversos actus habent. Sex ergo actus assignantur concupiscibilis, scilicet: amor, & odium: desiderium, & fuga; voluptas, & dolor. Sed nota, quod hi tres, amor, desiderium, & voluptas versantur circa bonum hoc ordine: amor circa bonum secundum se: desiderium circa bonum absens: voluptas, seu delectatio circa bonum praesens, aut possessum. Alij tres, scilicet: odium, fuga, & dolor versantur circa malum: odium circa malum secundum se: fuga circa malum absens, sed imminens: & tandem dolor circa malum praesens.

15 Ergo actus irascibilis non satis inter se conveniunt Authores. Omnes communiter dicunt, quod habet hos quatuor: iram, tolerantiam; audaciam, & timorem. Ira est appetere vindictam de offensa. Tolerantia est patienter sustinere offensam, iram ut offensus nollit repellere injuriam. Audacia est, dum offensus conatur punitio-nem, & victoriam de offendente, quamvis offendens sit aliquomodo superior. Timor tandem est quando effendens respicitur, ut excedens vires timentis, ex quo victoria redditur valde difficilis. Circa hos actus amplius in Philosophia morali. An autem spes, & desperatio sint actus irascibilis: anve concupiscibilis? Dubitant Authores. Ego cum

cum Nost. Mast., & Subc. Doct. quod potius attinent ad concupiscibilem, quam ad irascibilem spes, & desperatio, dico; ratio, quia spes respicit bonum, ut possibiliter consequendum, licet, cum arduitate: desperatio vero respicit bonum, apprehensum, ut impossibile, quod est proprium concupiscentiæ.

16. Dub. denique: quomodo appetitus sensitivus subdatur rationali? Subditum unum alteri, potest fieri, aut politicè, aut dispoticè. Primò modo subdantur subditi suis Prælati; sed hoc non fit absque aliqua resistantia; ita ut non semper sequatur obedientia. Secundò autem modo obeditur ad nutum, & sine resistantia. Hoc notato, Dico, quod appetitus sensitivus subditur voluntati solum politicè, & non dispoticè. Ratio est; quia licet frequenter ei obtemperet, non tamen semper, & sine aliqua resistantia: quinimò quamplurimes trahit voluntatem in suum objectum, juxta illud ad Rom. 7.: *video aliam legem in membris meis, & resistentem legi mentis meæ*: ergo non obedit dispoticè appetitui rationali, seu voluntati. De hoc in

Theologia. Materia de

Statu Innocen-

tis.

QUÆST. III.

In qua de potentia loco motiva agitur.

TERTIA facultas animæ sensitivæ,

omnibus animalibus conveniens, est, non æqualiter est potentia loco-motiva. Pro cujus declaratione nota, quod triplex in animali dignoscitur facultas motiva. Prima *vitalis, & naturalis*, estque, quæ sola necessitate naturæ, nullaque præcedente cognitione, operatur. Sic se habet motus pulsus cordis, &c. Secunda est facultas animalis, & est quæ subsequitur notitiam præcedentem, & motum appetitus: undè ejus motus spontaneus est, & subordinatus potentiæ appetitivæ. Tertia est mixta, & est, quæ, licet absolute non ducatur cognitione, nec appetitui subordinetur, aliquo tamen modo est spontanea. Sic se habet respirativa, & inspirativa, quæ aliquo parvo tempore potest moderari ab animali.

2. Quæres nunc 1.: an hæc potentia loco-motiva sit realiter distincta, à cognitiva, & appetitiva? Resp. affirmativè. Prob.: potentia cognoscitiva, &

appetitiva sunt in distinctio organo, scilicet, vel in cerebro, vel in corde, secundum dicta quaestionibus antec.; sed potentia loco=motiva est ferè diffusa per totum corpus, ut citò videbimus: ergò hæc distinguitur realitèr ab illis. Quomodo autem potentia loco=motiva subdatur appetitui rationali? Sub dubio est apud AA.: sed cum distinctione breviter explicandum. Motus naturales, prevenientes rationem, & voluntatem, qui *primò primè* dici solent non cadunt sub imperio dispositivo voluntatis; quia ipsa renitente ex vehemènti passione appetitus sensitivi, insurgunt. Motus autem, qui notitiam subsequuntur, à directioneque cognitionis dependent, subduntur dispositivè imperio appetitus rationalis; nam isto efficacitèr posito in appetitu statim potentia motrix exequitur suum motum, ut experientia docet.

3 Quæres 2. : quodnam sit organum hujus facultatis? Ut potentia motrix moveatur, plura requiruntur, juxta Arist. Lib. de motu animalium. Sunt enim *juncturae, ligamenta, tendones*, & tandem *musculi*; quorum explicatio Anothomicis relinquatur. Quamvis autem hæc omnia requirantur ad motum, dubitatur meritò: in quonam ex his principalitèr consistat hæc facultas? Resp.,

quod in musculis. Est communis, & probatur: musculi, ità se gerunt in motu locali, ut ex eorum constrictione impediatur motus, & expediatur media extensione, & laxitate eorum: ergò in istis stat vis motiva. Confirm.: temperamentum musculorum est ex nervis, deferentibus secum spiritus animales, & ex carne, quæ sua mollitie, ac flexibilitate est valdè facilis ad motum: ergò, &c.

4 Quæres ultimò: an facultas loco=motiva sit activa? Aliquì Thomistæ defendunt, quod potentia loco=motiva est merè passiva, hoc est, quædam habilitas membrorum ad recipiendum motum, totalitèr causatum ab appetitu sensitivo. Dico tamen, *quod est activa. Prob.: actus potentia loco=motiva nequeunt causari ab appetitu sensitivo: ergò causantur ab ipsa, & consequentèr est activa. Prob. antec. : primò; quia actus adequati appetitus sensitivi sunt prosecutio boni, & fuga à malo; sed motus localis non continetur sub his actibus: ergò ad istum non concurrit appetitus. Secundo: appetitus sensitivus agit immanentèr, & non transeuntèr: ergò nequit causare effectum in potentia motrice, à se realitèr distincta. Confirm.: potentia loco=motiva est vitalis; nam est facultas animæ sensitivæ; sed potentia vitalis est elici-*

citiva sui proprii actus in se ipsa, & immanentè: ergò, &c.

Dices contra hoc: non solum ponitur motus localis statim, ac appetitus vult efficaciter ipsum; sed eo velocius, quo efficacius appetitus ipsum imperat: ergò tota activitas motus provenit ab appetitu. Resp., concesso antec., negando conseq.; aliàs enim frustrà poneretur virtus activa in sensibus externis; cum eorum actus pendeant ab appetitu sensitivo. Quod ergò ad summum ex replica sequitur est subordinatio huius facultatis ad appetitum, ità ut, hoc imperante, statim obediat potentia locomotiva, exequens motum imperatum, sua tamen propria vi elicitiva, uti evenit in potentia visiva, aliisque sensibus externis.

QUÆST. ULTIMA.

De Quibusdam affectionibus anime sensitivæ.

PHILOSOPHUS per octo libellos, quos de parvis naturalibus nuncupavit, egit de quibusdam affectionibus viventium. Nos autem pro complemento hujus disputationibus ipsas hic suc-

cintè explicabimus. Istæ affectiones communiter assignantur: *somnum, vigilia, respiratio, aspiratio, inspiratio*: de quibus per paragraphos agemus.

§. I.

De Somno, & Vigilia.

SOMNUS, sic communiter definitur: *est ligatio omnium sensuum externorum ad salutem animalium, instituta à natura.* Dicitur quod sit ligatio sensuum externorum; quia non est necesse, quod in homine dormiente, eius sensus interni sint ligati, ut patet in somniantibus, qui habent sensus internos solutos. Dicitur, *instituta à natura*; quia certum est, quod moderatus somnus affert magnam utilitatem naturæ, nam corpora recreat, vires reparat, & valetudinem probat. Per oppositum, immoderatus somnus gravat caput, laxat membra, homines stultos reddit. Vigilia autem per oppositum sic definitur: *est solutio, & libertas omnium sensuum externorum, aut saltem aliquorum.*

3. Querēs autem modo: quomodo somnus causetur? Certum est apud omnes, quod

quod nullus sensus exterior exijt in suam operationem, nisi virtute spirituum animalium estuentium è cerebro. Ex quo sequitur, quod si estluxus talium spirituum prohibeatur in sensibus externis, termitantur etiam eorum operationes, & ex consequenti causetur somnus. Unde proxima, & immediata causa efficiens somni est impeditio fluxus spirituum animalium, è cerebro ad sensus externos. Sic Philosp. hic cap. 1. Quodnam autem sit principium remotum somni? Dubitant AA. Plura assignari solent.

4 Prima est, quod virtute nutritiva dequoque cibos in stomacho, ipse cibus resolvitur in vapores, qui cum leves sint, ascendunt ad cerebrum, ubi ejus frigiditate refrigerantur, & incrassantur; quapropter claudunt meatus, per quos spiritus descendunt ad sensus externos; ex consequenti que talia organa redduntur inepta ad exercendas suas operationes: unde ex hoc tandem provenit somnus, seu cessatio sensuum externorum à suis operationibus. Hæc omnia satis constant ex eo, quod quamplurimi cibi, & potus facilius præ alijs somnum causant; quia sunt valde vaporosi, multasque fumositates immittunt cerebro. Apparet etiam; quia pueri, & phlegmatici sunt magis dediti

somno, quam senes, & melancholici. Tandem, tempore ventoso, & pluvioso, locoque humido facilius somnus capitur propter abundantiam vaporum.

5 Secunda causa remota somni est nimia fatigatio corporis; quia labore consumuntur spiritus, & sic sensus externi destituuntur viribus, donec quiete somni generentur alij spiritus. Deinde, agitatæ partes corporis labore, evaporant suam propriam humiditatem, quæ ascendens ad cerebrum, obstruit meatus spirituum, & causatur somnus sicut supra diximus. Somnus autem triplici modo contingere valet, aut *naturaliter*, qui proveniens à natura post vigiliis, exercitiis, cibum solitum, ejusque concogtionem, est utilis, & proficiuus naturæ. Secundò *præternaturaliter*, & hic est morbus proveniens ex magna intemperie humorum corporis, ut est lethargus. Tertio *mixtè*, qui partem provenit à natura, post nimias scilicet vigiliis; partim à medicina, medijs aliquibus medicamentis, ut *papaveræ*, *mandragora*, & *lac*, &c.

6 Ex hucusquæ dictis facile resolvuntur quædam difficultates, quæ de somno excitari solent. Prima: an somnus competat omnibus animalibus? De perfectis, tam repilibus, quam aquatilibus, certum est, teste Plinio Lib. 10. naturalis historiæ, quod

quod dormiant. De primis testatur experientia. De secundis patet; nam Ballonæ, & Delphini capi solent, dum dormiunt. Unde universaliter dico, quod cuncta animalia dormiunt. Ratio est; quia habent virtutem nutritivam, & digestivam alimenti, ex cujus cogitione necesse est, quod proveniant vapores, & fumositates, & sic causetur somnus. Deinde, exercent motus aliquos suis sensibus externis; unde necesse est, quod ab ipsis aliquoties vacent, medio somno, ad resumendos spiritus animales.

7. **Secunda difficultas** est: quodnam prius conveniat homini; somnus, vel vigilia? Si somnus rigurose sumatur, scilicet, pro ligatione omnium sensuum externorum, quæ ligatio videtur præsupponere solutionem talium sensuum, tunc certum est, quod vigilia præcedat somnum. Si verò somnus sit quæcumque ligatio, tunc cum sensus primò non sint bene formati, videtur, quasi dormire, & sic prius competet somnus. Sed in rei veritate hic non est somnus proprius: unde absolute dici debet, quod homo prius vigilet, quam dormiat. An somnus convenisset homini in statu innocentiae? Pertinet ad materiam de *Statibus naturæ*. Breviter dico, quod esset somnus perfectus proveniens ex suavi

vaporatione ciborum; quod non obscure colligitur ex illo Genes. 2.: *immisit Deus soporem in Adam*: non autem esset somnus proveniens ex lassitudine, aut morbo aliquo; cum hac non essent in illo felici statu.

8. **Tertia difficultas** est: qualiter homo suscitetur à somno? Homo naturaliter suscitatur à somno, dum consumuntur spiritus animales, qui causabant vapores in cerebro. Sed ultra suscitatur vi, ut factum fuit in Divo Petro, Actorum 12., qui dormiens inter catenas, excitatus fuit ab Angelo, tum percussione lateris, tum strepitu vocis, imperantis: *surgere velociter*. Sic videmus, quod aliqui faciliter excitentur à somno quocumque pulsu; alij autem è contra, nec magno sono excitari valent; quia isti habent magis obstruos meatus, vaporibus crassioribus. Vide, quæ supra diximus de causis somni.

9. **Quarta difficultas** est: cur homines regulariter facilius, & suavius dormiant supra latus dextrum, quam supra sinistrum? Duplex assignatur ratio: prima, quia latus dextrum calidius est præ sinistro: & sic nimio calore promovetur concogitio, & causatur maior somnus. Secunda ratio est; quia latus dexterum magis laborat; consequenterque magis lassatur, & fatigatur, & sic magis quiescit som-

somno, & recreat hominem ipsam. Sed hæc ratio merè congruentialis est; nam in aliquibus magis laborat, alius lævum. Ultima difficultas est: an homines nocte=ambuli sint verè dormientes? Si Authoribus probatæ fidei fidem demus, sunt quidem homines, qui in somno ambulant, exercentque alias operationes proprias sensuum externorum; loquuntur enim, & disputant. Sed nota, quod loquutio pro tunc, & disputatio provenire solet à solutione, & operatione phantasiæ: quæ tunc maximè operatur, quando sensus externi ligantur, ac dormiunt. Unde persæpè ex forti imaginatione, timore, ira, &c. erumpunt, & prorumpunt in voces. De hoc aliqua postea. Difficultas ergo præsens est: an dum exercent operationes sensuum externorum, ut se vestire, januam pandere, progredi, & alia huiusmodi, verè vigilent, aut dormiant?

Resp. sub distinctione: si vigilia accipiat pro solutione omnium sensuum externorum: & per oppositum, somnus pro ligamine illorum omnium, dicendum est, quod nocte=ambuli nec verè sunt vigilantes, nec verè dormientes, sed semi=dormientes, & semi=vigiles. Ratio est; quia sensus illi, quibus pro tunc non utuntur, ligati jacent, & penès illos dormiunt; per oppositum, hi sensus qui-

bus operantur sunt soluti, & sic penès illos vigilant. Unde ratione hujus difficultatis in descriptione vigiliæ consultò diximus: quod est omnium sensuum externorum, aut saltem aliquorum solutio, & libertas; in quo nocte=ambuli comprehenduntur.

§. II.

De Somnijs, & de eorum divinatione.

SECUNDA proprietas animalis est somnium, quæ regularitèr in somno accidere solet. Sic ergò à Philof. somnium definitur hic cap. 1. est phantasma apparens in somno; vel est apprehensio phantasmatis quod occurrit dormientibus. Sed ut hoc melius percipiatur, notandum est, ex dictis §. antec., quod quamvis ad somnum perfectè talem requiratur ligatio omnium sensuum externorum; cum hoc compatitur, quod non semper ligetur sensus internus; sed præcisè ligatur, cum somnus est profundus, ita ut magna copia vaporum obruat totaliter spiritus animales. Hinc ergò, quando sensus internus manet liber, potest operari erga phantasmata, quæ sunt species reservate in phan-

phantasia rerum cognitarum sensibus externis: & huiusmodi operatio circa objecta representata phantasiatibus, dicitur somnium.

12 Ex hoc oritur, quod somnium propriè convenit, quibus verus somnus comperit. Infertur etiam inæqualitas somniorum, nam qui actu habent caput multis fumositatibus repletum, aut cerebrum valde frigidum, & humidum, nihil, aut parum somniant, quia istis sensus communis obruitur. Hoc patet experientia; nam in principio somni regularitèr non somniamus: in medio valde obscure: & in fine adeò distinctè, ut ipsa objecta somniata tanquam vera nobis appareant. Ratio totius est; quia in principio vapores abundant, in medio minuuntur, & in fine quasi deficiunt. Hinc etiam oritur, quod fortius somniamus erga illa objecta, circa, quæ firmitus sensibus externis operamur; nam ipsorum vividiora phantasmata, ac intensiora acquirimus. Tandem infertur, quod somnia solent communiter adaptari complexioni uniuscuiusque: unde melancholici regularitèr somniant erga tristitia, & orrida: cholericici circa bella, caedes, vindictas, &c. phlegmatici erga pisces, & aquas: sanguinei habent somnia delectabilia.

13 Triplex genus somniorum distingui solent commu-

niter; scilicet: Divina, Demoniaca, & naturalia. Divina sunt, quæ à Deo ingeruntur, sive immediate, sive mediantè Angelo bono: de quibus somnijs non pauca habentur exemplaria in Sacra Scriptura. Hæc somnia sempèr sunt bona; aut enim hominem promovent ad bonum, aut à malo retrahunt. Demoniaca sunt, quæ à Diabolo inducuntur; cum enim eadem virtute naturali polleant Demones, ac Angeli Sancti, possunt etiam ingerere somnia; sed opposito fine, nam per ea Demones intendunt hominum perditionem; vel ipsorum corpora, scelerando, vel varijs superstitionibus decipiendo. De his somnijs in Theologia Mystica. Somnia tandem naturalia, seu animalia sunt, quæ ex varia dispositione, temperamentoque corporum proveniunt: vel tandem erga res ipsas, quas persèpè in vigilia pertractamus: de quibus sufficientèr egimus numero antea.

14 Ex modo, & medio quo somnia evenire solent quinque species solent numerari, scilicet: oraculum, visio, somnium, insomnium, & phantasia. Oraculum est, quod dormiens acquirit ab aliqua auctoritativa persona, et apparente, & dicente: quid venturum sit: quid faciendum, aut vitandum, ut in somno: quod Angelus apparuit Josephi, et prædicens: quid. Hæc

rodes intenderet erga puerum Jesum, quidque faciendum. Visio est, qua quis somniat id, quod viderat in vigilia, eodemque modo, quo ipsum viderat. Somnium per appropriationem est, dum res apparet tecta talibus figuris, quod sine interpretatione nequeat intelligi. Sic somnia Pharaonis, & alia huiusmodi. Infomnium est circa objectum, quod fatigaverat in vigilia, ut dum dormiens cogitat de studio, aut disputatione. Phantasma tandem est dum dormiens iudicat, se vigilare, spectraque videre.

15 Ars præfagiendi, seu divinandi in somnijs, quæ somnifugia vocari solet in magna dignitate fuit apud Pythagoricos, Platonicos, Stoycosque. Nunc verò Catholici hanc artem respiciunt. Audi D. Hieronimum super illud Ecclesiastici 5.: *in multitudine somniorum, & vanitates, & verba plurima.* Super quæ Sanctus Doct.: cum diversa videris per nocturnam quietem, & varijs Anima fuerit exagitata terroribus, sive incitata promissis, tu ea contemne, & solum Deum time; qui enim somnijs credunt, vanitatibus, & ineptijs plurimis se tradunt. Ex qua authoritate dico, quod si somnia fuerint Divina, & hoc certè constet, utriusque ipsis maximè fidendum, & credendum: si autem discerni nequeat: an sint Divina, demoniaca, vel humana, tunc pa-

rum, vel nihil ipsis credendum & hoc maximè circa eventus inconnexos, & disparatos. De hoc exprofessò in Theologia, tum mystica, tum morali.

§. ULTIMUS.

De respiratione, alijsque proprietatibus animalium.

RESPIRATIO dupliciter sumi potest: *proprie*, & *improprie*. Improprie sumpta est quæcumque refrigeratio animalis: & hæc cuicumque viventi convenit. Respiratio autem proprie sumpta est, quæ constat duplici motu: unus *atractiois aeris* ad cor per pulmones, & asperam arteriam: hic motus dicitur *inspiratio*: alter est *expulsio aeris* ex corde per eandem viam: & hic motus dicitur *expiratio*. Undè inspiratio fit hoc modo: ore, aut naribus atrahitur aer, elevato epiglotide, seu lingula claudente hostium laryngis; & tunc relinquitur aeri liberum irer, ut per asperam arteriam ingrediatur ad refrigerandum cor. Expiratio vero fit per oppositum, scilicet, expellendo per eandem viam aerem ingres-

causa præcipua hujus motus respirationis? Dubitant AA. Aliqui dicunt, esse cor: alij pulmones: alij muscolum illum simplicem, & rotundum, separantem cor, & pulmones à jecore, & lienæ, qui vocatur *diaphragma*. Certum est enim, quod pulmones in respiratione se habent instar folium: dum enim dilatantur, seu expanduntur, attrahitur aer, fitque inspiratio: dum vero constringuntur; aut contrahuntur; eijcitur aer, & fit spiratio. Unde in respiratione reperitur hic motus contrarius expansionis, & contractionis. Quare probabilius iudico: quod principium primum horum motuum, & respirationis est calor cordis, genitus ex novo sanguine, qui cum sanguine diffunditur per arterias, aut venulas pulmonum, & sic inflatur torax, in quem subingreditur aer, ut locum repleat: & postea subingressus temperat sua frigiditate calorem pulmonum, & cordis, ipsumque retundit, ex quo pulmones expellunt aerem, ut patet in folijs,

18. Quæres autem: an omnia viventia respirent: vel saltem omnia animalia? Ad primum respondeo negativè; nam plantæ vivunt, & non respirant. Ad secundum dico, quod quædam animacula parva, pulmonibus carentia; immò, & per-

fectè aquatillia, non respirant. Nam, si respirarent, àer sub ingrederetur aquam: deinde extra aquam non moreretur. Verum est, quod sunt aliqua aquatillia non perfecta, ut ranæ, cocodrilli, &c., qui respirant. Si tandem quæras: quisnam sit primus motus in animalibus: an inspirationis: an verò spirationis? Dico, quod in generatione prior est inspiratio: in morte per oppositum spiratio est posterior. Cum respiratione connectitur pulsus; qui est etiam proprietas animalis, & est motus quidam dilatationis, & compressionis cordis, & arteriarum; *Diastole, & Systole* dicti. Sed circa hoc Medici sunt consulendi.

19. Sunt præterea aliæ proprietates animalium, ut *juventus, & senectus*; de quibus iam satis egimus Lib. de Ortu, & Interitu: *memoria, & reminiscentia*, de quibus aliqua Disp. 9. hujus dicemus. Tandem *vox, risus, & fletus*. De voce egimus Disp. antec., agendo de auditu, & sono. Risus, & fletus sunt planè, plenèque physica. Quare pro nunc ab ipsis merito abstinemus. Qui aliqua circa ista desideraverit legat N: *Mastrium* Disput. 5. quæst. 12. arg.

2. Nam hæc de parvis

naturalibus suf-

ficient.

DISP. VIII.

DE ANIMA RATIONALI

secundum se.

QUAMPLURIMA ad hanc Disp. pertinentia, iam pertractata manent Disp. 1. hujus Tractatus: tum quæst. 3. ubi diximus; quod in homine solum datur Anima rationalis, vegetativam, & sensitivam continens, nedum in genere causæ efficientis, sed etiam in genere causæ formalis. Tum quæst. 4. ubi docuimus, animam rationalem esse omnino indivisibilem in partes integrales. Unde pro nunc pauca restant pertractanda in præsentî, disputatione. Circa quam sit

QUÆST. I.

An Anima rationalis sit spiritalis, simplex, & immortalis?

QUAMPLURIMI errores circa animam rationalem olim emanarunt; quiquidem

damnati fuerunt, tunc à Concilijs, & varijs Summis Pontificibus. Quarè non erit abs re statuere varias propositiones, quæ tamquam dogmata fidei tenenda sunt. Primò ergò Leo Papa in Epistola 19. definit: quod anima rationalis non educitur de potentia corporis, seu materiæ, sed à Deo creatur. Pro hoc errore citatur Tertulianus, & Apollinaris post ipsum. Secundo idem Summ. Pontifex Epist. 71. docet, quod animæ non sunt creatæ extra corpus, sed simul à Deo creatur, & corporibus infunduntur. Tertio in Concilio Lateranensi 3. Sessione 8. sic definitur: anima rationalis non est una numero in omnibus hominibus; sed tot sunt animæ rationales, numero distinctæ, quot sunt homines numero distincti. Quarto in 8. Synodo Generali actione 10. can. 11. habetur: in unoquoque homine una numero est anima, non plures.

Quintò in Later. summatim definitur contra varios Hæreticos, quod animæ manentes post corruptionem corporum, non subintrant alia corpora, nec transfugant ex uno in aliud, sive brutale. Sextò in eodem Concilio Later. citato dicitur: quod anima rationalis non corrumpitur, corrupto corpore, sed manet in æternum duratura. In eodem Concilio definitur: quod omnes rationes, quæ contra animæ im-

immortalitatem à Philosophis factæ sunt, sunt sophistica, & vanæ, & solvi possunt ratione naturali. In Concilio Braccarensi I. cap. 5. habetur, *quod anima rationalis non est Dei substantia, vel ex Dei substantia.* Tandem in Concilio Vienenfi, & Later. citato, habetur: *quod anima rationalis informat corpus, & unum per se cum illo constituit.* Ex his ergò, aliisque propositionibus, tamquam fide certis, confutantur varij errores, & habetur sufficiens fundamentum pro resolutione quæst. propositæ.

3. Pro cujus clariori resolutione notate, quod multis modis accipi solent anima humana. Primò pro toto homine; sic Habrahan Genes. 12. v. 5. dixit: *tullit :: animas, quas fecerat in Haran*: hoc est: homines, quos ibi genuerat. Secundo pro carne, & corpore, ut Job. 6.: *animæ exurienti, etiam amara, dulcia sunt.* Tertio pro vita, ut Matth. 2.: *mortui sunt, qui quærebant animam Pueri.* Sed omnes istæ acceptiones nimis latæ sunt. Propriè enim, & prout ad præsens attinet accipitur pro forma substantiali spiritali, informante corpus humanum, quæ dicitur *anima*, in quantum animat, & vivificat corpus: & *rationalis*, in quantum est principium ratiocinandi, & discurrendi in homine. Anima sic sumpta; conformiter ad dicta Disp.

1. quæst. 1. hujus Tract., sic rectè potest definiri: *est actus corporis physici organici, potentia vitam rationalem habentis.* Vel alio modo: *est principium primum ratiocinandi in homine.* Circa intelligentiam primæ definitionis agemus quæst. sequenti.

5. Nunc autem de ipsa sic sumpta, quærimus: an sit spiritalis, simplex; & immortalis? Et certè, quod anima rationalis spiritalis sit satis expressè habetur in Sacra Script.; nam Epist. ad Galat. cap. 5. dicitur: *caro concupiscit adversus spiritum.* Et in Ecclesiastico cap. ultimo: *revertatur pulvis in terram suam, undè erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Tandem Concilium Lateran. sub Innoc. III. in cap. *summitèr de Summa Trinitate*, dicitur: *sua Omnipotentis virtute (supplè Deus) ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam; spiritualem, & corporalem, Angelicam, videlicet, & mundanam, & deinde humanam quasi communem ex spiritu, & corpore constantem.* Ubi per *ly ex spiritu*, intelligitur anima, tamquam pars hominis: ergò, quia anima spiritus est.

5. An autem sit aliqua ratio naturalis hanc veritatem Catholicam demonstrans? Dubitant Autores. Sed nifallor, laborant de nomine, & cum magna æquivocatione: quæ, ut tollatur

tur, notandum est ex N. Cabello in supplemento Disp. 1. Sect. 13. num. 4., quod demonstratio dupliciter accipi, aut sumi potest, primò *late*, hoc est, pro quovis discursu sufficienti ad persuadendam intellectui, benè disposito, rem aliquam, sine formidine de opposito; ità ut inducat certitudinem moralem, & aliquomodo physicam, non verò metaphysicam. Secundo sumitur demonstratio *strictè*, prout de ea loquitur Philosophus primo posteriorum cap. 1. scilicet, pro demonstratione causante scientiam, & evidentiam rei per causam. De qua loquitur Doct. in 3. dist. 24. Nunc ergò, dùm quærimus: an spiritualitas animæ possit aliqua ratione naturali demonstrari? Non loquimur de demonstratione, rigurose sumpta, sed de morali certitudine. Quod monitum facio pro demonstratione immortalitatis, de qua postea. Nunc.

6 Dico, quod spiritualitas animæ potest sic ratione demonstrari: de fide est, quod animæ beatæ vident Deum sicuti est visione intuitiva, & facili; sed est communissima sententia Theologorum, quod nulla potentia corporea potest elevari ad hujusmodi visionem elicendam: ergò cum anima rationalis elevetur, est quia est potentia spiritualis, & non corporea, seu materialis. Vide: quæ

diximus Disp. 1. hujus, agendo de indivisibilitate animæ, & postea dicemus, tractando de ejus immortalitate.

7 Quoad secundum, quod quæritur: an, scilicet, anima rationalis sit simplex? notandum est; quod non loquimur de simplicitate, opposita compositioni metaphysicæ; nam certum est; quod Anima rationalis est composita ex ratione generica, & differentiali, ut potè ens creatum. Neque est difficultas de simplicitate, prout opponitur compositioni, seu divisibilitati in partes integrales; nam de hac jam egimus Disp. 1. q. 4. à num. 2. Dubium ergo procedit de simplicitate, excludente compositionem physicam ex materia, & forma. Circa quam difficultatem Seraph. Doct. in 2. dist. 3. part. 1. art. 1. q. 2. cum suo Magist. Alensi, & alijs, partem affirmativam sustinet. Immò N. Subt. Doct. quæst. 15. de Anima. §. respondeo, hanc eandem partem probabilem reputat, stando principijs Philos., & Angelici Doctoris: ait enim: *probabiliter potest dici, quod in Anima sit materia, & secundum fundamenta Philosophi, & eorum, qui ponunt contrarium.* Sed hoc non obitante,

8 Dico: *Anima rationalis est physice simplex.* Est communior, & probabilior, conformiorque N. Doct., & principijs
sua

fuæ Scholæ. Prob. 1. : si anima rationalis constaret materia prima, hæc esset ejusdem rationis cum materia prima rerum corporalium ; sed hoc repugnat : ergò & quod anima rationalis, &c. Maior supponitur ab Authoribus contrarijs. Deindè hæc materia esset eadem cum materia Cælorum ; hæc autèm in nostris principijs est eadem cum materia sublunarium. Prob. nunc min. : Si materia animæ rationalis esset ejusdem rationis cum materia corporum , esset integralitèr, entitativèque divisibilis , quod est expressè contra dicta loco citato : ergò , quia nequit gaudere materia prima.

9 Prob. 2. Conclus. : materia animæ rationalis independentèr à sua forma, haberet propriam existentiam, non minus, ac materia rerum corporalium, ipsam habet ; sicut docuimus Lib. 1. Physic. : ergò independentèr à sua forma esset ens in actu, & in sua quasi determinata specie, & individuo : ergò non posset præcindere à corporeitate, & incorporeitate, quod est falsum. Prob. hæc conseq. : omne ens in determinata specie, & individuo, vel est spirituale, vel corporeum : ergò, cum talis materia esset, &c. Confirm. : anima est actus materiæ primus in lynea viventis ; sed si anima esset compo-

sita ex materia, & forma physica ; tunc iam non anima, sed illa alia forma esset primus actus materiæ ; & sic usque in infinitum, vel usque dum perveniretur ad aliquam formam, quæ non esset composita physice : ergò, ne hoc sequatur dicendum est, quod ipsa anima rationalis sit physice simplex.

10 Dices 1. contra Conclus. : materia est principium necessarium multiplicationis, ac distinctionis numeralis individuorum sub una specie ; sed omnes anime rationales sunt ejusdem speciei, solum que individualitèr distinctæ : ergò necessariò debent anime rationales constare materia tamquam principio necessariò talis individuationis. Maior probat. ex Angelico Doct. 1. part. quest. 50. art. 4., ubi expressè tenet, quod omnes Angeli sunt diversæ speciei ; ita ut repugnent plures solo numero distincti, præcisè ex eo ; quia carent materia. Hoc est potissimum fundamentum contrariorum ; sed nullius efficacitæ apud Scristas. Quare cum Doct. in 2. dist. 3. quest. 5., & 6. nego absolutè maj. cum probatione. De quo in metaph. gendo de principio individuationis.

11 Dices 2. : anime rationali competunt proprietates materiæ primæ : ergò ipsam habet. Conseq. constat ; quia proprie-

prietates identificantur cum essentia. Prob. antec. proprietates materiæ primæ sunt : *ingenerabilitas*, *incommutabilitas*, *creabilitas*, &c. ; sed hæc conveniunt animæ rationali : ergo, &c. Resp. disting. antec. : animæ rationali competunt proprietates in quarto modo materiæ primæ, nego antec. : proprietates, communes materiæ primæ, & alijs, concedo antec. Eisdem terminis distinguitur probatio. Itaque proprietates numeratæ non solum conveniunt materiæ primæ, sed etiam gratiæ habituali, & alijs Donis supernis, & per se insuffis. Quarè ex eo, quod conveniant animæ rationali, non benè sequitur, quod hæc constet materia prima.

12 Dices ultimò: Anima rationalis est subjectam substantivum suorum accidentium, & receptivum ipsorum : ergo est subjectum passivum respectu eorum ; sed ad hoc debet constare materia prima : ergo ea constat. Hoc argumentum æquè probat de intellectu, & voluntate. Sed resp., concessio primo enthymemate, negando absolute min. substantiam ; quia anima rationalis, præcisè per hoc, quod sit substantia finita, & limitata, potest esse subjectum passivum receptivum suorum accidentium ; quia prout sic est potentialis, ac perfectibilis per illam. De hoc videte, quæ do-

centur à Nostratis in Theologia Materia de Angelis ; nam si communiter docetur, quod Angeli, quamvis substantiæ completæ, non sunt physicè compositi ; à fortiori hoc dicendum est de Anima rationali, quæ est substantia incompleta, & ex sua natura ordinata ad constituendum cum corpore totum physicum, scilicet, hominem.

13 Pro resolutione ultimæ part. quæst. : an, scilicet, anima rationalis sit immortalis prænotandum est, quod immortale potest summi tripliciter : primo *simpliciter, & absolute tale*, & est, quod sua essentia est omnino indefectibile. Hoc genus immortalitatis convenit Soli Deo ; juxta illud Script. : *Regi seculorum immortalis, &c.* Secundò sumitur immortale *per accidens, & ab extrinseco*, in quantum res, quæ de sua natura est corruptibilis, potest ex speciali Dei providentia reddi extrinsecè immortalis, in æternumque duratura, sicut erunt homines post generalem resurrectionem. Tandem sumitur immortale *per se, ac natura sua*, hoc est, in quantum aliqua res petit connaturaliter servari, perpetuo existens, quamvis aliàs sit defectibilis, & annihilabilis à Deo per suam absolutam potentiam. De immortalitate in hoc ultimo sensu procegit difficultas præfens ; &

Dico:

14 Dico : anima rationalis est immortalis. Hæc Conclusio est de fide. Prob. 1. ex varijs locis Sacræ Script. : primò Ecclesiastici 24. : *ibit homo in domum æternitatis sue.* Matth. 25. : *ite maledicti in ignem æternum.* Et Sapientiæ 3. : *Iusti autem in perpetuum vivent* ; sed hæc omnia clarè demonstrant durationem animæ in æternum : ergò , &c. Confirmatur ex Concilio Lateranensi sess. 8., ubi contra Epicureos , Manichæos , aliosque Hæreticos hanc sententiam fulminat : *damnamus , & reprobamus omnes , afferentes , animam intellectivam mortalem esse ; cum illa non solum verè per se , & essentialitèr humani corporis forma sit , verum , & immortalis , quod manifestè constat ex Evangelio.* Nihil clariùs pro nostra Conclusio.

15 Prob. iam Conclusio à ratione , non quidem evidenti , & metaphysicè demonstrativa , sed morali , satisque efficaciter persuasiva , ut monuimus parte 1. hujus quæst. : corpus , in hoc distinguitur à spiritu , quod ille est prorsus indivisibilis in partes , illud verò divisibile ; sed ex hoc sequitur , quod corpus possit deficere , tum per abscissionem , seu diminutionem partium , tum per defectum formæ substantialis , manente materia prima ; secus verò spiritus : ergò quia ille est incorruptibilis , illud autem

defectibile ex sua natura. Confirm. : eo corpus est ab intrinseco corruptibile ; quia ejus forma dependet in fieri , & conservari à materia ; sed anima rationalis non sic dependet ; cum solum habeat suum esse per creationem à Deo : ergò per oppositum debet esse immortalis , & incorruptibilis.

16 Prob. 3. Conclusio ratione Theologica : homo secundum animam rationalem appetit vitam æternam , seu in æternum durare : ergò quia secundum animam petit æternam durationem. Conseq. conitatur ; quia frustra natura dedisset homini appetitum erga bonum immortalitatis , si tale bonum non esset futurum , aut impossibile. Prob. antec. experientia , qua videmus , quod cor hominis non satiatur bonis temporalibus ; sed semper aspirat pro Summo Bono , in vita æterna consequendo. Confirmatur si anima rationalis esset mortalis , Dei providentia non esset optima ; sed hoc est nefas dicere : ergò & illud. Prob. mai. : ad optimam providentiam spectat , non relinquere mala impunita , nec opera bona sine præmio ; sed si anima esset mortalis , plerumque mala impunita manerent , & bona opera sine præmio ; cum quotidie cernamus , impios prosperari in hac vita ; & per oppositum , Sanctos , & Iustos vexari , & affligi , ergò , &c.

17 Dices primò pro Hereticis: Ecclesiastici 3. dicitur: *unus est interitus hominum, & jumentorum*; sed animæ jumentorum moriuntur: ergò, & hominum. Deindè Genes. 37. v. 22. dixit Ruben fratribus suis: *non interficiatis animam ejus*, hoc est Joseph. Tandèm Sapientix 3.: *ex nihilo facti sumus, & post hoc nihil erimus, quasi non fuimus*. Confirm.; nam Regius Vates docet, quod hominum cogitationes peribunt in morte: ergò etiam peribit anima. Consequentia constat; nam ad quid erit anima, si non sit operatura? Urgetur tandèm: quod est immortale per gratiam non est immortale natura; sed juxta Concil. Nicenum aprobantem sententiam Sofronij, anima est immortalis per gratiam: ergò, &c.

18 Resp. & in primis ad duo loca alegata, quæ loquuntur de interitu, & interfectione; quoad vitam mortalem, seu quoad unionem animæ cum corpore, quæque satis frequentèr significatur in Scriptura nomine animæ, ut diximus in principio quæst. Tertius locus loquitur in persona stultorum, qui ità de se opinabantur, sed stultè, ut constat ex illis verbis: *hæc cogitaverunt impij, & erraverunt*. Undè non est ad rem. Ad confirm. dico, quod in morte peribunt cogitationes hominum, quibus in hac vita ver-

fabantur erga res temporales, erunt verò aliæ superiores operationes, & cogitationes, ut visio, & amor Dei, & sic non peribit anima. Ad urgentiam dico, quod anima est immortalis per gratiam largè sumptam, hoc est, pro donò creationis, & conservationis, in quantum Deus ipsam libere creat & conservat. Vide, quæ diximus in principio hujus 3. part.

19 Dices 2.; & militat contra primam confirmationem: anima producitur dependentèr à corpore; & propter ipsum informandum: ergò anima dependet in conservari à corpore: ergò, dùm deficit corpus, deficit anima. Resp. disting. antec.: anima producitur dependentèr à corpore, ut à subjecto, ex quo educatur, nego antec.; dependentèr à corpore, in quo recipiatur, & ad cujus informationem connaturalitèr creetur, conc. antec., & nego utramque consequ. Dependèntia ergò, quam dicit anima ad corpus, non est essentialis, qualis est, quam dicit forma materialis ad materiam; sed unicè est connaturalitatis, tum quoad statum primum creationis, tum quoad conservationem unionis cum corpore. Undè, ex defectu istius non sequitur defectus animæ rationalis. De hoc plura in Theologia Tract. de Creatione hominis.

QUÆST. II.

An anima rationalis, reduplicativè ut rationalis, informet corpus?

EX dictis, tùm Disp. I. quæst. I., definiendo animam, ut sic; tùm quæst. antec., constat, quod anima rationalis est actus corporis physici organici, potentia vitam rationalem habentis, seu quod est primum principium ratiocinandi in homine. Ex quo contra Cartesianos satis expressè habemus, animam esse formam hominis, non præcisè assistentem, & regentem operationes sui corporis, sed etiam informantem. Quod expressè definitum est, tùm in Concil. Vienenfi sub Clem. V.: tùm Lateranensi sub Leone X. Vide N. Salmant. Gonzalez hic num. 14.

Sed quia anima rationalis continet gradum vegetativum, sensitivum, & rationalem, modo iam explicato Disputat. prima citata; ideò oritur nunc difficultas: an talis anima sit forma informans secundum gradum vegetativum, & sensitivum tantum, an etiam sit talis forma secundum gradum ra-

tionalem, reduplicativè ut talem? Aliqui Antiqui docuerunt, eam esse formam informantem solum secundum dtos primos gradus, secus verò secundum rationalitatem. Sic Cajetanus, Ferrara, Vulpes, & alij. Communior verò sententia cum N. Subr. Doct. in 4. dist. 43. num. 6., & quodl. 9. num. 8. contrarium sustinet. Cùm quaque

3 Dico: *anima rationalis reduplicativè, secundum gradum rationalem, seu intellectivum est forma informans corporis.* Hæc Conclusio primo probari potest ex Concilio Viennensi sub Clem. V., ubi ait: *quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumserit, animam rationalem, seu intellectivam non esse formam corporis humani per se, & essentialitèr, tamquam Hereticus sit censendus.* Idem docetur in Lateran. sub Leone X. Prob. tamen Conclus. ratione: esse specificum cujuscumque rei habetur à forma, ipsam informantem; sed homo habet esse specificum sui, essentialitèr distinctum ab esse brutorum per animam secundum gradum rationalitatis, & intellectivi: ergò anima secundum hujusmodi gradum est forma informans corpus. Confirm.: anima hominis, ut specificè distincta ab anima bruti, informat corpus; nam prout sic constituit physicè humanitatem, specificè distinctam

Des. lall

à bruto ; sed anima hominis, prout specificè distincta ab anima bruti, est reduplicativè rationalis : ergò, ut reduplicativè rationalis, informat corpus.

4. Dices primò contra Conclus. : forma informans materiam, communicat ipsi suum effectum formalem ; cum effectus formalis formæ sit ipsamet forma, communicata subjecto ; sed anima rationalis, reduplicativè ut talis, non communicat suum effectum formalem corpori : ergò, quia ut talis ipsum non informat. Minor constat ; nam effectus formalis animæ ut rationalis est reddere rationale, & intellectivum ; sed corpus non constituitur per animam rationalem ; quia repugnat, quod corpus sit principium intellectio- nis : ergò &c. Confirm. : si anima non constitueret corpus vegetativum, & sensitivum, anima, ut vegetativa, & sensitiva reduplicativè, non esset forma illius : ergò cum non constituat corpus ut rationale, ut talis non est forma corporis.

5. Resp. distinguendo mai. : forma communicat materiam, vèl composito ex ipsa essentialitèr suum effectum formalem, conc. mai. : communicat præcisè materiam, subdisting. : si est capax talis effectus, conc. mai. : si est incapax, nego mai., min., & conseq. Itaque, ut anima, reduplicativè ut, ratio-

nalis, informet corpus, non est necesse immò, nec possibile, quod ipsi communicet effectum formalem intellectivi ; communicat enim effectum suum, causando, & constituendo intrinsecè : & prout sic solum constituit, & causat compositum, non verò subjectum. Undè hæc est differentia formæ substantialis ab accidentali, quod cum accidentalis non faciat unum per se cum subjecto, huic communicat suum effectum formalem : è contra verò substantialis ; suum effectum communicat composito resultanti. Ad confirm. nego antec. ; quia defacto anima non constituit corpus vegetativum, & sensitivum ; quia hoc est proprium totius compositi : & tamen, adhuc juxta contrarios, informat corpus, ut vegetativa, & sensitiva : ergò quamvis communicet gradum ratiocinandi corpori, adhuc poterit ipsum informare ut talis.

6. Dices 2. & potest esse replica contra solutionem : ideò anima reduplicativè ut rationalis, informaret corpus, quia licet non corpori, seu materiam, tamen composito resultanti tribuit denominationem, aut prædicatum rationalis ; sed hoc est falsum ; ergò & quod anima, ut rationalis informet corpus. Prob. min. : ex dictis Lib. I. Physicorum, agendo de distinctione totius à partibus : rationalitas ani-

mæ rationalis, quæ talis, est rationalitas sumpta pro vi intelligendi, quæ solum convenit spiritibus; sed hujusmodi rationalitas non convenit homini, seu composito; quia huius rationalitas, est gradus, seu differentia, contenta sub corpore: ergò anima rationalis, quæ talis, non communicat toti suam rationalitatem. Fateor, quod hæc replica aliquam præfert difficultatem; pro cuiusque solutione recolenda sunt, quæ diximus loco citato.

7 Resp. tamen, concessa mai., negando min. Ad prob., concessis præmissis, nego conseq.. Certum ergo est, quod rationalitas animæ est alterius rationis à rationalitate totius; cum hæc sit materialis, & illa spiritualis. Sed ex hoc non sequitur, quod anima, ut rationalis non informet corpus, aut non tribuat composito rationalitatem; quia non est necesse, ut prædicatum, quod resultat in toto, sit ejusdem omninò rationis cum prædicato partis; nam gradus sensitivi completi sunt materiales: & tamen, prout in anima rationali, sunt spirituales. Unde anima, ut rationalis informans corpus, causat rationalitatem, quæ est differentia hominis à bruto: & cum hæc continetur sub corpore completo, hinc evadit materialis, aut saltem non est incompatibilis cum

materialitate. Vide dicta loco citato.

DISP. IX.

DE POTENTIA INTELLECTIVA, ejusque actibus.

PRÆHABITA notitia, nedum animæ ut sic, ejusque potentijs, sed etiam de animabus in particulari, earumque sensibus; post Tract. de anima rationali secundum se, ordo doctrinæ postulat, ut de ejus potentijs in particulari, intellectu scilicet, & voluntate, peragamus; sed quia intellectus ordine essendi, & operandi præcedit voluntatem, ideo prius in hac Disput. de ipso egendum est per varias quæst. Sit ergo

QUÆST. I.

In qua difficultates intellectus agentis, & patientis proponuntur, & resolvuntur.

SUPPONO I., quod per intellectum ut sic, & prout præscindentem ab agente, &

passibili, nihil aliud intelligimus, quam potentiam cognoscitivam cujuscunque cognoscibilis. Undè sic potest definiri: *est potentia spiritualis, & inorganica, potens elicere intellectiõnem.* Dicitur *spiritualis*; quia nullo modo est corporea. Dicitur *inorganica*; quia non exercet suas operationes per organa, seu per determinatam partem corporis, sicut sensus. Tandem ponitur, *potens elicere intellectiõnem*, per quod distinguitur à voluntate, quæ non intellectiõnem, sed volitionem producit. Intellectus ergò ut sic, primò dividitur in *agentem, & passibilem.* Intellectus agens est facultas intellectiva, qua producuntur species intelligibiles, depurantur à materialitate, & tandem spiritualizantur, ac intellectus, his mediantibus, cognoscit objecta materialia. Intellectus patiens, qui & dicitur *passibilis, & possibilis* est facultas receptiva istarum specierum intelligibilium.

2 Sed quia non omnes conveniunt in ista divisione, supponit enim, dari intellectum agentem, quod suppositum, ab omnibus non admittitur, ideo opere præteritum erit inquirere; an detur intellectus agens: quomodoque à passibili distinguatur? Sed antequam hæc difficultas resolvatur, necesse est præsupponere aliam; quia omnes, qui negant intellectum agentem, fun-

dantur in eo, quod non admittunt species intelligibiles, ut necessarias ad hoc, ut intellectus intelligat objecta materialia: & sic ex consequenti negant intellectum agentem productivum ipsarum. Quarè, ut res melius explicetur, & percipiatur,

3 Dubitabis 1. : an sint necessariæ species intelligibiles ad habendam cognitionem abstractivam de rebus sensibilibus, & materialibus? Notate 1. quod notantèr ponitur in difficultate, *ad habendam cognitionem abstractivam*; quia species intelligibiles, si sunt necessariæ ad intelligendum; solum requiruntur ad habendam cognitionem abstractivam de objecto cognito, quidquid dicant in contra aliqui Thomistæ. Ratio pro nunc est; quia, si objectum sit in se præsens, iam per se ipsum poterit producere notitiam intellectivam sui modo, quo infra explicabitur, agendo de cognitione intuitiva, & abstractiva.

4 Notate 2. ex Nost. Mast. hic Disp. 6. quæst. 4. artic. 1. num. 82. ex & S. Doct. in 4. dist. 12. quæst. 3. in solutione ad quintum, quod necessitas istarum specierum intelligibilium ex triplici capite potest oriri. Primò quando objecta non sunt actu intelligibilia, sed potentia tantum; sic se habent omnia objecta materialia, & sensibilia in ordine ad cognitionem
ab-

abstractivam, quæ nequit haberi, nisi objecta sint præsentia in specie; quia, ut diximus, si sunt præsentia in se ipsis, tunc eliciunt cognitionem intuitivam. Secundo oritur necessitas talium specierum, quando objectum est actu intelligibile, non tamen est præsens potentiæ intellectivæ, sed potius absens: undè ejus absentia debet suppleri per speciem representativam ipsius. Sic unus Angelus indiget specie ad cognoscendum abstractivè alterum Angelum à se præsentialitèr absentem. Tertio tandè oritur necessitas harum specierum, quando objectum est actu intelligibile, & etiam est præsens præsentia entitativa; quia non absens localitèr: non tamen est præsens præsentia objectiva, propter nimium excessum, quo objectum in ratione objecti excedit potentiam. Quare, ut habeatur præsentia objectiva, & ut intellectio objecti sit in potestate intelligentis, requirit iste speciem intelligibilem, qua objectum proportionetur, fiatque ipsis præsens in ratione objecti. Ex hoc capite. Nostr. Subt. Doct. in 2. dist. 3. quæst. 9. docet, Deum concessisse Angelis viatoribus speciem abstractivè representantem essentiam divinam. Et quamvis ex hoc triplici capite oriri valeat necessitas specierum intelligibilium, pro nunc solum loquimur de necessitate proveniente ex pri-

mo capite. His suppositis, Dico: *necessarie sunt species intelligibiles ad habendam cognitionem abstractivam de rebus sensibilibus, & materialibus.* Est contra plures Antiquos, quibus subscribere videtur Nostr. Pont. Prob. 1. Conclus. ratione: aliquando recordamur de rebus præteritis, & prius cognitis; sed hæc recordatio non potest fieri sine speciebus intelligibilibus, quæ remanent post cognitionem prius habitam; ergò tales species sunt necessariæ. Prob. min.: talis recordatio nequit fieri beneficio memoriæ sensitivæ; sed non datur aliud, vi cuius sit, si excludantur species intelligibiles: ergò &c. Prob. mai.: anima separata recordatur præteritorum, quæ prius cognovit in vita; sed anima separata non habet memoriæ sensitivam; etenim ut separata, est spiritualis, & carens sensibus: ergò recordatio ipsius non habetur beneficio memoriæ sensitivæ. Maior constat de illo Divite, sepulto, in Inferno; recordanteque fratrum suorum.

7. Prob. 2. conclusio à paritate: potentia intellectiva nequit esse peioris conditionis, quam potentia sensitiva; sed dum potentia sensitiva producit suum actum, habet objectum sibi præsens in specie ipsum representante: ergò etiam intellectus debet habere objectum, sibi præsens in specie. Maior constat. Minor

quã spiritualia sunt actu intelligibilia. Vide dicta num. 3. hujus

10 Dices 2. : in Angelis non datur intellectus agens; alioquin possent acquirere cognitionem à rebus materialibus: ergò nec in homine debet admitti talis intellectus. Resp. negando antec. , & conc. cum probatione imbibita; nam vel Deus non creavit cum Angelo species omnium rerum materialium, ut falso asserunt Thomistę : vel si concreavit species illarum rerum materialium, quę defacto sunt non autem omnium possibilium. Undè, si Deus pro suo licito nunc produceret de novo aliquam creaturam materialem, omninò distinctam ab omnibus hucusque productis, non dubium, quod Angelus possit cognoscere talem creaturam; sed non per speciem aliquam creatam, cù Angelo; quia talis creatura de novo produci- tur: ergò Angelus ipsam cognosceret, mediante intellectu agente, depurante speciem talis creaturę ab omni materialitate, & ipsam recipienti in intellectu possibilis. De hoc plura in Theologia Tract. de Angelis.

11 Dubit. 3. : quomodo intellectus agens, & patientis inter se distinguantur? Communis Scotistarum opinio tenet, intellectum agentem, & patientem non distingui realitèr. Ratio pro nunc contra Thomistas

est; quia ex dictis Disp. 2. huius, nulla est necessitas ponendi potentias animę ab ipsa anima: & inter se realitèr distinctas, sed solum formalitèr ex natura rei: ergo nec potentia intellectiva distinguenda est realitèr in activam, & passivam. Difficultas ergò præsens solum procedit de distinctione formali ex natura rei. Et certum est, quod non procedit de distinctione formali in rigore, seu in eo gradu, in quo à nobis distinguuntur intellectus, & voluntas, ita ut constituant duas potentias intellectivas, ex natura rei distinctas, sicut constituunt intellectus, & voluntas. Quare solum est de distinctione formali, late sumpta.

12 Dico: *intellectus agens, & possibilis non distinguuntur formalitèr ex natura rei, sed solum penes diversa numerata, & connotata.* Hęc conclusio est N. Doct. quęst. 13. de Anima in fine: & quodl. 15. Prob. 1. conclus. ab inconvenienti: si intellectusa gens, secundum quod dicit de absoluto, distingueretur formalitèr ab absoluto importato per passibilem, sequeretur, quod in anima essent quatuor potentię, scilicet, *intellectus agens; possibilis, memoria, & voluntas;* sed hoc est contra communem Theologorum, agnoscendum in Anima tres dumtaxat potentias; propterea que dicendum dari in ani-

ma imaginem Trinitatis : ergò ne hoc sequatur dicendum est, quod intellectus agens, & patiens non distinguantur formalitèr ex natura rei.

13 Prob. 2. Conclus. ratione : ideò intellectus agens, & patiens formalitèr distinguerentur ; quia intellectus agens est, producere speciem, & passibilis, eam recipere ; sed hoc non probat distinctionem formalem inter utrumque : ergo &c. Maior est fundamentum contrariorum. Prob. min. : idem indivisibilis sufficit ad producendam speciem expressam, seu intellectionem, & ad ipsam in se recipiendam : g. &c. Conf. : idem intellectus formalitèr indivisibilis sufficit ad producendam intellectionem naturalem, & supernaturalem : ergo &c. Similitèr : idem formalitèr intellectus est speculativus, & practicus ; scientificus ; & opinativus, apprehensivus, judicativus, discursivus, solumque distinguitur penès connotata : ergò à pari intellectus agens, vel passibilis.

14 Dices 1. : intellectus agens, & passibilis distinguuntur formalitèr : ergò non solum penès diversa munia. Prob. antec. ex Doct. in 2. dist. 3. q. 11. §. Contra, num. 5. ubi ait : cum dicitur, intellectus agens, & passibilis non distinguuntur nisi per comparisonem ad phantasmata falsum est immò distinguuntur inter se formalitèr : ergo juxta Doct.

&c. Pro resolutione notate, quod Subt. Doct. ibi nihil resolvit de distinctione utriusque intellectus sed solum loquitur disputativè. Undè ibi expresse impugnat D. Thomam, negantem intellectum agentem in Angelo ; cuius ratio erat hæc : intellectus agens, & passibilis solum distinguuntur per ordinem ad phantasmata ; sed in Angelo nulla sunt phantasmata : ergò nec intellectus agens.

15 Huic ergo argumento Angelici Doct. responderi N. Subt. Doct., mai. esse falsam absolutè ; & prosequitur : immò distinguuntur inter se formalitèr vel etiam extrinsecè per comparisonem ad objecta, vel ad illi, in quibus objecta relucent. Ubi ut vides nihil positivè resolvit de specie distinctionis, quæ versatur inter intellectum agentem, & possibilem ; sed ait : vel quod est formalis, vel quod est extrinsecè. Immo ex hac Doctoris permissione sic nobis licet arguere non minus, ac Contrarijs : distingui extrinsecè per comparisonem ad objecta, vel ad species objectorum est solum distingui penès diversa connotata ; sed sic juxta Doct. permissivè distinguuntur intellectus agens, & patiens : g. &c.

16 Dices 2. : nulla potentia potest esse præparativa sui objecti, quæ vis valeat circa ipsum elicere operationem ; sed intellectus agens attrahit species à phantasmatis, objectumque

preparat. Confirm. : unius potentie unicus est actus adæquatus; sed actus intellectus agentis est adæquatus, adæquarèque distinctus ab actu possibilis; nam actus istius est elicere operationem, illius verò producere species intelligibiles: ergò &c. Resp.: negando mai. ; quia intellectus possibilis apprehendendo terminos, præparat sibi objectum ad iudicium eformandum, quin sequatur, quod detur duplex intellectus possibilis. Ad confirm. nego min.; quia ex duplici illo munere exurgit unicus adæquatus. Immò, si replica quid probat, probat distinctionem realem strictam,

17 Dubit. 4.: quænam sint munera intellectus agentis, & possibilis? Tria presertim assignari solent munera intellectus agentis. Primum est illuminare, seu illustrare phantasmata: secundum est producere simul cum phantasmate speciem intelligibilem, modo quo postea videbimus. Tertium tandem est facere actu intelligibile illud, quod antea tantum erat intelligibile in potentia. Objectum intelligibile in potentia est illud, quod residet in phantasia.

18 Ut hæc munera intellectus agentis melius percipiantur, advertite, & præ oculis habete modum, quo intellectio producitur pro statu isto. Primò enim potentia externa debetè aproximata, & applicata ob-

jecto, recipit in se speciem impressam objecti; & postea cum ita specie producit speciem expressam, ut quando oculus producit visionem, manus tactum, &c. Post productionem hujus speciei, seu sensationis, producitur alia species expressa interna, quæ simul cum potentia sensitiva interna producit speciem expressam, seu sensationem internam. Producta ista specie interna, & recepta in potentia sensitiva interna, hoc est, in phantasia v.g., talis species simul cum ipsa phantasia producit alium actum, qui dicitur *phantasma*: & ab alijs vocatur *species impressa sensibilis interna*; quia autem ista species est materialis, non potest recipi in intellectu, qui est potentia spiritualis. Undè, ut intellectus recipiat istam speciem necessarium est, quod se convertat ad phantasma, ipsumque dedepuret à sua materialitate.

19 Quare intellectus, & phantasma producant speciem intelligibilem spiritualem, representativam objecti: & tunc objectum, quòd antea erat intelligibile in potentia tantum, jam redditur actu intelligibile. Et tandem ista specie intelligibili recepta in intellectu ab intellectu, & ab ipsa producitur intellectio. Ex his ergo iam apparet clara explicatio munerum intellectus agentis. primum enim manaus, scilicet, illuminare,

seu illustrare phantasmata, nihil aliud est, quam elevare phantasma ad productionem speciei intelligibilis in intellectu possibili, cui, medijs speciebus intelligibilibus, incipiunt apparere illa objecta, quæ antea non apparebant, quamvis relucere in phantasmate. Undè hæc actio intellectus agentis dicitur illuminatio metaphoricè sumpta metaphota à Sole, illuminante colores; nam sicut, dum colores sunt in tenebris non apparent visui, benè verò adveniente lumine, ità paritèr, dum species intelligibiles sunt in phantasia, non apparent intellectui; benè verò dum phantasma illuminatum ab intellectu agente, transit ad possibile.

20 Secundum munus, scilicèt, producere simul cum phantasmate speciem intelligibilem, aliquam præfert difficultatem, de quaque citò agemus. Tertium, hoc est, facere actum intelligibilem, nihil aliud est, quem per actionem suam depurare objectum relucens in phantasmate à materialitate representativa; ipsumque objectum ponere in statu proportionato, ut possit proximè, & immediatè immurare intellectum ad sui cognitionem. Hoc autem fit producendo speciem intelligibilem, representantem objectum materiale, sed immateriali modo. Hoc

munus hoc modo explicatur à N. Doct., scilicèt, per transferre phantasmata à linea materialitatis ad lineam spiritualitatis; aut de linea sensibilibum ad lineam intelligibilium: sed hoc non est ità intelligendum, quod intellectus nequeat cognoscere objecta materialia; aliàs res materialis non intelligeretur; sed ità, ut intellectus producat speciem intelligibilem spiritualem, denudatam à materialitate. Vide dicta in Logica, agendo de universali Logico.

21 Munera intellectus passibilis facili negotio cognoscuntur; dum enim recipit aliquid, tunc dicitur *passibilis*: undè, sive recipiat speciem impressam intelligibilem, sive intellectionem, tunc in ipsa receptione dicitur passibilis. Sed nunc dubitatur inter Authores: an respectu intellectionis, intellectus agens habeat, ipsam producere in possibili; ità ut hic purè passivè, & operativè se habeat, non verò activè? Apud non admittentes ullam distinctionem à parte rei inter hos intellectus agentem, & possibilem, parva, aut nulla est difficultas. Tamen universalitèr loquendo proprium intellectus agentis, ut agentis, est, omne, quod est, producere, sive speciem intelligibilem, sive ipsam intellectionem: & proprium intellectus passibilis est

recipere sive speciem intelligibilem, sive intellectionem; quamvis verum sit, quod postea sit potentia, operativa; vitaliter tendendo in objectum media tali intellectione. De hoc postea, dum de ipsa intellectione formali agamus.

22 Dubitab. tandem: quomodo phantasma concurrat cum intellectu ad producendas species intelligibiles? Difficultas supponit, phantasma concurrere cum intellectu ad tales species, & queritur de modo. Pro cuius resolutione nota, quod species sensuum externorum producuntur totaliter ab objectis, ipsis potentijs externis mere passivè se habentibus: species verò sensus interni producuntur totaliter ab specie impressa, & ab actu sensationis externæ, ipso sensu interno mere passivè se habente. Ità videbatur pariformiter dicendum de specie intelligibili; sed cum hæc sit spiritualis, & in subjecto spirituali recepta, hinc est, quod non potest totaliter produci ab aliqua potentia materiali. Unde requiritur concursus intellectus, ut diximus in dubio antecedenti. Queritur verò modò: an etiam requiratur concursus phantasmatis, & hoc in genere causæ efficientis?

23 Dico: *phantasma concurrat cum intellectu, ut causa efficiens partialis, ad producen-*

dam speciem intelligibilem. Hæc est N. Subtr. Doct. in 1. dist. 3. q. 8. §. *ad primum* num. 3. Prob. 1. Conclus. : in primis intellectus agens non se habet mere passivè respectu speciei intelligibilis; sed aliundè intellectus non est causa totalis productiva talis speciei: ergò ultra intellectum concurrat aliud principium parziale, productivum speciei intelligibilis; sed hoc nequit esse aliud, quam phantasma, ex suppositione, quod intellectus non sit talis causa totalis: ergò, &c. Maior primi discursus est certa. Prob. min.: in specie intelligibili reperitur aliqua formalitas, quæ non potest provenire ab intellectu agente: ergò non est causa totalis illius. Consequentia est bona.

24 Prob. anteced. in specie intelligibili reperitur, nedum esse spirituale, sed etiam esse repræsentativum objecti; sed esse repræsentativum objecti, non potest provenire ab intellectu: ergò, &c. Prob. min.: intellectus ex Arist. est tamquam tabula rasa, in qua nihil est depictum: ergò formalitas repræsentativa objecti, non provenit ab intellectu, sed à phantasmate, simul concurrente cum intellectu, ut causa efficiens partialis, licet minus principalis, ut postea dicemus. Confirm.: intellectus ex se est causa indeterminata ad hanc, vel illam spe-

speciem producendum, sed determinatur à phantasmate ad hanc, præ illa, producendam; sed hujusmodi determinatio nequit benè explicari, nisi dicendo, quod concurrat effectivé cum intellectu ad talem speciem producendum: ergò ità concurrir.

25. Argues 1. contra hoc: agens, qua tale, debet esse nobilior suo passio; sed phantasia non est nobilior intellectu perfectibili, immò est ignobilior ipso: ergò phantasma non agit in intellectum possibilem, imprimendo ipsi speciem intelligibilem: ergò non concurrir activè cum intellectu. Confirm.: corporale, ut corporale, non agit in spirituale; sed phantasma est corporeum, & intellectus spiritualis: ergò, &c. Resp. distinguendo mai.: agens totale, aut etiam partiale, magis principale, est nobilius passio, conc. mai.: agens partiale, minus principale, est nobilius passio, subdistinguo mai.: quando producit in passio effectum materiale, & corporeum, conc. mai.: quando producit effectum spirituale, nego mai., & concessa min., nego utramque consequ. Ad confirm. distinguo mai.: corporale, qua corporale, non agit in spirituale, conc. mai.: corporale, non, ut corporale, sed prout depuratum à materialitate, non agit in spirituale, nego mai.: & con-

cessa min., distinguo eisdem terminis consequens,

26. Itaque verum est, quod agens totale, aut partiale, magis principale, debet esse, vel æquè perfectum, vel perfectius suo passio; falsum tamen est, quod agens partiale minus principale, sit vel æquè perfectum, vel perfectius suo passio. Patet hoc varijs exemplis: species enim non vitalis concurrir partialitèr ad actum vitalem, qui est longè perfectior tali specie. Deindè: materia prima partialitèr concurrir ad causandum compositum, quod est perfectius ipsa materia. Sic igitur phantasma, ut potè imperfectius specie intelligibili, non concurrir ad ipsam, nec ut causa totalis, nec ut partialis magis principalis, sed ut minus principalis concurrir ad talem speciem: & sic non obest, quod sit imperfectius. Per quod patet ad confirm.

26. Replicab. tamen factis urgentèr, & procedit contra confirmationem principalitèr: eo ipso, quod phantasma concurrir cum intellectu efficientèr ad producendam speciem intelligibilem quamvis ut causa minus principalis, talis species producta, erit materialis, & corporea, sed hoc est contra nos, & solutionem datam: ergò dicendum, quod phantasma non concurrir activè. Prob. mai.: quando duæ

causæ secundæ partiales concurrunt ad aliquem effectum producendum, effectus sequitur naturam deterioris causæ; sed phantasma est deterius intellectu, & aliundè materiale, corporeum: ergò species ab ipso producta, erit materialis, & corporea Maior prob. paritate] tertiæ entitatis hominis, quæ quamvis causetur ab anima rationali, ut à forma, & hæc sit spiritualis; quia tamèn alia concausa minus principalis est materialis, ipsa materialis, & corporea evadit.

28 Variè respondent huic replicæ Scotistæ; tum, ipsam instando in specie impressa non vitali concurrente ad intellectiõnem, quæ exit vitalis. Tum, in potentia naturali intellectiva, quæ quamvis naturalis, concurrat ad productionem visionis beatificæ, quæ non exit naturalis sed supernaturalis. Sed, quia instare non est solvere, ut fert commune proloquim; idèò omisissis varijs responsionibus directis Nostratum, quas videndas relinquo in N. Villac. hic à numer. 23.; resp. directè negandò major. Ad prob. dist. mai.: quandò duæ causæ secundæ partiales concurrunt, &c. effectus sequitur naturam deterioris causæ sub illa ratione, sub qua causa deterior influit in effectum, conc. mai.: sub ratione, sub qua non influit, nego mai.: & disting. min.: sed phantasma, quod est

deterius intellectu, secundum esse materiale, & corporeum, est materiale, & corporeum, conc. min.: in ratione similitudinis objecti repræsenti, est deterius, &c., nego min., & conseq.

29 Itaque, dùm volumus investigare prædicata, quæ sunt in aliquo effectu, ex aliqua causa, non debemus attendere ad entitatem ipsiusmet causæ secundum ea omnia, quæ includit, sed secundum illam rationem formalem, & virtutem proximam, secundum quam influit. Patet hoc in ipsismet instantijs adductis de specie impressa non vitali respectu intellectiõnis, & de intellectu potentia naturali, comparativè ad visionem beatam: & etiam in anima rationali, quæ licet sit spiritualis, & ut talis informet corpus, non tamèn reduplicativè ut talis; quia constitutum, utporè ex materia, & forma, est in capax spiritualitatis. Sic ergò in præsentij; quamvis phantasma sit corporeum, & materiale, non sequitur, quod ejus effectus sit corporeus, quia non semper concurrat ut tale, sed ad speciem intelligibilem concurrat sub ratione similitudinis objecti; & secundum hanc rationem causat, & effectus assimilatur ipsi.

30 Replicab. adhuc: phantasma, si agit, agit ut corporeum, & materiale: ergò nulla est solutio. Prob. antec.: omnis

nis actio phantasmatis, reduplicative ut talis est corporea, & materialis: ergo, si agit, agit ut corporea reduplicative. Resp. negand. ant. Ad prob. dist. antec.: omnis actio phantasmatis, reduplicative ut talis est corporea entitative, & subjective, conc. antec.: terminative, & influixive, nego antec.. Itaque ex entitate actionis subjective sumptæ, non bene probatur entitas effectus. Patet hoc in actione, qua Angelus movet corpus cœlecte: hæc enim subjective sumpta, est spiritualis; si vero terminative, aut effective accipitur, est materialis. Sic vice versa dicitur in præfenti. De necessitate concursus phantasmatis cum intellectu, ad producendam speciem intelligibilem, agemus postea. Nunc sit.

QUÆST. II.

Quodnam sit objectum intellectus?

I PLURA, quæ hic desiderari possent habentur jam explicata in Præfentialibus Logicæ, Disp. 1. agendo de objecto scientiæ, ut sic; scilicet: quod sit objectum materiale: quid formale: quid motivum: quid terminativum: quid adæquatum; & quid inadæquatum? Quæ omnia

ibi relinquo videnda. Nunc attem pro solutione hujus difficultatis, aliqua prælibanda sunt. Noto 1. ex Nost. Sub. Doct. quæst. 1. Prologi, num. 33. quod objectum intellectus est duplex: unum vocatur *objectum naturalis inclinationis*, & est, ad quod intellectus ex natura sua fertur, cognoscendum; estque capax ipsum attingendi; quamvis non proprijs sui viribus. Aliud est objectum adæquatum *naturalis attingentiæ*, & est illud, quod intellectus ex natura potentiæ potest cognoscere suis proprijs viribus, præsupposito concusu generali Dei. De utroque objecto procedit difficultas.

2. Notate 2.: ex dictis loco citato Logicæ, quod objectum, aliud est *motivum*, & aliud *terminativum*. Primum est, quod movet potentiam, & simul cum ipsa concurret ad producendum actum cognoscitivum sui: sic ens reale positivum movet intellectum. Secundum est, quod terminat actum cognoscendi; nullatenus tamen movet potentiam ad actum: sic sunt entia rationis, privationes, & negationes, quæ non movent intellectum, ab ipso tamen cognoscuntur. Notate 3., quod potentiæ, aliæ sunt *disparatæ*, & inter se nullo modo subordinatæ; & consequenter objecta istarum sunt inter se disparata. Hoc modo potentia visiva, & auditiva ha-

bent

bent objecta omninò disparata; quia neutra potest attingere objectum alterius. Aliæ sunt inter se *subordinata*, & consequenter earum objecta: hoc modo subordinatur potentia cognoscitivæ externæ, internæ, & intellectus; ita ut quidquid cognoscitur à sensibus cognoscitivis, sive externis, sive internis, possit etiam cognosci ab intellectu.

3 Notate 4., quod nos-
ter intellectus potest considera-
ri in duplici statu: primò pro
statu isto, hoc est, pro statu
conjunctionis animæ cum cor-
pore: in quo statu intellectus
est ligatus sensibus, de quoque
dicitur: *nihil est in intellectu, qui
prius fuerit in sensu*. An in hoc
statu, & quomodò, seu qua ne-
cessitate intellectus dependeat à
phantasmatis? Dicitur postea.
Secundò potest considerari intel-
lectus pro statu separationis: in
quo statu intellectus, ut pote
solutus à sensibus, non depen-
det ab ipsis pro sua intellectuione
elicienda: Imò post resurrec-
tionem generalem hominum, li-
cèt anima iterum conjungatur
cum corpore, non dependebit
à sensibus.

4 Notate deniquè ex
Doct. in 1. dist. 3. quæst. 3.
quod in objecto cujuscumque po-
tentia, duplex est primitas res-
pectu inferiorum: una dicitur
communitatis, seu prædicationis,
& altera vocatur primitas vir-

tualitatis. Primitas prædicationis
est illa, secundum quam obje-
ctum continet sub se omnia illa
de quibus essentialitè, & quid-
ditativè prædicatur: sic ens rea-
le in communi habet primita-
tem prædicationis, quia prædi-
catur de omni eo, quod est
quidditativè ens. Primitas vir-
tualitatis est illa, qua objectum
continet in se omnia, quæ in
ipso aliquomodò continentur: sic
essentia divina est objectum adæ-
quatum intellectus divini, qui
nihil cognoscit, nisi id, quod
continetur in sua essentia, vel
formaliter, vel eminentè, vel
virtualitè. Undè, quandò in pri-
ma conclusione statuumus ens
reale in tota sua latitudine sump-
tum, pro objecto adæquato nos-
tri intellectus secundum suam
naturalem inclinationem, tunc
sumitur ens quoad utramque pri-
mitatem.

5 Est dicere: ens, ut
est objectum intellectus, supponit
pro se, & pro omnibus sub
ipso contentis, sive sint forma-
litè entia, ut Deus, & decem
prædicamenta, sive sint entia
tantùm identicè, & realitè, ut
sunt modi intrinseci, pñsiones
& ultimæ differentia, de quibus
in Metaphysica. Ratio totius est,
quia si ens sumeretur solum se-
cundum primitatem prædicationis,
tunc solus Deus, & decem
prædicamenta intelligerentur ab
intellectu creato, quod est fal-

sum; quia intellectus etiam intelligit modos intrinsecos, & ultimas differentias. Si autem sumeretur ens secundum primitatem virtualitatis tantum, sequeretur, quod sola essentia divina esset Objectum intellectus creati; nam solum ista continet formaliter, eminenter, & virtualiter reliqua omnia. Quare ens ut est objectum intellectus sumitur quoad utramque primitatem.

6. Sed hic advertendum est, quod licet ens reale secundum utramque primitatem sit objectum adaequatum nostri intellectus, tam motivum, quam terminativum, est tamen discrimen inter rationem motivi, & rationem terminativi; nam omnia inferiora entis realis sunt objecta terminativa nostri intellectus; non tamen omnia sunt motiva: siquidem modi intrinseci, passionis, & ultimae differentiae terminant actum intellectus, nequeunt tamen intellectum movere. Ratio est; quia nihil movet intellectum ad cognitionem sui, nisi id, quod est formaliter, & quidammodo ens; sed modi intrinseci, passionis, & ultimae differentiae non sunt formaliter entia ex dicendis in Metaphys.: ergo &c. Unde valet: *est objectum motivum: ergo est terminativum.* Non tamen est contra propter rationem assignatam. Unde solum Deus, & quae continen-

tur sub decem praedicamentis possunt esse objectum motivum, & terminativum simul; reliqua vero solum terminativum.

7. His ergo suppositis plurimae difficultates sub hac quaest. sunt breviter resolvenda per varias conclusiones. Prima: quodnam sit objectum adaequatum nostri intellectus secundum ejus naturalem inclinationem? Secunda: sub qua ratione formalis: an, scilicet, sit ens sub ratione veri: an vero sub ratione entis? Tertia: quodnam sit objectum adaequatum naturalis attingentiae nostri intellectus, prout iste praescindit ab statu; tam separationis, quam conjunctionis cum corpore? Quarta tandem: quodnam sit objectum adaequatum nostri intellectus, praesens pro isto statu conjunctionis animae cum corpore? Authores sententiarum in ipsismet conclusionibus referentur. Sit ergo

PRIMA CONCLUSIO:

8. **O**BJECTUM adaequatum naturalis inclinationis nostri intellectus, est ens reale, transcendentaliter sumptum in tota sua latitudine, & ut comprehendit sub se ens finitum, & infinitum. Est N. Subt. Doct. proxi-

ximè cit. in 1. & 4. dist. 49. quæst. 8. , & etiam quodlib. 18. Est communis inter Scotistas, & Extraneos. Prob. ratione : obiectum adæquatum naturalis inclinationis alicujus potentie est illud, quod habet sub se omnia illa, ad quæ talis potentia inclinationem naturalem habet, ut ipsa connoſcat ; sed ens in tota ſua latitudine ſumptum comprehendit ſub ſe omnia illa, ad quæ cognoscenda naturaliter inclinatur noſter intellectus : ergo ens tranſcendentaliter ſumptum &c. Prob. min. : nullum est ens, quod intellectus non poſſit cognoscere, vel proprijs viribus, vel viribus alienis : ergo ens in tota latitudine &c. Prob. antec. : ſi daretur aliquod ens, quod intellectus non poſſet cognoscere, maximè Deus, qui est ens infinitum ; ſed intellectus creatus, licet non viribus proprijs, alienis tamen poteſt Deum cognoscere : ergo nullum est ens &c.

9 Prob. min. : intellectus elevatus lumine gloriæ, poteſt videre Deum, ut est de Fide : ergo intellectus poteſt elevari ad cognoscendum Deum. Confirm. Concluſio, & ſimul prob. conſeq. : ſi Deus non contineretur ſub obiecto adæquato intellectus creati, ſaltem ſecundum ejus naturalem inclinationem, repugnaret adhuc divinitus, quod poſſet elevari intellectus ad ipſum videndum ; ſed hoc eſt con-

tra communem Theolorum : immò & contra Fidem : ergo Deus continetur ſub obiecto adæquato intellectus. Prob. maior : implicat, adhuc divinitus, quod aliqua potentia attingat aliquid quod ſit extra latitudinem, & ſphæram ſui obiecti : ergo, ſi Deus non contineretur, &c. Antec. conſtat ; quia implicat, oculum audire, aut aurem videre ; ſed non alia ratione, niſi quia viſus eſt extra ſphæram auris, & auditus extra latitudinem oculi : ergo &c. De hoc latius in Theologia Materia de viſione Dei.

Solvuntur Argumenta.

10 ARG. II. : ſi ens reale, ut commune finito, & infinito eſſet obiectum adæquatum noſtri intellectus, poſſet intellectus naturaliter cognoscere Deum ; ſed hoc eſt falſum : ergo &c. Prob. maior : intellectus poteſt naturaliter cognoscere, quidquid continetur ſub ſuo obiecto adæquato : ergo ſi ens reale, ut commune finito, & infinito &c. Conſeq. conſtat ; quia tunc Deus contineretur ſub obiecto adæquato intellectus. Reſp. diſtinguendo mai. : ſi ens reale,

ut commune finito, & infinito esset objectum adæquatum naturalis attingentiæ nostri intellectus, posset intellectus, &c., conc. mai., si esset objectum adæquatum naturalis inclinationis tantum, nego mai. Ad prob. dist. antec. eisdem terminis, sicut & probationem imbitam. Intellectus itaque creatus solum potest naturaliter cognoscere id, quod continetur sub objecto naturalis attingentiæ: secus verò, quod continetur sub objecto naturalis inclinationis; quin adjuvetur, & elevetur viribus aliænis. Vidè, quæ diximus notabili primo hujus.

II Arg. 2.: idem nequit esse objectum adæquatum intellectus finiti, & infiniti; sed ens reale ut commune finito, & infinito, est objectum adæquatum intellectus infiniti: ergò nequit esse objectum adæquatum intellectus nostri. Maior constat; quia, quod adæquat potentiam infinitam, necessariò excedit finitam. Resp. disting. mai.: idem nequit esse objectum motivum adæquatum intellectus finiti, & infiniti, conc. mai.: adæquatum terminativum, subdisting. mai.: idem, eodem modo sumptum, conc. mai.: diverso modo captum, nego mai. Et distinguo min.: sed ens reale, ut commune finito, & infinito, est objectum adæquatum naturalis attingentiæ intellectus infiniti, con-

cedo min.: naturalis inclinationis præcisè, nego min. Itaque intellectus divinus, & creatus in ordine ad objectum differunt in pluribus: primò, quia sola essentia divina ex dictis in ultimò notabili est objectum motivum intellectus divini; quodlibet autem ens reale, formaliter tale, est motivum intellectus creati. Secundò, quia ens reale in tota sua latitudine est objectum naturalis attingentiæ intellectus creati.

12 Arg. 3.: si ens reale in tota sua latitudine esset objectum adæquatum nostri intellectus, ens infinitum sub propria ratione non adæquaret virtutem cognoscitivam nostri intellectus; sed hoc est, falsum: ergò, & illud. Prob. mai.: nullum membrum contentum sub objecto adæquato alicujus potentie adæquat virtutem cognoscitivam talis potentie; sed ens infinitum est membrum entis, ut sic, quod nos statuimus pro objecto adæquato nostri intellectus: ergò, si ens reale, &c. Resp. disting. mai.: si ens reale, &c., sequeretur, quod ens infinitum non adæquaret *extensivè* virtutem cognoscitivam nostri intellectus, concedo mai.: non adæquaret *intensivè*, nego mai. Eisdem terminis distinguitur mai. probationis. Intellectus creatus, videns Deum sub ratione propria Deitatis, adæquatur, immò excedi-

tur intensivè ; quia , quantumcumque intelligat Deum , non intelligit modo infinito : non adæquatur extensivè quia plura alia præter Deum cognoscimus.

13 Arg. 4. : si ens reale ut commune finito , & infinito esset objectum adæquatum nostri intellectus , tale ens esset univocum Deo , & creaturæ ; sed hoc est falsum : ergò &c. Resp. concessa maior , negando min. Cujus oppositum partim manet probatum in Logica , agendo de distinctione formali , & expressio tractabimus de hoc puncto in Metaphysica.

14 Arg. ultimò : si Deus contineretur sub objecto adæquato nostri intellectus , etiam Deus , clarè , & distinctè visus contineretur sub tali objecto ; sed hoc nequit dici : ergò quia Deus non continetur sub tali objecto ; & consequenter &c. Prob. minor : inter potentiam , & objectum debet dari aliqua proportio ; sed inter Deum , clarè visum , & intellectum creatum nulla est proportio : ergò &c. Prob. min. : inter infinitè distantia nulla est proportio ; sed Deus clarè visus , & intellectus creatus infinitè distant : ergò ; &c. Hoc argumentum probat , nec Angelos , nec Beatos videre clarè Deum , contra illud Apost. : *tunc videbimus Deum sicut est*. Prob. etiam contra Thomistas intellectum creatum , utpotè ac-

cidens , non posse cognoscere substantiam. Probat tandem contra nos , quod intellectus , qui est facultas substantialis , non possit cognoscere accidens , propter distantiam accidentis à substantia.

15 Resp. tamen pro Thomist. , & pro nobis , concessa mai. , negando min. Ad probat. disting. mai. : inter potentiam , & objectum debet dari aliqua proportio in intelligibilitate , conc. mai. : in entitate , nego mai. : & inversis terminis disting. minor , & nego conseq. Ad probat. disting. mai. : inter infinitè distantia , tam entitativè , quam intelligibiliter nulla est proportio , conc. mai. : inter infinitè distantia tantum entitativè , non verò intelligibiliter , nulla est proportio , nego maiorem : inversis terminis distinguo min. , & nego conseq. Itaque , ut Deus clarè visus contineatur sub objecto adæquato nostri intellectus sufficit , quod inter Deum , & intellectum creatum detur proportio in intelligibilitate , quæ utique reperitur.

16 Replicabis tamen : inter Deum clarè visum , & intellectum creatum datur distantia infinita in intelligibilitate : g. nulla est solutio. Prob. ant. : ideò inter Deum clarè visum , & intellectum creatum datur infinita distantia entitativè ; quia Deus est
ens

ens infinitum, & intellectus creatus ens finitum; sed etiam Deus est infinitus in intelligibilitate; intellectus verò creatus finitus: ergò &c. Resp. negando antec. Ad prob. omiffa mai., disting. min. quoad prim. part.: sed etiam Deus est intelligibilitèr infinitus, finitèque, & infinite intelligibilis, conc. min.: tantùm infinite intelligibilis; sub distingo: ab intellectu infinito, conc. min.: à finito, nego min., & conseq. Deus ergò, quamvis sit intelligibilitèr infinitus in ordine ad suum infinitum intellectum, est tamèn finitè intelligibilis ab intellectu finito.

SECUNDA CONCLUSIO.

17 **E**NS, quod in primâ Conclusionè assignatum est pro objecto nostri intellectus secundùm naturalem inclinationem non est ens reale sub ratione veri; sed sub ratione entis ut sic. Hæc conclusio est communis inter Scotistas, contra aliquos Thomistas, contra quos factis efficacitèr agit Doct. cit. in 1. Prob. conclusio ratione: ens secundùm rationem veri non habet communitatem prædicationis ad omnia intelligibilia: nec habet primitatem virtualitatis res-

pectu inferiorum, sed objectum alicujus potentia debet habere primitatem prædicationis, & virtualitatis, respectu inferiorum: ergò ens ut verum, &c. Mai. quoad primam part. constat; quia, cum veritas sit passio entis, de nullo ente prædicatur essentialitèr, in quid. Quoad secundam part. etiam patet; quia veritas utpotè passio entis, & suorum inferiorum, potius continetur virtualitèr in ente, & alijs intelligibilibus: ergò non dicit primitatem virtualitatis respectu inferiorum.

18 Confirm.: si ens sub ratione veri esset objectum nostri intellectus, omne, quod attingeret, attingeret sub ratione veri; sed hoc est falsum: ergò. Prob. minor: intellectus attingit etiam res sub ratione unitatis, multitudinis, bonitatis, malitiæ, & quatenus entia sunt, ut constat experientia: ergò non præcisè attingit ens sub ratione veri. Sed ut omnis æquivocatio tollatur, & ut replicæ solvantur, notare, quod regularitèr loquendo dicitur quod ens est objectum intellectus sub ratione veri, in quantum ex cognitione resultat veritas formalis, quæ est conformitas rei ad intellectum; nam veritati in essendo ex parte objecti, correspondet veritas in cognoscendo ex parte intellectus; nam ab eo, quod res est, vel non est, propositio di-

dicitur vera, vel falsa.

TERTIA CONCLUSIO:

19 **O**BJECTUM adæquat-
um naturalis at-
tingentiæ nostri
intellectus, præf-
cindo ab utroque statu tam se-
parationis, quam conjunctionis ip-
sius cum corpore, est ens finitum,
ut commune omnibus entibus fini-
tis. Est communis. Prob.: ob-
jectum adæquatum naturalis at-
tingentiæ nostri intellectus, præf-
cindo ab utroque statu, est
illud quod comprehendit sub se
omnia entia, naturaliter cognos-
cibilia ab intellectu secundum
naturam potentiæ; sed ens fini-
tum in communi comprehendit
sub se omne naturaliter cognosci-
bile ab intellectu ex natura poten-
tiæ: g. tale ens est ejus objectum.
Maior est vera. Minor etiam
constat discurrendo per ordinem
omnium entium finitorum; quo-
rum quodlibet est naturaliter cog-
noscibile ab intellectu, & am-
plius constabit ex solutione ar-
gumentorum.

20 Arg. 1. contra is-
tam Conclus.: intellectus noster
non potest naturaliter cognosce-
re secreta cordium; sed secreta
cordium continentur sub ratione
entis finiti in communi. erg.
&c. Prob. mai.: intellectus An-

gelicus non potest naturaliter cog-
noscere, secreta cordium: ergo
multo minus noster. Resp. ne-
gando mai., & antec. probatio-
nis. Ratio est, quia intellectus,
tam humanus, quam Angelicus
potest cognoscere quodcumque
secretum cordis, actu elicito; quia
non continetur extra sphæram
sui objecti. De facto tamen
neuter intellectus ipsa secreta cog-
noscit; non ex defectu virtutis
cognoscivæ in intellectu, sed
ex ordinatione divina, quæ decre-
vit non concurrere; neque no-
biscum, neque cum Angelis ad
cognoscenda talia secreta. Unde
aliud est, quod intellectus pos-
sit naturaliter cognoscere secre-
ta cordis, & aliud est, quod
actu cognoscat ea. Primum est
verum, secundum falsum. De
hoc in materia de Angelis.

21 Arg. 2.: Angelus
est ens finitum, contentum sub
ente finito *ut sic*; sed intelle-
ctus noster non potest naturali-
ter cognoscere Angelum: ergo
&c. Resp. concessa maior, dis-
tinguendo min.: sed intellectus
noster pro statu separationis à
corpore non potest naturaliter
cognoscere Angelum, nego mi-
nor: pro statu conjunctionis ip-
sius cum corpore; subdisting.
min.: non potest; quia Ange-
lus excedit virtutem cognosci-
væ nostri intellectus, *neqo*
minor: non potest; quia pro sta-
tu isto non datur aliquid, qu-

movetur noster intellectus ad cognitionem Angeli, conc. minor, & nego consequentiam. Unde pro statu isto; quia nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu; cum Angelus sensibus, nequeat percipi, non potest movere ad cognitionem sui. Conclusio autem præsens loquitur de cognitione, præscindente ab utroque statu.

22 Arg. ultimò unio hypostatica est ens finitum; sed nequit naturalitèr cognosci ab intellectu nostro, immò, nec ab Angelico: ergò, &c. Non defunt Scotistæ, qui negent minorem; sed de hoc expressè in Theologia, Materia de Incarnatione. Resp. nunc brevità dist. mai.: unio hypostatica, subjectivè sumpta, hoc est, ut recipitur in humanitate Christi, est ens finitum, conc. mai.: terminativè sumpta hoc est, prout respicit Verbum Divinum, nego mai. Et disting. min.: sed ista subjectivè sumpta, nequit cognosci, saltem cognitione confusa, nego min.: terminativè sumpta, conc. min.; & eisdem terminis explicatur consequentia. Hæc difficultas ex professo expectat ad Materiam de Incarnatione, & de Angelis. Quare

ab ea superius: & cum

deo, & ab eo

* & ab eo

non potest movere ad cognitionem sui.

non potest movere ad cognitionem sui.

non potest movere ad cognitionem sui.

QUARTA CONCLUSIO.

23 **O**BJECTUM adæquatum naturalis attingentia nostri intellectus pro statu

isto conjunctionis est quidditas rei sensibilis. Hæc conclusio in re est communis; quamvis videatur contra Thomistas, qui communiter dicunt, quidditatem rei materialis esse tale objectum. Intelligent enim idem pro quidditate rei materialis, ac pro quidditate rei sensibilis. Verum ergò est, in rei veritate nos conformius liqui ad nostra principia in Logica; quia quidditas rei materialis, si rigurosè sumatur, latius patet, quam quidditas rei sensibilis; nam substantia materialis, independentèr à quantitate est quidditas materialis; cum habeat partes extra partes; & tamen non est sensibilis per se, sed ratione accidentium, quibus substat. Sed quidquid sit de hoc

24 Prob. Conclusio: ratione: pro statu isto, & naturalitèr loquendo omnis nostra cognitio omnium ducit à sensibus. ita ut nihil sit intellectu, quin prius fuerit in sensu; sed sensus nihil percipit nisi quidditatem rei sensibilis, & per

tertia mas que devia por
tanto lo è somado

~~sensibus~~, ut patet discurrendo per singulos sensus: ergo talis quidditas est objectum nostri intellectus pro statu isto. Confirm. ex Philos., aiente: oportet intelligentem speculari phantasmata; sed phantasmata, ex iam dictis, sunt quænam species sensibiles desumptæ à phantasia per intellectum: ergo quod movet intellectum pro statu isto est solum quidditas rei sensibilis. Ex dictis in probatione constat, quod hic solum loquimur de objecto adæquato primario, & motivo intellectus pro statu isto; nam de objecto pure terminativo, & secundario, iam dicemus.

25 Argues contra istam conclus., objectum adæquatum nostri intellectus pro statu isto, non solum est quidditas rei sensibilis, sed etiam quidditas rei spiritualis: ergo non tenet conclusio. Probat. antec.: actus intellectus se ipso; & immediatè movet intellectum ad sui cognitionem; sed actus intellectus non est sensibilis, sed spiritualis: ergo &c. Prob. maior.: dum intellectus experitur se intelligere, cognoscit cognitione reflexa intuitivè suum actum, & dum recordatur, se hoc, vel illud intellexisse, tunc cognoscit talem actum abstractivè, media specie impressa intellectui ab ipso actu præterito; sed in utraque cognitione actus ille cognitus est, qui movet in-

tellectum conjunctum, vel immediatè per se ipsum, ut in cognitione intuitiva, vel mediatè per speciem, ut in cognitione abstractiva: ergo talis actus intellectus immediatè movet intellectum ad sui cognitionem, & non per quidditatem rei sensibilis: & consequentè &c.

26 Resp. negando antec. Ad prob. distinguo maior: actus intellectus se ipso, & immediatè, dependentè tamen à motione anteriori quidditatis rei sensibilis, & in virtute illius movet intellectum ad sui cognitionem, concedo mai.: independentè ab ista motione quidditatis rei sensibilis, nego mai., & concessa min., disting. minorem probationis eisdem terminis. Itaque, quando dicimus quidditatem rei sensibilis esse objectum motivum nostri intellectus pro statu isto, non hoc intelligitur ita quod quidditas rei sensibilis semper proximè, & immediatè moveat intellectum, sed sufficit, quod moveat remotè, & mediatè, ita quod intellectus pro statu isto nihil intelligat, nisi id, quod dependet à sensibus, vel proximè, vel originalitè, & remotè. Quarè, dum intellectus cognoscit intuitivè suum actum, actu existentem, aut quando ipsum cognoscit abstractivè, & per speciem representantem talem actum, iam præteritum: & quando quis recordatur se intel-

lexisse, talis actus dependet essentialitèr à sensibus, quatenus fuit primò cognitus, mediante influxu sensuum: & sic sempèr verificatur, quod objectum motivum nostri intellectus pro statu isto, est quidditas rei sensibilis.

27 Arg. 2.: intellectus noster pro statu isto cognoscit Deum, substantias separatas, rationes transcendentales, & prædicamentales, immò, & entia rationis, aliaque innumera, quæ non sunt sensibilia: ergò objectum adæquatum nostri intellectus non est quidditas rei sensibilis. Ut hoc argumentum plenius solvatur, clariùsque intelligatur conclusio, notandum est, quod aliquod objectum potest esse duplicitèr sensibile: primò propriè formalitèr, & per se; quatenus per suam propriam speciem potest immediatè immutare sensum: secundò est sensibile mediatè, & per aliud, quatenus continetur in re per se sensibili, & hoc, vel essentialitèr, vel saltim fundamentalitèr, vel occasionalitèr. Hac doctrina supposita, resp. distinguendo antec.: intellectus pro statu isto, &c., aliaque innumera, quæ non sunt sensibilia formalitèr, & per se, conc. antec.: quæ non sunt sensibilia saltim per accidens, & per aliud, nego antec., & consequ.

28 Itaque omnia, re-

lata in argumento sunt aliquomodò sensibilia, & sub tali modo sensibili attinguntur ad intellectum nostro pro statu isto. Nec ad hoc est necesse, quod sint sensibilia primò propriè, & formalitèr, sed sufficit, quod sint sensibilia per aliud, sive quia sunt inclusa essentialitèr, in aliquo per se sensibili, ut se habent omnes formalitates superiores, respectu inferiorum: vel quia sunt inclusa virtualitèr, aut occasionalitèr, quia habent aliquam dependentiam in cognoscendi à re per se sensibili, uti se habent substantiæ, respectu accidentium, & res spirituales, respectu corporalium, & tandem entia rationis, respectu entium realium. Hæc ergò omnia cognoscimus pro statu isto dependenter à rebus, per se sensibilibus; quia omnis nostra cognitio oritur ducit à sensibus, vel formalitèr, & immediatè, vel originalitèr, & occasionalitèr saltim, modo jam dicto in arg. antec. Tota hæc doctrina est Philos. Lib. de memoria, & reminiscencia cap. 1., ubi ait: *ea, quæ sine magnitudine sunt imaginatione à nobis intelligi per imaginationem, & magnitudinem intellectui objectam.* Sed ut omnia dicta in hoc quæst.

melius percipiantur, & cum claritate procedamus, sit

QUÆST. III.

Quem, qualemque conceptum possimus habere de rebus pro statu isto?

TRIPLICIS generis sunt illa, de quibus in præsentibus dubitari potest: an, & quomodo concipiuntur ab intellectu nostro pro statu isto; scilicet: substantia, sive corporea, sive spiritualis: & universaliter, omnia illa, quæ non sunt per se sensibilia, de quibus numero antec. Secundo sunt sensibilia communia. Tertio tandem sunt singularia. De his ergo quærimus: an, & quomodo cognoscantur à nobis pro hoc statu? Et ut claritate possibili procedamus q. in varia dubia dividemus.

2 Dubit. primò: quem conceptum possimus habere pro statu isto de substantia, sive corporea, sive spirituali; & universaliter de omnibus rebus, quæ non sunt per se sensibiles? Antec. resolutionem difficultatis nota, quod triplex est conceptus prout ad præsens attinet: *communis*: *proprius*, desumptus ex communibus, seu alienis: & tandem conceptus proprius desumptus ex proprijs proprijs. Conceptus communis est cognitio rei

per prædicata, communia sibi, & alijs rebus; sic cognoscimus Deum sub ratione entis, substantiæ, spiritus, &c., quæ sunt prædicata communia Deo, & creaturis. Conceptus proprius, desumptus ex communibus est ille quem format intellectus ex connectione, & collectione plurium prædicatorum, inter se distinctorum: Sic intellectus cognoscens quantitatem, & qualitatem non posse naturaliter per se stare arguit, & infert, dari subiectum talium accidentium, & ipsum vocat substantiam: & tunc intellectus format de substantia conceptum proprium, desumptum ex communibus. Talis etiam est conceptus, quem intellectus pro statu isto format de Deo sub ratione infinitatis, qui est conceptus perfectissimus, quem de Deo pro statu isto habere possimus.

3 Hæc cognitio, seu conceptus non est rei præsentis; & existentis. Nec proprie, & rigurose potest dici conceptus abstractivus; quia non habetur per propriam speciem ipsius rei: undè potius est dicendus conceptus discursivus; quia habetur per discursum, & per alias species, multamque collationem prædicatorum. Verùm ergo est, quod ad conceptum abstractivum imperfectum, & confusum reduci potest. Conceptus proprius; desumptus ex proprijs, est qui

habetur de re immediatè præsentè in se, vel in propria sua similitudine absque ordine ad aliud distinctum ab objecto cognito. Talis est conceptus, quem formant Angeli, & Animæ separatae de rebus à se cognitis. His suppositis, queritur: quem ex his conceptibus possimus formare de substantijs, siue corporeis, siue spiritualibus? Et universalitè: de omnibus illis rebus, quæ non sunt per se sensibiles?

4 Dico: *de illis rebus, quæ non sunt sensibiles non possumus habere pro statu isto conceptum proprium, desumptum ex proprijs; bene verò conceptum communem, aut etiam proprium, desumptum ex communibus.* Hæc conclusio in re est communis. Prob. breviter quoad primam partem: conceptus proprius ex proprijs solum habetur de re in se, vel in sua propria specie immediatè præsentè; sed pro statu isto nihil est in se aut in sua propria specie immediatè præsentè, nisi sensibile per se ergò de sensibile per accidens non habemus conceptum proprium ex proprijs. Maior constat ex num. antec. Minor etiam patet ex quæst. 2. hujus conclus. ultim. ubi diximus, quidditatem rei sensibilis esse objectum motivum nostri intellectus pro statu isto. Conclusio quoad secundam, & tertiam partem satis patet ex explanatione conceptus communis & proprii ex communibus.

5 Dices primò contra prim. part. conclus.: pro statu isto cognoscuntur aliquæ substantiæ conceptu proprio, desumpto ex proprijs: ergò non tenet hæc pars conclus. Prob. ant.: homo est substantia; sed homo cognoscitur conceptu proprio ex proprijs, ut quando cognoscitur per suam definitionem quidditativam, & essentialè: ergò pro statu isto, &c. Confirm.: quod definitur quidditativè, & essentialitè, cognoscitur per propriam speciem; & consequentè, &c. Resp. negando antec., & min., cum sua imbibita probatione. Ratio est; quia definitiones habitæ de substantijs pro statu isto, non depromuntur ex conceptibus proprijs, sed ex communibus, siue alienis. Undè; quia videmus hominem ratiocinare, & ridere ideò inferimus à posteriori, & ex effectibus, quod sit rationalis, & risibilis. Dicuntur tamen veræ tales definitiones, quatenus adæquatè convertuntur cum suo definito. Per quod patet ad confirm., cujus major etiam est falsa; quia substantia pro statu isto non cognoscitur per propriam speciem; aliàs esset per se sensibilis.

6 Dices secundò: ut datur scientia de aliqua re, debemus habere de tali re conceptum proprium, desumptum ex proprijs; sed datur scientia de substantijs pro

pro statu isto : ergò & datur de
 ipſis conceptus proprius deſump-
 tus ex proprijs. Maior conſtat;
 quia ſcientia habetur per cauſas
 proprias, & immediatas. Reſp.
 diſting. mai. : ut detur ſcientia
 de aliqua re in omni rigore cap-
 ta, hoc eſt, perfectiori modo
 quo poteſt haberi, debemus ha-
 bere conceptum proprium ex pro-
 prijs, conc. mai. ut detur ſcien-
 tia de aliqua re nobis poſſibilis
 adipiſci pro ſtatu isto, debemus
 habere, &c., nego mai. Et diſ-
 tinguo min. : ſed de ſubſtantia
 pro ſtatu isto datur ſcientia, no-
 bis poſſibilis adipiſci pro tali ſta-
 tu, conc. min. : ſcientia in om-
 ni rigore ſumpta, nego min., &
 conſequentiam. Itaque intellectus
 pro ſtatu isto propter neceſ-
 ſitatem, quam habet ſe conver-
 tendi ad phantaſmata, ad adi-
 piſcendas ſpecies, & notitias re-
 rum, non acquirit ſcientiam ul-
 lam cum tota illa perfectione,
 quã poſtea dequirat ſolutus à cor-
 pore. Unde per ſtatu isto habe-
 mus ſcientiam propriam; non ta-
 men propriiſſimam, ſive in om-
 ni rigore ſumptam; quia ut di-
 ximus Diſp. 5. huius quaſt. 4.
 difficultate 2. num. 3.; ſenſus
 poteſt errare erga ſenſibile pro-
 prium, ſi non adſint omnes con-
 ditiones ibi aſſignatæ.

7 Dubitat. 2. : quem
 conceptum poſſimus habere pro
 ſtatu isto de ſenſibilibus com-
 munitibus? Difficultas fundatur
 in dictis Diſp. citata quaſt. ul-

tima Sect. 3. difficultate 3. nu-
 mer. 36., ubi docuimus, quod
 ſenſibile commune non produ-
 cit ſpeciem propriam ſui diſtin-
 ctam ab ſpecie ſenſibilis proprij.
 Ex quo conſequenter videtur
 dicendum, quod pro ſtatu isto
 non poſſumus habere de ſenſi-
 bilibus communibus conceptum
 proprium ex proprijs; cum hic
 ſolum habeatur, vel ab objecto
 in ſe præſenti, vel ab ſpecie pro-
 pria ipſius. Sed hac ratione non
 obſtante.

8 Dico : quod de ſen-
 ſibilibus communibus pro ſtatu isto
 poſſumus habere conceptum pro-
 prium ex proprijs. Prob. con-
 cluſ. : ſenſibilia communia ſunt
 diſtincta à ſenſibilibus per acci-
 dens; ſed hoc ſufficit, ut cog-
 noſcantur conceptu proprio ex
 proprijs, quamvis non cauſent pro-
 priam ſpeciem ſui; ergò ita di-
 cendum eſt. Prob. min. : ſpecies
 ſenſibilis proprij verè repræſen-
 tat ſenſibilia communia; immò
 in probabili opinione, ſenſibile
 commune, ſimul cum proprio
 & dependentèr ab ipſo cauſat e. n-
 dem ſpeciem ſenſibilis proprij;
 ſed hoc ſufficit, ut conceptu
 proprio ex proprijs cognoſcatur
 ſenſibile commune per ſpeciem
 ſenſibilis proprij; ergò ita eſt.
 Vide, quæ diximus in loco ci-
 tato.

9 Dub. 3. : quem con-
 ceptum poſſimus formare pro ſta-
 tu isto de ſingulari ſenſibili?
 Certum eſt prime ex N. Subt.

Doct. in 1. dist. 3. quæst. 6. & etiam in 2. eadem distinctione, quod nos pro statu isto non possumus cognoscere intuitivè singularia materialia; sed ad summum abstractivè. Ratio pro nunc est; quia cognitio intuitiva terminatur ad objectum in se, & per se præsens, ab ipsoque immediatè causatur in ratione principij; sed nullam singulare materiale pro hoc statu, sic concurrat cum intellectu, nisi media specie: ergò pro hoc statu &c. Certum est secundò, quod singulare materiale, & sensibile concipitur à nobis pro statu isto conceptu proprio, distincto à communi; nam intellectus noster pro statu isto ponit differentiam inter duo singularia: verè enim cognoscimus, Petrum v.g., esse singulare, distinctum à Paulo. Deindè, cum peccata nostra ut numero distincta teneamur confiteri, hinc est, quod ea, ut numero distincta cognoscere possumus. Difficultas est: an concipiamus singulare conceptu proprio ipsius singularis, reduplicativè sub ratione singularis?

10 Resp. negativè. Est Nost. Subt. Doct. in 1. dist. 3. quæst. 6. num. 15. Prob.: nec sensus, nec intellectus noster pro statu isto potest distinguere inter duo singularia omninò similia, ut inter duo ova, æquè alba, magna, & ejusdem figuræ: nec inter duos radios lucis compenetratos in eodem loco: ergò, quam-

vis pro statu isto cognoscamus singulare conceptu proprio, & per propriam speciem ipsius, non tamèn ità propriam; ut illud percipiamus sub ratione propria singularitatis reduplicativè ut talis. Antec. constat experientia Prob. conseq.: cognoscens aliquid sub proprio conceptu, reduplicativè ut tale, distinguit illud ab omni alio, secluso quocumque accidenti extrinseco: ergò cum duo individua omninò similia, præcisivè ab accidentibus, distinguere non valeamus, sequitur, quod pro statu isto non cognoscimus singulare, reduplicativè ut tale sub ratione singularitatis. Undè pro hoc statu cognoscimus singularia per accidentia extrinseca, scilicèt per diversitatem coloris, figuræ, magnitudinis, loci &c.

11 Dices tamèn contra hoc: sensus solum singularia percipit, & indè transferuntur ad phantasiam, & intellectum: ergò solum singulare est, quod habet propriam speciem pro statu isto; & consequenter singulare ut singulare cognoscitur. Prob. conseq.: species, quam hoc individuum immittit, vel est propria naturæ communis, vel est propria talis individui? Primum nequit dici, aliàs singulare cognosceretur per speciem universalis. Si secundum: ergò cum propria species gimnat proprium conceptum, ex proprijs illius, à quo causatur, sequitur, quod ipsa sin-

singularitas reduplicativè , ut talis , cognoscitur pro statu isto conceptu proprio ex proprijs. Respond. concessio antec. , disting. consequens : ergò solum singulare habet propriam speciem, causatam à singularitate , ut à ratione gignendi , nego consequentiam , ut à conditione gignentis , conc. conseq.

12 Ad prob. resp., speciem illam hujus individui, non esse propriam naturæ communis, ut talis , sed singularis sub ratione naturæ. Unde repræsentatur totum singulare , tamquam objectum adæquatum unius intellectio- nis; sed cum hac differentia quod singulare quoad naturam repræsentatur conceptu proprio ex proprijs : quoad singularitatem verò sub cōceptu proprio, sed non ex proprijs. Quare aliud est, quod singularitas dicatur objectū intellectum, aut pars objecti intellectui aliud verò, quod singulare intelligatur reduplicativè sub ratione singularitatis. Primum & verum est hoc sufficit, ut singulare cognoscatur cōceptu proprio; quia species illa est propria totius singularis agentis. Secundum est falsum; quia singularitas non est ratio formalis gignendi speciem, sed solum conditio agendi. Vidè dicta Disp. de sensibus in communi.

13 Dubit. ultimò : an in omni intellectu sit necessaria pro statu isto conversio intel-

lectus ad phantasmata: undeque proveniat hæc necessitas? Cum persæpè dictum sit, expressoque docuerimus, quæst. 1. hujus, quod phantasma concurret cum intellectu , ut causa efficiens partialis ad producendam speciem intelligibilem , quæritur modo: quomodo sit necessaria hæc conversio? Et certum est, quod divinitus potest intellectus intelligere sine tali dependentia , ut evenire solet in sanctis , ac viris perfectis, qui elevati in extasim sublimen , & perfectam, plurima cognoscunt sine ulla dependentia à sensibus; nam pro tunc ipsis non utuntur. Unde difficultas solum procedit de lege ordinaria , & naturali. Et pro ejus clariori solutione

14 Notate ultra pro prima parte, quod in duplici sensu potest considerari intellectus : primo pro prima motione ad intellectio- nem primam , hoc est, in acquisitione ipsarum specierum , & prima intellectu facta per ipsas. Et sub hac consideratione certum est, quod intellectus noster pro hoc statu eger conversione ad phantasmata; nam nihil percipit , nisi via sensus, qui species sensibiles transmittit ad phantasmam , & indè ad intellectum. Videtè, quæ diximus q. 1. , agendo de necessitate intellectus agentis , & difficultate ultima. Secundò potest considerari intellectus in secunda mo-

tione, scilicet, post acquisitionem specierum, & præhabitam primam intellectionem: an tunc v.g. in recordatione, sit necessè, quod convertatur ad phantasmata?

15 Resp. affirmativè. Est communis inter Theologos. Prob.: si intellectus in secunda sua motione non dependeret à phantasia, & phantasmatis, sequeretur, quod intellectus post primam intellectionem alicujus rei, quamvis læderetur ejus phantasia, posset talem rem æque ordinate percipere, ac si phantasia non esset læssa; sed hoc est contra ipsammet experientiam, qua videmus; quod læssa phantasia alicujus, non operatur ejus intellectus æque ordinate, ac ante talem læsionem: ergo quia intellectus in omni intellectione, sive prima, sive secunda eget conversione ad phantasmata. Confirm.; quia dum volumus intelligere aliquid etsi spirituale, quod sub sensu non cadit, est necessè, quod formemus nobis idolum talis rei, & sic Angelos percipimus, effingendo nobis pulchros pueros: Patrem Æternum concipiendo Venerab. Senem, & sic de alijs rebus.

16 Quoad secundam part. difficultatis, quidam, non improbabilitè tenent, quod hæc necessitas conversionis intellectus ad phantasmata provenit ex conditione ipsiusmet naturæ, &

subordinatione potentiarum in operando. Sed hïc modus dicendi nobis non arridet. Ratio est; quia talis dependentia nequit procedere ex indigentia intellectus humani ut sic; alias anima separata non posset intelligere sine phantasmatis: nec provenire potest ex unione animæ cum corpore; aliàs anima Beata, post unionem cum corpore glorioso haberet talem necessitatem: nec tandèm provenire potest ex subordinatione potentiarum in operando pro statu conjunctionis cum corpore mortali; quia phantasia, quæ est potentia superior cunctis sensibus externis, ab ipsis solum dependet in prima motione. Cur ergo intellectus, potentia inorganica, habens intellectum agentem, potentem acquirere species objectorum, eis que uti in statu separationis, adeò vilescendus est, ut ex sua natura impotens sit, acquirere tales species, utique ipsis? Undè

17 Dico, quod causa hujus necessitatis principalis ducit suum ortum ex peccato originali. Sic Subt. Doct. in 1. dist. 3. quæst. 3. : & 2. dist. 3. q. 8. : probaturque ex Aug. 13. de Trinitate cap. ultimo, ubi ait: *quæ causa, cur ipsam lucem acie fixa videre non possis, nisi utique infirmitas? Et quis eam tibi fecit, nisi iniquitas?* Ergo causa dependentiæ intellectus à phantasmatis est iniquitas, seu cul-

pa originalis. Ex his sequitur, quod in statu innocentie, si durasset, non fuisset necessaria huiusmodi conversio: nec defacto eam habuit Christus Dominus: & plusquam probabiliter, nec eam habuit ejus Pijissima, Immaculataque Mater

QUÆST. IV.

Quodnam sit primum cognitum nostri intellectus, pro statu isto?

NOTATE I., quod non inquirimus, quodnam ex omnibus objectis, ab intellectu cognoscibilibus, primò ab ipso cognoscatur? Ratio est; quia, si lapis prius obijciatur intellectui, quam Leo v.g.; lapis erit prius cognitus, quam Leo. Difficultas ergo est de prædicatis in eadem entitate physica repertis, & inter se, & cum tali entitate realiter identificatis. Sit exemplum: in Petro reperiuntur plura prædicata universalis, ut *ens, substantia, corpus, vivens, animal, homo*: & etiam in ipso simul reperiuntur sua prædicata singularia. In nigredine etiam reperitur prædicatum singulare talis nigredinis, ratio specifica ipsius; ratio generica coloris; ratio qualitatis, accidentis, & entis. Quæritur modò: an intellectus pro statu isto prius cognoscat in Petro prædicatum universale: an

verò singulare? Et etiam inquiritur ultra: an prius cognoscat prædicatum magis universale, quam minus universale?

2 Notate 2. ex Doct. in 1. dist. 3. quæst. 1. §. *Ad secundam quæstionem*, quod aliquid potest esse primum cognitum in hoc sensu est ens perfectissimum, ab intellectu cognitum, tripliciter: primò primitate perfectionis: & primum cognitum quale est Deus. Secundò sumitur primum cognitum primitate *adequationis*: & est illud ens, quod supra assignavimus pro objecto adæquato potètiæ intellectivæ. Præsens difficultas de neutro istorum procedit. Tertio sumitur primum cognitum pro illo, quod est primum primitate *originis*, seu *generationis*: & est illud, quod ex natura sua, ita petit generare cognitionem in intellectu, quod ante ipsum non derur aliud prædicatum prius cognitum ab intellectu. De hoc primò cognitum est quæstio. Ex quo infertur comparisonem fieri in præsentia dumtaxat inter prædicata superiora, & inferiora ejusdem rei.

3 Notate 3., quod quæstio procedit de cognitione actuali, non autem de virtuali. Explicatur: dum quis cognoscit Petrum, talis cognitio dicitur actualis; quia tamen Petrus continet in se plura prædicata superiora usque ad rationem entis inclusivè, ideò illa cog-

nitio actualis Petri dicitur cognitio virtualis omnium prædicatorum, quæ in Petro continentur. Sed notate, quod ista cognitio actualis est duplex, confusa, scilicet, & distincta. Tunc res concipitur confusè, quando cognitio solum terminatur ad rem sicut exprimitur per nomen; ut cognitio Petri, in quantum Petrus intelligitur cum hoc nomine *Petrus*. Tunc cognoscitur res clarè, & distinctè, quando cognoscitur per definitionem, ut quando cognoscitur Petrus per hoc, *quod est animal rationale*. De cognitione actuali confusa est difficultas: quodnam scilicet objectum sit à nobis prius cognitum pro statu isto primitive originis; cognitione actuali confusa? Res duplici conclusione declarabitur. Sit

PRIMA CONCLUSIO:

4 **P** *PRIMUM* cognitum à nobis primitive originis cognitione actuali confusa est singulare sensibile speciei specialissimæ; non singulare signatum, sed vagum. Ita Scotistæ post Doct. Subt. quæst. 22. de Anima: & 7. Metaph. quæst. 15. contra omnes Thomistas. Prob. 1. ratione: quod primò obijcitur intellectui est

singulare sensibile speciei specialissimæ: ergò hoc est quod primò à cognoscitur nobis pro statu isto. Ant. est verum, quia sensus solum percipiunt singularia sensibilia. Prob. consequentia: eo ipso, quod omnis nostra cognitio pro statu isto ortum ducat à sensibus, quod primò obijcitur sensui est illud idem, quod primò offertur intellectui ad cognoscendum: ergò cum ex una parte nostra cognitio ortum ducat à sensibus, & ex alia cognitio sensitiva prius versetur erga singularia, sequitur, quod primum cognitum à nobis &c. Confirm.: illud est primum cognitum pro statu isto, cujus species primò imprimitur intellectui; sed species singularis sensibilis est, quæ primò imprimitur intellectui pro statu isto: ergò, &c. Prob. min.: species primò impressa intellectui pro statu isto est species administrata à sensibus; sed sensus, ut dese patet, nihil percipiunt, præter singulare sensibile: ergò &c.

5 Prob. 2. Conclusio: universale nequit cognosci à nobis, quin prius cognoscantur singularia: ergò prius cognoscitur singulare, quam universale. Prob. antec.: natura communis non potest cognosci, quin abstrahatur à singularibus; sed nequit aliquid abstrahi ab alio, quin illud aliud, à quo abstrahitur prius cognoscatur: ergò universale

fale nequit cognosci &c. Quod tale fingulare fenfibile non fit fignatum, fed vagum (quod eft fecunda pars Concluf.) probat Ariftot. 1. phyficorum text. 5. experientia puerorum, qui ab initio omnes viros appellant Patres; poftèa verò determinant unum ipfum clarè cognofcendum. Undè pueri prius cognofcunt, & aprehendunt cognitione confufa, quoddam fingulare vagum pro fuo Patre. Sed intellectus nofter pro ftatu ifto procedit à cognitione confufa ad cognitionem claram, & diftinctam, ficut intelleftus puerorum: ergò &c. Potefit hæc conclusio probari eifdem rationibus, ac fequens.

SECUNDA CONCLUSIO.

6 **C**OMPARATIONE facta inter prædicata univerfalia cujuslibet rei prius cognofcitur prædicatum minus univerfale, quam magis univerfale: undè primum cognitum primatate originis inter prædicata univerfalia eft fpecies infima. Explicatur: inter prædicata fuperiora, quæ reperiuntur in Petro v.g., prius cognofcitur pro ftatu ifto hoc prædicatum *homo*, quam *animal*; & *animal* prius quam *vivens*; & fic gradatim utique ad *ens*. Ità

Subt. Doct. in 1. diff. 3. quæft. 2. §. *De fecundo dico*. Prob. 1.: illa, quæ funt magis confufa, funt nobis prius nota; fed fpecies infima inter univerfalia eft magis confufa: ergò & primò cognita. Maior eft Ariftot. 1. Phyficorum text. 4. dicentis: *at confufa primo nota nobis funt, magis ac manifefita*. Maior etiam patet; quia illud eft magis confufum, quod plura in fe continet; fed fpecies infima, ut *homo* v.g.; plura in fe continet, quam *animal*; & *animal* plura, quam *vivens*: ergò &c.

7 Prob. 2. conclus. ex eodem Doct. cit., & quæft. 16. de Anima. §. *Præterea* cujus ratio in fuma hæc eft: metaphyfica eft ultima fcientia in ordine doctrinæ: ergò reliquæ fcientiæ naturales præcedunt Metaphyficam ordine doctrinæ: ergò principia reliquarum fcientiarum naturalium ordine doctrinæ funt priora principijs metaphyficis: ergò prius cognofcuntur à nobis principia aliarum fcientiarum à Metaphyfica, quam principia Metaphyficæ, etenim prius aprehendimus illas fcientias, quam iftam. Nunc fic; fed principia aliarum fcientiarum à Metaphyfica, funt minus univerfalia, quam principia ipfius Metaphyficæ; nam Metaphyfica eft de univerfaliffimis, hoc eft de ente ut fic: ergò minus univerfalia prius à nobis cognof-

euntur; quam magis universalis.

8 Prob. tandem conclus. ex ipso Doct. cit.: causæ necessariae, & naturales bene dispositæ, & non impeditæ, producunt operationem; quam producere possunt; etenim agunt usque ad ultimum de potentia; sed intellectus, & phantasma, præsupposita cognitione singularis sensibilis, sunt causæ naturales bene dispositæ, & nullo modo impeditæ; ergo intellectus, & phantasma, præsupposita cognitione singularis, producunt cognitionem actualem confusam, cum tota illa perfectione, quam possunt producere. Nunc sic; sed cognitio speciei infimæ est perfectior cognitione alterius magis universalis: ergo cognitio hujus est, quæ primò habetur. Subsumpta patet; nam cognitio objecti perfectioris, est perfectior cognitione objecti minus perfecti: & species infima est objectum perfectius alio prædicato universaliori. Qui plura alia consideraverit circa hoc videat Doct. tum in prim. cit., tum quæst. 22. de Anima, ubi etiam videndus est Nost. Cabellus in suis annotationibus. Dicta

pro nunc sufficiant.

**
**

Solvuntur Argumenta.

9 ARG. I.: intellectus prius cognoscit rationem sui objecti adæquati, quam illud quod non est tale; sed ens in communi & non singulare sensibile speciei specialissimæ, nec ipsa species specialissima est primum objectum nostri intellectus: ergo & primum cognitum ab ipso. Confirm.: qualis est ordo potentiarum in essendo, talis est ordo ipsarum in cognoscendo; sed rationes universales sunt priores in essendo, rebus particularibus: & similiter magis universales sunt priores, minus universalibus: ergo sunt etiam priores in cognoscendo; & consequenter neutra ex duabus conclusionibus tenet.

10 Resp. disting. mai.: intellectus prius cognoscit suum objectum adæquatum, quam illud, quod non est tale, nec continetur sub suo objecto adæquato, conc. mai.: quod non est tale, si aliundé contineatur sub objecto adæquato, nego mai.: & distingo min.: sed ens in communi est primum objectum primitate adæquationis, conc. min.: primum primitate oridinis, nego

go min., & conseq. Videte, quæ diximus in 2. notabili hujus. Ad confirm. disting. mai. : qualis est ordo potentiarum in essendo &c., respectu intellectus soluti à sensibus, conc. mai. : respectu intellectus aligati, & pro statu isto, nego mai., & omiffa min., nego conseq. Unde pro statu isto prius cognoscimus cognitione confussa singularia, quam universalia; & minus universalia, quam universaliora: oppositum potest evenire in statu separationis. Immo, si res bene inspiciatur, mai. confirmationis est absolutè falsa, ut patet in hac instantia: qualis est ordo potentiarum, &c.; sed substantia est prior accidenti in essendo: ergo in cognoscendo; quod pro statu isto est absolutè falsum.

II Arg. 2.: illud prius cognoscitur ab intellectu, quod est ipsi magis proportionatum; sed universale est magis proportionatum intellectui, quam singulare: ergo & primò cognitum. Prob. min.: quod est magis separatum à materia, est intellectui magis proportionatum; sed tale est universale respectu singularis: ergo & magis proportionatum intellectui. Resp. negando min., & min. probationis. Ratio est; quia universale phantasiatum est corporeum, & materiale, non minus, ac singulare; quare utrumque indiget quod intellectus ipsum depuret

à materialitate, antequam ipsum cognoscat. Unde, sicut universale, non obstante sua materialitate, cognoscitur ab intellectu, ita & singulare. Immo argumentum facit ad oppositum, quod sic ostendo: primum cognitum intellectus pro statu isto est illud, quod est ipsi magis proportionatum; sed quod est magis sensibile, est magis proportionatum intellectui pro statu isto: ergo & erit primum cognitum. Nunc sic; sed prædicatum, quod est universalius, est minus sensibile: ergo & minus proportionatum; & consequenter non primò cognitum.

12 Arg. 2.; S. Doct. in 1. dist. 3. quæst. 2. §. *Ad secundam quæstionem*, ait: *primum actualiter cognitum confessè est species specialissima, cujus singulare efficacius, & fortius primò movet sensus*. Sed per ly *species specialissima* excludit Doct. singulare sensibile à primò cognitum: ergo hoc non est primum cognitum. Sic arguit N. Merinerus contra primam conclusionem. Quod confirmat ex Doct. cit. §. *Secundò dico*, v. *Ad primum respondeo*, dicente: *concedo, quod species primò intelligitur inter singulare; quia dixi, quod species est primum intelligibile*: ergo prius cognitum non est singulare.

12 Resp., autoritatem Doct. non esse contra nos; quia

quia Doct. ibi tantum facit comparationem inter ipsamet prædicata universalia, & ait, quod primum cognitum inter ista est species specialissima, quod & nos diximus in secunda conclusione. Quod ita loquatur Doct. constat; nam immediatè post verba in argumento prosequitur *et hoc supposito, quod singulare non possit intelligi sub propria ratione, de quo aliàs; loquor enim modo de illis (id est de universalibus) quæ certum est; posse intelligi secundum omnem opinionem.* In quibus verbis solum facit comparationem inter universalia, nihil asserendo de singulari sensibili. Undè, cum singulare sensibile cognoscatur pro statu isto, necessariò debet esse primum cognitum primitate originis; nam eadem ratio, qua probatur, minus universale esse prius cognitum, quam magis universale; probatur etiam, singulare sensibile esse primum omninò cognitum. Ad confirmationem resp. cum Nostr. Mast., quod Doct. ibi loquitur de singulari signato, non autem de vago. Videte, quæ diximus num. 5. hujus in probatione secundæ part. primæ conclusionis.

14 Arg. deniquè: confusa cognitio rei est prior cognitione clara, & distincta ejusdem rei; sed quando intellectus cognoscit prædicatum aliquod magis universale, cognoscitur con-

fusè tale prædicatum: ergò prius cognoscuntur universaliora, quam minus universalia. Maior est Doct. supra cit., ubi docet, cognitionem confusam esse medium inter puram ignorantiam, & cognitionem claram, & distinctam. Pro solutione hujus, & similitium, in quibus latet æquivocatio, notate ex Doct. cit. in 2. conclusione ex primò, quod confusum idem est, ac indistinctum: duplex autem est indistinctibilitas, & consequentè duplex confusio: una est totius essentialis in partes essentielles; alia verò totius universalis in partes subjectivas: similiter duplex est distinctio istius duplicis totius in ordine ad suas partes. Confusum ergò intelligitur quando aliquid intelligitur indistinctum ab alio, aliquo ex prædictis modis. Intelligitur verò confusè, quando concipitur res, sicut explicatur per nomen. Distinctè tandem intelligitur, quando cognoscitur res, sicut explicatur per definitionem. Ex quo infert Doct.; aliud esse intelligere confusum, & aliud intelligere confusè. Ex his

15 Resp. nunc ad argum., concessa mai., negando min. Ratio est; quia dum intellectus cognoscit aliquod prædicatum universalius, non cognoscit confusè, sed confusum; quamoprimè eam itit, intellectum cognoscere confusum, & con-

confusé : ut quandò quis cognoscit animal in quantum est vivens sensibile, tunc cognoscit quoddam confussum ; quia cognoscit animal indistinctum, sive non distinctum in suas partes subjectivas. Quod si verò cognoscat animal, ut explicatur per suam definitionem, tunc distinctè cognoscit : si autem cognoscit ipsum dumtaxat, ut expressum per nomen, tunc cognoscit confusè. Et quia cognitio nominis præcedit cognitionem definitionis, ideò cognoscere confusè præcedit cognoscere distinctè ; ita quod inter cognitiones confusas prior sit singularis, secundò minus universalis, & sic de cæteris.

QUÆST. VI

In quo consistat formalitè intellectio? Ubi de ejus causa productiva.

HACTENUS egimus de natura potentia intellectiva; modò restat tractare de ejus actibus, inter quos primum locum obtinet intellectio. Et quidquid hic resolvarur de intellectione, de volitione intelligatur dictum. Sed pro resolutione primæ partis, notatè primò, quod actio prout ad præsens at-

tinet, est duplex : una dicitur vera, & realis alia tantum grammaticalis. Actio vera, & realis est illa, per quam aliquid verè & realitè producitur : & hæc dicitur de genere actionis. Actio grammaticalis est, per quam nihil reale producitur, sed tantum aliquid rationis derivatur in potentiam. Hujusmodi actio solum improprie, & per analogiam ad propriam, & realem actionem, dicitur actio : quare magis proprie debet dici, & vocari operatio, quam actio.

2 Notatè 2., quod ad quamlibet operationem vitalem, & consequentè ad intellectiōnem, ultra receptionem speciei impressæ, requiruntur etiam actio, passio, qualitas, quæ juxta nostra principia est species expressa objecti : & etiam requiritur attingentia, sive tendentia in objectum : undè, sicut in productione, caloris v.g., reperitur actio productiva ipsius, receptio caloris, quæ vocatur passio, & ipsemet calor productus ; ita in intellectione, & volitione ~~reperitur~~, primò ipsa actio productiva, quæ est de genere actionis, postea receptio, quæ dicitur passio, & tandem ipsamet qualitas producta, ut intellectio v.g., media qua intellectus tendit vitalitè in objectum. Quæritur modò in quonam ex istis consistat formalitè intellectio? An in actione : an verò in passio-

fiat: tandè in qualitate? Ante quam nostram sententiam stabiliamus, contrarias breviter refutabimus. Quare

3 Dico 1. : *intellectio non est actio realis productiva termini : hoc est, non est actio productiva speciei expressæ objecti.* Est contra Thomistas. Probat. ratione : si intellectio esset formalitèr actio productiva alterius termini, repugnaret, quod intellectus cognosceret intellectiorem, quin cognosceret aliquem terminum, ab ipso productum; sed multoties cognoscitur intellectio, nullo termino cognito nisi ad sumum objectum talis intellectiõnis, de quo non est quæst. : ergò intellectio non est formalitèr actio productiva termini. Confirmatur : operationes vitales sunt actus ultimi, seu ultima perfectio operantis; sed intellectio est actus vitalis : ergò est ultima perfectio intellectus operantis; sed hoc repugnaret, si intellectio esset actio productiva alterius termini; etenim tunc iste terminus esset ultima perfectio ipsius : ergo intellectio non est formalitèr actio.

4 Dices 1. pro Thomistis : intellectio est actio vitalis, qua intellectus vitalitèr exercetur : ergò per intellectiõnem producit actio : ergò intellectio est formalitèr actio. Respond. disting. antec. : intellectio

est actio grammaticalis, & per analogiam ad veram actionem qua intellectus, &c., omitto antec. : est actio vera, & realis, qua intellectus exercetur, &c., nego antec.; vel ipsum subdividuo : qua exercetur vitalitèr intentionalitèr, concedo antec. vitalitèr physicè, nego antec., & utramque conseq. Videte, quæ diximus quæst. 2. Disp. 1. hujus Tract., inquirendo; in quo consistat ratio vitæ? Concedimus ergò nunc, intellectum per intellectiõnem exerceri, intentionalitèr operando erga objectum, non aliquid physice producendo.

5 Dices 2. : pro eisdem : intellectus non producit verbum mentis, nisi per dictionem; sed intellectus non dicit, nisi intelligendo : g. non producit verbum mentis, nisi intelligendo : ergò quia intellectio est actio productiva termini, scilicèt verbi mentis. De hac replica erit specialis sermo quæst. sequenti, dùm ex professo agamus de verbo mentis. Pro nunc resp., concessa mai., disting. min. : sed intellectus non dicit, nisi intelligendo causalitèr, vel originalitèr, conc. min. : nisi intelligendo formalitèr, nego min. : & sub eisdem terminis distinguitur primum consequens, & negatur secunda conseq.

6 Dico 2. : *intellectio non*

non est formaliter passio, seu, quod idem est, non consistit formaliter in receptione speciei impressæ, sed expressæ. Est contra Not. Aureolum, & alios antiquos. Prob. ratione: ob objecto, & potentia prius notitia: ergo notitia intellectualis, sive intellectio non consistit in receptione, sed potius in aliquo producto. Confirm.: nequit intellectio consistere, nec in receptione speciei impressæ, nec expressæ seu intellectiois: ergo &c. Prob. antec. quoad primam partem; quia species manent in intellectu; immo, & in alijs potentijs vitalibus, ut in sensu inferno, quando vitaliter etiam non operantur: ergo quia intellectio non consistit formaliter in receptione speciei intelligibilis. Prob. quoad secundam; quia de ratione intellectiois est exprimere objectum, taliter in illud tendendo, ut intellectus cum illo intentionaliter uniat; sed per receptionem intellectio respicit subjectum, scilicet, intellectum, non autem objectum: ergo intellectio non consistit formaliter in receptione ipsius.

7 Dices 1. contra istam conclusionem: Div. Aug. 2. de Trinitat. cap. 3. ait: *illa informatio sensus, que visio dicitur à solo imprimitur corpore quod videtur; sed quod imprimitur à corpore est species impressa: ergo visio consistit in receptione speciei impressæ: ergo*

similiter intellectio consistit in receptione speciei impressæ; nam eadem est ratio de visione, ac de intellectiois. Hoc argumentum sibi proposuit Doct. in 1. dist. 3. quest. 6. & responder, quod per *ly visio* non intelligit Div. Aug. actum vitalem videendi, sed tantum speciem objecti, quæ virtualiter, & causaliter est visio, in quantum est causa partialis visionis. Et quod in hoc sensu locutus sit Div. August. , patet ex ipso 15. de Trinitat. cap. 10. , ubi speciem intelligibilem vocat scientiam; sed nemo ignorat: speciem intelligibilem non esse formaliter scientiam, sed solum causaliter, in quantum simul cum intellectu concurrat ad conclusionem scientificam eliciendam: ergo ita sumenda est *ly visio*, posita ab August. in hac autoritate, non

8 Dices 2. : ex Philos. hic 3. de Anima cap. 2. dicente: *intelligere, est quoddam pati: ergo intellectio est passio. Resp. explicando antec. intelligere, est præsuppositivè quoddam pati, conc. antecedens, intelligere est formaliter quoddam pati, nego antecedens, & consequ. Itaque intelligere semper præsupponit aliquod pati; hoc est; intellectio præsupponit receptionem speciei impressæ pro statu isto: & etiam receptionem intellectiois, que prius debet necessariò recipi in intellectu, quam*

intellectus formalitèr intelligat, aut intentionalitèr tendat in objectum. Videatur Doct. cit. q. 7. §. Ad auctoritatem Philosophi

9 **N**ostra Conclusio : *intellectio est formalitèr qualitas producta per veram actionem, pertinentem ad prædicamentum actionis.* Ità Scotiste omnes cum Doct. Subt. supra citato. Prob.: intellectio non est formalitèr substantia; quia potest adesse, vel abesse quod non convenit substantiæ: nec est quantitas; quia non est accidens corporeum: nec est relatio intrinsecus adveniens; quia, quamvis ponantur intellectus, & objectum, non necessariò resultat intellectio, nisi posita specie vel præsentia objecti: nec est habitus; quia intellectio non est respectus ad vestes: nec ubi; quia non est respectus ad locum: nec quando; quia non est relatio ad tempus: nec est situs; quia non est respectus ad partes loci: nec tandem est actio, aut passio; ut probatum manet Conclus. primæ, & secundæ: ergò cum omne, quod est in rerum natura, sit aliquod ex decem prædicamentis, sequitur à sufficienti partium enumeratione; quod intellectio est qualitas spectans ad tertium prædicamentum.

10 **Q**uod verò sit producta per veram actionem, probatur: implicat terminam verè productam sine actione produc-

tiva; sicut implicat actionem productivam sine termino producto, sed intellectio, juxta Magnum Parentem Aug., proximè citat., est terminus verè productus ab intellectu, & objecto; ergo, producitur per veram actionem. Quenam autem sit hæc actio qua producitur intellectio? dicemus in fine quæst. sequentis. Nunc autem

11 **A**rguitur 1. contra istam conclus.: si intellectio esset qualitas producta per veram actionem, esset terminus productus per actionem intellectus; sed hoc nequit dici: ergò nec quod sit qualitas producta. Prob. minor: si intellectio produceretur per actionem intellectus, hæc alia actio, per quam produceretur, esset etiam intellectio; etenim esset actio potentie intellectivæ: & sic usque in infinitum: ergò intellectio nequit esse qualitas producta per actum intellectus. Resp., concessa mai.; negando min.: ad cujus probationem nego antec. Ratio est, quia, quamvis actio productiva intellectionis esset actio potentie intellectivæ, non tamen diceretur intellectio; quia solus ille actus, qui est operatio, ultimaque perfectio operantis, potest dici in rigore sermone intellectio, ut iam diximus in secunda probatione primæ Conclusionis, quod non convenit actioni productivæ intellectionis.

Arg.

12 Arg. 2.: ad actionem non datur actio; sed intellectio est actio: ergo non est qualitas producta per actionem. Maior constat; aliàs difficulter vitaretur processus in infinitum. Prob. min.: verbum mentis producit per intellectionem: ergo intellectio est actio productiva verbi mentis: ergo non est qualitas. Resp. distinguendo maior: ad actionem de prædicamento *actionis* non datur actio, conc. mai.: ad actionem grammaticalem, sive analogicè dictam, non datur actio, nego maiorem: in versis terminis dist. min., & nego conseq.: ad cuius prob. nego antec.; quia, ut dicemus quæst. sequenti, verbum mentis non producit per intellectionem, sed est ipsamet intellectio producta. Vidè etiam, quæ diximus in notabilibus.

13 Arg. 3.: si intellectio esset qualitas esset accidens absolutum, quidditative cognoscibile quocumque extrinseco non cointellecto; sed intellectio nequit quidditative intelligi, objecto non cointellecto; cum intellectio semper dicat aliquid in potentia, quasi tendens in aliud, ut in objectum: ergo intellectio non est qualitas absoluta. Resp. disting. mai.: si intellectio, &c., quidditative cognoscibile, quantum est ex se, quocumque extrinseco non cointellecto, conc. maior: proù modo significatur nego ma-

ior., & concessa min., nego conseq. Itaque, licet intellectio sit qualitas absoluta, non potest concipi, nisi intellecto, objecto per ipsam declarato; sed hoc non provenit ex ratione intrinseca, & quidditative ipsius, sed quia intellectio à nobis explicari nequit, nisi modo relativo: undè dicimus, intellectionem esse tendentiam, attingentiam, similitudinem, & representationem objecti.

14 Sed; ut omnia dicta melius percipiantur advertendum est primò, quod ad hoc, ut intelligatur aliquod objectum ultra speciem intelligibilem cum intellectu concurrentem, requiruntur etiam actio, passio, & qualitas. Requiritur actio; quia intellectus verè, & physicè agit producendo intellectionem. Requiritur passio; quia intellectio producta recipitur in intellectu. Requiritur tandèm qualitas, quæ est ipsamet intellectio producta. Sed inter actionem, & passionem, est hoc discrimen, quod productio intellectionis ab intellectu, non est omninò necessaria, quia, ut dicemus in secunda parte hujus quæst., intellectio potest à Deo totalitèr produci in potentia, ista merè passivè se habente: passio verò, seu receptio est necessaria, & indispensabilis; quia, ut potentia dicatur vitalitèr operari, debet in se habere intellectionem, mediâ

qua tendat in objectum.

15 Advertendum est secundò, quod inter intellectum, ut intelligentem, & objectum, ut intellectum, sunt varij respectus: ad potentiam, scilicèt producti ad producens, & recepti ad recipiens: alij duo ad objectum; primus est repræsentantis ad repræsentantum; nam omnis intellectio ex natura sua habet, ut sit forma imitativa, & repræsentativa sui objecti: secundus respectus est relatio attingentiæ, vel tendentiæ in alterum, ut in terminum. Et ratio ex S. Doctr. est; quia omnis potentia vitalis creata, sive cognitiva, sive appetitiva sit, est productiva, receptiva, & operativa, secundum diversas habitudines ex natura rei distinctas, secundum diversum genus causæ, per eas importatum. Est enim productiva sui actus in genere causæ efficientis: est receptiva ipsius in genere causæ materialis: & est denique operativa; quia illum actum habens, repræsentat, & tendit vitalitèr in objectum, & exercetur quasi in genere causæ formalis, in quantum actus per modum formæ constituit potentiam operantem, eamque cum objecto copulat, & unit intentionalitèr.

16 Sed tandèm advertendum est, quod quamvis intellectio: & universalitèr, quivis alius actus vitalis omnes prædictos respectus importet, ta-

men in nullo ex ipsis, nec in omnibus formalitèr consistit. Ratio est; quia intellectio est unum ens per se, & consequentèr nequit constitui per plura diversorum generum, qualia sunt, actio, passio, & hi omnes respectus. Ex hoc ergò facile solvi possunt argumenta omnia, quæ objici valent, dicendo, quod intellectio sit qualitas, seu entitas formalitèr absoluta, de connotato tamen, & secundariò importans actionem, ut quid præsuppositum ad ipsam, passionem, ut quid ad ipsam subsecutum, universalitèr omnes respectus, iam relatos.

17 Quoad secundam partem quæst. de causa productiva intellectionis; Dubitabis: an intellectio possit à solo Deo produci in intellectu nostro, isto mètè passivè se habente ad talem intellectionem? Hæc difficultas transcendentalis est respectu omnis actus vitalis; quaproptèr ipsam proposuimus Disp. 2. quæst. ultima hujus tractatus: ubi ejus examinem usquenunc distulimus. Respondeo ergò, quod intellectio, & quicumque alius actus vitalis potest à solo Deo produci, potentia mètè passivè se habente. Est Subt. Doctr. pluribus in locis, specialitèr in 1. dist. 3. q. 7., & 8. Probat.: quidquid Deus producit medijs causis efficientibus, potest se solo producere; sed Deus producit in-

intellectionem medijs causis efficientibus, scilicet, mediante intellectu, & specie impressa, ergò se solo potest ipsam producere. Si dicas, quod intellectus non intelligeret media ipsa. Contra; quia, cum effectus formalis intellectionis sit, constituere intellectum intelligentem, intellectus formalitèr intelligeret per intellectionem, à Deo productam, & in ipso receperam. Responiones contrariorum patebunt, ex solutione argumentorum.

18 Arguitur 1. : intellectio est formalitèr verbum mentis, sive conceptus; sed implicat, quod detur conceptus, sive verbum mentis absque eo, quod producatur ab intellectu: ergò implicat intellectio producta absque concursu intellectus: ergò intellectio nequit produci à solo Deo. Resp. disting. mai.: intellectio est formalitèr conceptus & verbum mentis, simulque representatio objecti, conc. mai.: est tantum conceptus, nego maior.: & inversis terminis distinguo min., & nego consequentiam. Itaque conceptus, seu verbum mentis duo significat, scilicet, prolem, sive notitiam genitam, & simul representationem objecti: undè, licèt de ratione intellectionis sit, quod sit conceptus, & prout conceptus, significet representationem objecti, non tamèn prout significat rationem proles, sive notitiæ ge-

nitæ. Undè intellectio semper erit representatio objecti, licèt intellectus non concurrat ad ipsam; non tamèn pro tunc erit proles, sive notitia genita ab ipsomet intellectu.

19 Arg. 2. : si Deus se solo potest producere intellectionem in nostro intellectu, poterit etiam se solo producere volitionem in nostra voluntate; sed hoc repugnat: ergò et illud. Prob. min.: de ratione formalis volitionis est, quod sit actus voluntarius; sed volitio nequit esse actus voluntarius, quin à nostra voluntate efficientèr procedat: ergo nequit à solo Deo produci. Prob. min.: actus voluntarius debet esse à principio intrinseco; sed volitio à solo Deo producta in nostra voluntate non esset à principio intrinseco; sed omninò extrinseco: ergò, &c. Resp. negando min. Ad prob. distinguo mai.: de ratione formalis volitionis est, quod sit actus voluntarius operativus, conc. mai.: causativus, nego maior.; & disting. min.: sed volitio nequit esse actus voluntarius causativus, quin à nostra voluntate procedat, conc. min.: operativus, seu formalis, nego min.: & eisdem terminis distinguitur maior prob.; & inversis min., negaturque conseq.

20 Itaque, prout ad præsens attinet duplex est voluntarium *causativum*, scilicet, &

operativum. Voluntarium causativum seu potius causatum est actus ille, qui efficienter causatur à nostra voluntate, & medio ipso, voluntas postea vitaliter operatur. Hujusmodi actus nequit produci à solo Deo. Voluntarium vero operativum est illud, medio quo voluntas tendit vitaliter in objectum, præcindendo, ab eo, quod volitio producat à Deo, & ab ipsa voluntate simul, aut à solo Deo: si ab utroque producat erit voluntarium operativum, & causativum simul: si à solo Deo, ab hoc erit voluntarium causativum, respectu vero voluntatis creatæ erit voluntarium operativum tantum: de ratione cujus voluntarij non est, quod sit à principio intrinseco. De hoc amplius in Theologia.

21 Arg. ultimó: actio vitalis ex sua ratione formali petit produci ab illo principio, in quo recipitur; sed intellectio est actio vitalis, recepta in intellectu: ergò ex sua ratione formali petit ab ipso produci; & consequenter, &c. Prob. min.: actio vitalis est immanens; sed actio immanens petit produci à subjecto, in quo recipitur: ergò &c. Resp. disting. mai.: actio vitalis grammaticalis ex sua ratione formali, &c. conc. mai.: actio vitalis de genere actionis, nego mai.: & eisdem terminis dist. min. Ad prob. dist. mai.:

actio vitalis de genere actionis est immanens: omitto maior actio vitalis grammaticalis est immanens subdist. mai.: contingenter, & per accidens, conc. mai.: per se, & ex sua ratione formali, nego mai.: & distincta minori eisdem terminis, negatur consequentia. Hæc solutio satis patet ex dictis à principio quaestionis.

22 Pro complemento q. inquires: quid sit formaliter intelligere? Intelligere ergò satis ex dictis, constat, quod nec sit agere, nec pati; quia hæc solum præsuppositivè interveniunt ad intelligere formale nostrum ex imperfectione, & limitatione potentia. Dico ergò, quod intelligere formaliter est vitaliter operari, exprimendo objectum, hoc est, illud à se intentionaliter attrahere, eique vitaliter uniri. Prob., simulque explicatur: vita intentionalis alio modo exercetur, ac vita physica; sed vita physica exercetur producendo, quia terminatur ad aliquid in ratione effectus, de novo accipientis esse simpliciter; ergò vita intentionalis exercetur operando, ideòque terminatur ad aliquid non in ratione effectus, sed in ratione objecti, & non recipientis novum esse simpliciter, sed secundum quid, scilicet esse cognitum, & intellectum.

QUÆST. VI.

Quid sit verbum mentis : à quæque producatur ?

I **N**ON loquimur in præfenti de verbo grammaticali, nec de verbo logico; de his enim in Logica parva, & magna egimus. Sed loquimur de verbo. quod dicitur *proles, conceptus, aut partus mentis*. Verbum ergò in communi de quo in præfenti, sic solet definiti: *est signum prolatum à dicente naturaliter manifestativum illius, quod latet in mente*. Ex ista definitione inferitur, quod ad rationem verbi requiruntur variæ conditiones: prima, quod sit productum, sive genitum ab ipsomet dicente, juxta illud August. 15. de Trinit. cap. 18. : *verbum nostrum scientia scientis nascitur*. Defectu hujus conditionis excluditur à ratione verbi illa intellectio, à solo Deo producta in nostro intellectu, de qua quæst. antec.; nam cum hæc non producatur à dicente, non habet rationem verbi. Secunda conditio est, quod sit verbum manifestativum illius, quod est in mente. Tertia tandem, quod producatur per modum naturæ;

hoc est, per actionem necessariam, sive naturalem, & non liberam. De hoc postea.

2. Verbum ergò in communi communitèr solet dividi in *vocalem, imaginativum, & in verbum mentis*. Verbum vocale est signum verbi interni, exterius prolatum à loquente, & manifestativum illius, quod est in mente. Verbum imaginativum est signum rei imaginatæ internæ, prolatum ab ipsomet imaginante. In præfenti de istis non loquimur; quia istis non potest adaptari definitio verbi supra assignata in rigore sermonis. Loquimur ergò de verbo mentis, strictè sumpto.

3. Verbum ergo mentis sic sumptum, sic definitur à N. Doct. in 1. dist. 27. quæst. 3. num. 14., & alibi sæpe: *est actus intelligentiæ, productus à memoria perfectâ, non habens esse sine actuali intellectu, representans Verbum divinum*. Explicatur hujusmodi definitio: dicitur *actus intelligentiæ*; quia constituit intelligentem, sicut albedo album, & calor calidum. Dicitur, *productus à memoria perfectâ*; quia verbum producitur ab intellectu fecundato objecto, vèi ejus speciæ; per quodque distinguitur ab intellectu, non producta ab ipsamet memoriâ, seu aliunde, & ab extrinseco, ut diximus quæst. antec. Ponitur, *non habens esse sine actuali intellectu*

ne; non quia sit terminus intellectionis, aut ab ea distinctum, sed quia in ratione verbi aliquid aliud superaddit intellectioni. Qualitas enim intellectionis cum respectu ad objectum in ratione termini est intellectio; cum respectu vero ad intellectum, & objectum in ratione totalis principij, totaliter producentis, dicitur *verbum*: quare verbum in ratione verbi necessario includit respectum naturaliter producti ad memoriam fecundam naturaliter producentem.

4 Tandem ponitur, *representans verbum divinum*; quia verbum nostrum est secunda pars imaginis Sanctissimæ Trinitatis: nam memoria fecundata specie, correspondet Patri: verbum mentis correspondet Filio: & tandem amor Spiritui Sancto. Sed hic maxime observandum est, maximum esse discrimen inter Verbum creatum, & increatum. Principaliter discrimen quoad nostrum intentum est, quod verbum creatum constituit creaturam formaliter intelligentem; non sic Verbum Divinum, respectu Patris Æterni. Ratio est; quia Pater Æternus non intelligit, nisi per notitiam ingenitam, quæ dicitur *intellectio essentialis*; & sic, prius intelligit, quam producat verbum: nos vero prius producimus verbum, quam intelligamus.

5 Si autem scire vellis,

quænam sit ratio hujus discriminis? Quamvis certè plenè Theologica sit: dico tamen, hoc ideò esse; quia nos ut intelligamus ex indigentia requirimus producere Verbum, & intellectionem; non sic Pater Æternus, qui intelligit per intellectionem essentialem, & ex plenitudine perfectionis suæ memoriæ fecundæ producit Verbum Divinum. Quænam autem sit hæc plenitudo perfectionis? Dicitur in Materia de Trinitate. Ex dictis deniquè constat, quod non omne Verbum est intellectio; nam Verbum Divinum, quod est propriè Verbum, non est formaliter intellectio; nec omnis intellectio actualis est formaliter Verbum, ut patet in illa, quæ produceretur à solo Deo: immò, nec visio Dei, à Beatis producta in via N. Doct., est formaliter Verbum; quia non est naturaliter producta, sed libere ab Essentia Divina. Vidè, quæ diximus num. 1. His notatis, pro resolutione primæ part. quæst.

6 Dico: quod Verbum mentis, à nobis regulariter productum, est ipsamet actualis intellectio. Hæc conclusio est contra plures Thomistas, asserentes, Verbum mentis, esse qualitatem productam per intellectionem, in qua, tamquam in objecto prius cognito, cognoscit objectum. Nostra conclusio solet probari varijs autoritatibus Sanct. PP.: pri-

primò ex August. 9. de Trinitate cap. 16., ubi ait : *cogitatio quippè nostra perveniens ad illud, quod scimus, atque inde formata, Verbum nostrum est.* Idem habet 15. de Trinitate cap. 10.: *formata quippè cogitatio de eo, quod scimus, Verbum est.* Hoc idem habet Div. Anselmus in Monologio cap. 13., cujus auctorit., & aliorum Sanct. Patrum, videte passim in Authoribus.

7 Prob. conclus. ratione: Verbum nostrum est aliquid, quod sit in intellectu; sed hoc ipso est ipsamet actualis intellectio: ergò est. Mai. constat ex definitione verbi. Prob. min.: omne, quod est in intellectu, vel est species intelligibilis: vel est objectum secundum esse cognitum; aut secundum esse reale: vel est aliquid productum per intellectionem: vel tandem est ipsamet intellectio; sed Verbum nostrum nequit esse species intelligibilis; nam Verbum generatur ab intellectu fecundato specie intelligibili: & tunc iam hæc concurreret partialiter ad sui productionem: nec est objectum cognitum; quia ad objectum in se cognitum, requiritur, quod producat aliquid, à quo denominetur cognitum; & hoc aliquid productum erit ipsummet Verbum: nec est objectum secundum esse reale; quia hoc supponitur iam pro-

ductum; & consequenter nullo modo productum ab intellectu: nec tandem est aliquid productum per intellectionem; quia ut diximus quæst. antec. intellectio non est actio productiva alienius termini: ergò à sufficienti partium enumeratione, verbum mentis est ipsamet actualis intellectio.

8 Dices 1. contra conclusionem: *Verbum, quod foris sonat, est signum verbi, quod intus latet;* sed Verbum, quod foris sonat, non est signum intellectionis; sed potius rei intellectæ: ergò Verbum mentis non est intellectio, sed objectum cognitum. Maior est Divi August. 15. de Trinitate cap. 10. Resp. tamen cum Doct. cit. in 1. dist. 27. quæst. 3., concedendo mai., & negando minor. Ratio est; quia Verbum, quod foris sonat significat, & rem intellectam, & intellectionem; cum hoc tamen discriminè, quod primario significat rem, & secundario intellectionem. Videte dicta in Logica in Libris Peryermenias, ubi probatum manet, voces prius significare res, quam conceptus.

9 Dices 2.: juxta Mag. Parentem August. 8. de Trinitate cap. 6., *phantasia Carthaginiensis in memoria est Verbum eius;* sed phantasia est species intelligibilis: ergò & Verbum mentis; & consequenter non est in-

rellectio. Resp. cum Doct. explicando mai. : phantasia cathaginis in memoria est causalitèr, sive originalitèr verbum ejus, conc. mai. : formalitèr, sive in sensu formali, nego mai. Est dicere: phantasia concurret cum intellectu ad producendum verbum mentis, tamquam causa partialis ipsius, quod & nos docuimus quæst. 1. hujus. Qui plura desideraverit de verbo mentis, legat Pontium in additionibus contra Mastrium, & istum in sua Appendice contra Pontium.

1. Quoad secundam part. quæst. Dico breviter, quod Verbum mentis propriè producitur à memoria, sive ab intellectu fœcundo, mediante actione, quæ dicitur DICTIO. Est Doct., & August. ; proximè citati. Prob. à paritate: omne verbum, sive vocale, sive divinum, producitur per veram actionem: ergò similiter Verbum mentis. Confirm. : Verbum ex iam dictis, est intellectio: ergò necessariò debet produci per actionem veram, & propriam. Prob. consequ. : implicat terminus verè productus absque vera actione; sed intellectio, utpotè qualitas, est terminus verè productus: ergò si Verbum, &c. Dicitur productus per *diccionem*; quia intellectus producendo Verbum, dicitur, exprimitque suum conceptum.

QUÆST. VII:

De triplici intellectu operatione.

CUM transitoriam notitiam trium intellectus operationum dederimus in initio summularum, nunc, ut in proprio loco, aliqua dubia de ipsis in particulari examinabimus per sequentes parafas. Sit

§. I.

De simplici apprehensione.

1. **D**UBITABIS I. : an in simplici apprehensione possit concipi pro objecto integra propositio objectiva? Certum est; ad simplicè apprehensionem spectare terminos, sive simplices, & incomplexos, ut *homo, animal, &c.*, sive complexos, ut *homo albus; animal rationale*. Quarè difficultas solum procedit de integra propositione, ut *Petrus est albus*. Resp., quod *integra propositio objectiva potest esse objectum simplicis apprehensionis*. Est Subt. Doct.

Doct. in 2. dist. 6. contra Vazquez, & alios paucos. Probat. ratione: integra propositio includit terminos enuntiationis, eorum unionem, aut identitatem, significatam per copulam; sed hoc omne concipimus simplici apprehensione: ergò integra propositio est objectum simplicis apprehensionis. Minor quoad secund. part. prob.; quia dum quis alteri profert: *Petrus est albus* v.g., audiens, percipit totam propositionem, quin ipsi assentiat, vel dissentiat, quod est proprium iudicij: ergò per simplicem apprehensionem, nihil afirmando, aut negando, percipit totam proposit. objectivam.

2 Prob. 2., evertendo fundamentum contrariorum: ideò per simplicem apprehensionem non conciperetur tota propositio objectiva; quia hoc spectaret ad iudicium; sed hoc est falsum: ergò, &c. Prob. min.: sola illa cognitio unionis, sive identitatis extremorum est iudicium, quæ fertur in illam afirmando, aut negando, componendo, aut dividendo: in hoc enim stat ratio iudicij; sed cognitio illa, qua concipiuntur extrema, unioque eorum, nec afirmat, nec negat, sed simpliciter percipit: ergò talis cognitio non pertinet ad iudicium, sed ad simplicem apprehensionem. Sed nota, quod quamvis idem objectum materiale possit esse, tam simplicis

apprehensionis, quam iudicij, non tamen idem formale; nam iudicij est ununctio cum afirmitioe, & negatione; simplicis autem apprehensionis est simplex attingentia sine afirmitioe, aut negatione.

3 Dubit. 2.: an in simplici apprehensione servetur veritas, aut falsitas? Respond. *quod servari potest veritas, non autem falsitas, nisi impropria.* Quoad utramque part. est communis. Probaturque prima pars: veritas formalis in representando, ex dictis in Logica Magna Lib. Peryhermenias, consistit formaliter in conformitate cum objecto representato prout est in se; sed nostra simplex apprehensio persèpè conformatur cum re apprehensa, prout est in se: ergò in ea reperitur veritas formalis. Prob. min.: actus simplicis apprehensionis est imago importans conformitatem cum suo objecto: ergò actus simplicis apprehensionis persèpè conformatur cum re apprehensa prout est in se.

4 Prob. secunda pars conclus., & primò ex Philos. 9. Metaph. cap. 8. text. 22. dicente: intellectum per conceptus simplices, nec falli, nec decipi; sed potius non attingere & ignorare objectum. Probat. tamen ratione: ideò reperiretur falsitas in simplici apprehensione, quia intellectus intendens

apprehendere unum objectum, nō apprehenderet ipsum, sed aliud ut dum apprehendit aurichalcum intendens apprehendere aurum; sed in hac apprehensione non stat falsitas: ergo. Prob. min.: in tali apprehensione aurum nullo modo concipitur; sed solum aurichalcum; quā intellectus solum attingit illud, quod proponitur: ergo in tali apprehensione non stat falsitas. Prob. consequentia: falsitas conceptus consistit in disconformitate objecti prout in se cum objecto concepto: ergo si in tali apprehensione nullo modo concipitur aurum, non potest concipi conceptu falso. Reperitur tamen in simplici apprehensione falsitas improprie, hoc est, per similitudinem cum falsitate iudicij.

5 Dices: per simplicem apprehensionem apprehenditur multoties res cum prædicato sibi repugnanti, seu aliter, ac est in se: ergo in tali apprehensione stat falsitas. Antec. constat; quia quamplurimè concipimus Angelum corporeum, hominem lapidem, &c.: ergo. Resp. disting. antec.: multoties apprehenditur res aliter ac est in se, sine affirmatione, aut negatione, conc. antec.: affirmando, aut negando, negò antec., immò & suppositum. Itaque dūm concipitur Angelus sub specie corporea, solum concipitur significatum huius complexi: *Angelus corporeus*:

non autem hoc affirmatur; quin immò in simul stat iudicium intellectus, quo affirmat, Angelum non esse corporeum, nec hominem lapidem. Undè nulla deprehenditur falsitas in tali simplici apprehensione.

6 Ut alia contra 1. partem solvantur, advertite ex N. Subt. Doct. 6. Metaphysicæ quæst. 3. §. *Dicendum est*, quod veritati simplici apprehensionis, non opponitur falsitas proprie dicta, sed solum ignorantia, seu nescientia, aut non attingentia rei. Explicat hoc Subt. Doct. exemplo Philosophi 3. de Anima: si visus v.g. percipit visibile, tunc dicitur verus: si verò objectum visibile non attingat, non ob hoc dicitur falsus, sed non videns, aut non attingens objectum. Ità ergo discurrendum est de simplici apprehensione: si ergo objectum apprehendit, tunc vera est; quia conformatur cum objecto apprehenso: si autem illud non attingit, tunc penitus ignorat, & consequenter non adest falsitas, aut deceptio, sed ignorantia, nescientia, aut non attingentia rei.



§. II.

De Iudicio.

7 **O**BJECTUM Iudicij formale proximum, & immediatum non sunt termini simplices, ut *subiectum*, *copula*, & *prædicatum*, sed tota propositio, ut hæc est enuntiatio, per modum affirmabilis, aut negabilis, componendo, aut dividendo, intellectu ferendo sententiam. De iudicio sic sumpto, sunt aliquæ difficultates hinc breviter discutendæ.

8 Dubitab. I. : an iudicium distinguatur ab assensu, vel dissensu propositionis? In hac difficultate sunt inter se divisi Scotistæ. Quidam enim cum Liquero, Vulpes, & alijs Antiquioribus tenent, quod assensus semper est actus reflexus, quo intellectus reflectit supra actum affirmativum, seu compositivum: & dissensus etiam est actus reflexus supra actum negativum, aut divisivum; & consequenter tenent, quod assensus, & dissensus propositionis distinguuntur à iudicio ipsius. Huic sententiæ adheret Nost. Salmant. Alij cum Mast. hinc Disput. 6. quæst. 10. art. 2. oppositum tenent. Cum quibus

9 Dico: *iudicium non distinguitur ab assensu, vel dissensu propositionis.* Deducitur ex Doct. in 4. dist. 47. quæst. 1. Prob.: assensus alicui propositioni nihil aliud est, quam adhæsiō intellectus ipsi, affirmando, esse veram: per oppositum, dissensus est recessus intellectus à tali propositione: negando ejus veritatem: ergo assensus est ille actus, quo affirmamus veritatem propositionis: & dissensus est actus, quo eam negamus; & consequenter iudicium non est actus distinctus ab assensu, aut dissensu propositionis. Confirm.: ad assentiendum alicui propositioni, non requiritur actus reflexus, quo intellectus reflectat supra actum affirmativum, sed sufficit iudicare, & affirmare, ut veram: idem per oppositum dic de dissensu: ergo assensus, & dissensus est idem, ac affirmatio, & negatio propositionis.

10 Dices tamen contra hoc: datur propositio affirmativa, cui intellectus non assentiat: & propositio negativa, cui assentit intellectus, ut patet in his propositionibus: *Petrus est lapis: Petrus non est lapis*: ergo affirmatio, & negatio sunt actus omninò distincti ab assensu. Resp., concessio antec., negando consequ. Aliud enim est quod cognoscatur propositio affirmativa, ut affirmativa: aliud vero, cognoscere illam affirmando; per sim-

simplicem enim apprehensionem cognoscitur propositio affirmativa, sed non affirmatur. Unde prima propositio posita in replica etsi cognoscatur, ut affirmativa; non tamen affirmatur, sed intellectus per suam judium dissentit ipsi; quia ipsam cognoscit, ut falsam: è contra dicendum est de secunda propositione. Nota, quod per hoc non negamus, quod aliquandò assensus, & dissensus sit actus reflexus, quo cognoscatur, & affirmetur veritas, quæ erat in alia propositione, ut cum dicimus: *hæc cognitio est vera*: quod negamus est, quod semper & pro semper assensus, aut dissensus sit actus reflexus, distinctus à judicio.

11 Dubit. 2.: an assensus, & disensus, seu iudicium affirmativum, & negativum versentur circa idem objectum. Resp. affirmativè. Est communis. Prob.: affirmatio, & negatio sunt actus contradictorii in modo tendendi; sed hoc ipso debent versari erga idem objectum: ergò &c. Probat. min.: contradictio est affirmatio, & negatio ejusdem de eodem, & secundum idem: ergò, si affirmatio, & negatio sunt actus contradictorii in modo tendendi, debent esse ejusdem de eodem, & secundum idem: hoc est, ejusdem objecti, & secundum idem objectum. Confirm. hoc exem-

plo: hæc iudicia: *Petrus loquitur*: *Petrus non loquitur*, immediatè opponuntur, & hoc contradictoriè; sed hoc ipso debent habere idem omninò objectum propter rationem datam contradictionis: ergò habent.

12 Dices contra hoc: iudicium affirmativum habet pro objecto existentiam rei: negativum autem carentiam existentiae; sed existentia, & carentia existentiae non sunt idem objectum: ergò iudicium affirmativum, & negativum non habent idem objectum. Resp. disting. mai.: iudicium affirmativum abstractivè, & signatè sumptum, respicit existentiam: & negativum, sic sumptum, illius carentiam, conc. mai.: iudicium affirmativum, exercitè, & concretivè captum, nego mai., & concessa min., nego conseq. Itaque iudicium affirmativum, & negativum non debent sumi abstractivè, & signatè, sed exercitè, & concretivè ad idem subiectum, & prædicatum, sub diverso modo tamèn tendendi, alias nulla servaretur contradictio, cum deficeret affirmatio, & negatio ejusdem, de eodem, & secundum idem. Hi ergò actus se habent erga idem objectum, sicut amor, & odium, qui versantur erga idem objectum, solùmque differunt ex modo tendendi, hoc est prosecutivè, & adhæsitivè, vel recessivè, & per mo-

modum fugæ.

13 Dubit. 3. : an iudicium sit simplex qualitas; vel compositum ex pluribus apprehensionibus? Resp. ; *iudicium in se formaliter consideratum est actus omnino simplex superadditus realiter simplici apprehensioni.* Hæc conclusio est communis. Prob. : si iudicium esset actus compositus, componeretur ex simplicibus apprehensionibus subiecti, prædicati, & copulæ; sed ex his nequit componi: ergò quia est actus simplex. Probat. min. : omnes illæ apprehensiones possunt stare in intellectu, quin stet iudicium, quia potest percipi sensus, & significatum propositionis, quin aliquid affirmetur, aut negetur per iudicium: ergò quia iudicium formaliter sumptum est aliquis actus simplex, realiter superadditus simplici apprehensioni. Confirm. : de ratione actus collativi est, quod in se manens unus, & idem, indivisibiliter attingat utrumque extremum; sed iudicium est actus collativus, & compositivus unius extremi cum alio affirmando, vel negando: ergò est unus indivisibilis actus.

14 Dices; intellectus ex dicendis postea, unico, & indivisibili actu nequit cognoscere plura, ut plura; sed iudicium terminatur ad plura objecta, & persèpe valdè inter se diversa, ut homo, equus, &c.:

ergò quia iudicium nequit esse unus simplex actus. Resp., concessa mai., disting. min. : sed iudicium versatur inter plura objecta, valdè diversa, solum materialiter; conc. min. : valdè diversa formaliter, nego minor. Itaque, licet iudicium versetur inter hominem, lapidem, &c., tamen, ut ab ipso attingantur, se habent per medium unius; & ratio est, quia iudicium est actus collativus, tendens in plura diversa sub una quadam ratione, in qua illa confert abinvicem sub ratione convenientis, vel disconvenientis. Undè, quamvis plura attingat, ea intelligit, ad quamdam unitatem reducendo. Vel dic, quoad ad summum sequitur, quod iudicium objective sumptum sit compositum; subjectivè verò est unum, & simplex.

§. III.

De Discursu.

15 **P**LURA, ad hanc tertiam operationem intellectus spectantia, discussa manent, tum in Logica parva, seu Summulis, agendo de *argumentationum* in Logica Magna, in Libris Peryermenias. Quare breviter
hic

hic aliqua dubia de discursu resolvemus. Dubitabis ergò 1.: quid sit discursus, & in quo essentialitèr consistat? Discursus sic communiter definitur: est cursus, & progressus mentalis, quo intellectus ex uno noto, aliud ignotum deducit, & infert. Ex qua definitio constat, quod ad discursum non sufficit, quod intellectus cognoscat duo unum, post aliud: sic enim plures apprehensiones, vel iudicia, sibi invicem succedentia, essent discursus. Est enim ultra necessarium, quod unum cognoscatur, ut causatum, & ut dependens ab alio. Undè assensus, tam antec., quam consequentis secundum se considerari, non est formalitèr discursus, sed iudicium; cum discursus formalitèr, ut talis, sit assensus consequentis, ut illati, causati, & dependentis ab assensu antecedentis. Ex quo

16 Dico quoad secundam part. Conclusionis, quod *discursus formalitèr, & essentialitèr consistit in unico actu, scilicet, in assensu consequentis, ut dependentis, & illati ex assensu antecedentis.* Hæc conclusio in re est communis. Prob. ex Doct. quodlib. 13. §. Sed queratur: quæcumque operatio nostri intellectus est per se unum, reponibile in prædicamento qualitatis; sed discursus est vera, & præcipua operatio intellectus: er-

gò erit unus per se actus reponibilis in prædicamento qualitatis. Nunc sic; sed non est formalitèr assensus antecedentis, nec consequentis, secundum se considerati; quia isti actus, secundum se spectati, attinent ad secundum operationem intellectus: ergò consistit formalitèr in assensu consequentis, ut dependentis, & illati ex assensu antecedentis.

17 Dices: discursus, formalitèr, qua talis, consistit in iudicio illativo; sed iudicium illativum non est assensus consequentis, adhuc ut illati ex antecedenti: ergò discursus non consistit in tali actu. Prob. min.: iudicium illativum explicatur per ly ergò; sed huic actui non correspondet antecedens, cum præcedat; nec consequens; cum hoc consequatur ad talem actum: ergò iudicium illativum &c. Resp. negando min. Ad prob. dico, quod per ly ergò, utique explicatur illatio; sed illatio, seu iudicium illativum non est actus realitèr distinctus ab assensu consequentis; sed est ipsemet assensus consequentis, ut causatur ab assensu antecedentis. Undè notitia consequentis, ut causati, & illati essentialitèr includit illationem: qua propter non distincto actu attingitur consequens, & illatio; sed uno, eodemque actu.

18 Dubit. 2. : an discursus sit realitèr, & essentialitèr distinctus ab apprehensione, & iudicio? Resp. affirmativè, quoad utramque part. Prob. prima pars: discursus dependet à simplici apprehensione, & iudicio; nam isti actus presupponuntur necessariò ad assensum conclusionis; quia cognitio antecedentis ita est causa cognitionis consequentis, ut ex vi cognitionis unius veniat intellectus in cognitionem alterius; sed ubi est dependentia unius ab alio, ibi reperitur distinctio realis: ergò cum discursus dependeat ab apprehensione, & iudicio, distinguitur realitèr ab ipsis. Prob. secunda pars conclus.: diversitas in objectis arguit diversitatem essentialè, & specificam in actibus; sed simplex apprehensio, iudicium, & discursus habent diversa objecta formalia; nam objectum apprehensionis suat termini simplices, & complexi; iudicij veritas propositionis; discursus verò est veritas mediata, seu deducta ex alia propositione prius nota: ergò hi actus sunt essentialitèr distincti.

19 Dices: discursus formalitèr qua talis, includit iudicium: ergò nequit essentialitèr distingui ab ipso. Distinguo antec.: discursus, formalitèr qua talis includit iudicium illativum, concedo antec.: includit iudi-

tium enuntiativum, nego antec. Eisdem terminis distinguitur consequens. Itaque, licèt discursus sit iudicium, non tamen est iudicium enuntiativum, sed illativum; quia non est de unione, & connexionè terminorum, sed de consecutione unius propositionis ex alia: & sic discursus non explicatur per copulam verbalem *sum, est fui*; sed per rationalem, seu illativam *ergò*, quæ est nota illationis. Ex quo apparet, quod est distinctio inter iudicium enuntiativum, & illativum.

QUÆST. VIII.

De reliquis actibus intellectus.

EGIMUS iam de *intellectio-
ne*, quæ est principalis actus intellectus in communi: similiter etiam de *verbo mentis*; deque tribus operationibus intellectus; restat nunc nobis solùm agere de cognitionibus *intuitiva, abstractiva, quidditativa, & comprehensiva*, quarum notitiæ sunt valdè utiles, tam Philosophiæ, quam Theologiæ: & maximè pro Tract. de *Visione Beatifica*. Quod ut clarius fiat per paragrafos quæst. dividemus.

§. I.

De cognitione intuitiva, & abstractiva.

1 **Q**UID sit cognitio intuitiva, quidque abstractiva, satis constat ex dictis in Summulis; cognitio enim intuitiva est cognitio rei præsentis, & existentis, prout in se præsens, & existens est, vel in aliquo eminentiori. Additur hæc ultima particula quia visio, qua Beati vident creaturas, in Verbo existentes, est intuitiva; quia sunt in aliquo eminentiori contentæ, scilicet, in Essentia Divina. Cognitio abstractiva est cognitio rei, non in ipsa, sed in specie representativa sui relucens: ut cognitio, qua cognosco Petrum absentem, media specie representativa ipsius, qua excitatur mea potentia ad ipsum cognoscendum. Nunc autem est inter Philosophos gravis.

2 **D**ifficultas: quomodo cognitio intuitiva, & abstractiva inter se differant? Clarius proponi solet hæc difficultas: an scilicet cognitio intuitiva differat ab abstractiva, tam ex parte principij productivi ipsius,

quam ex parte termini ad quæ terminatur. Explicatur: notitia intuitiva differt ab abstractiva ex parte principij productivi, si petit causari ab objecto in se præsentem immediate, (vel saltem mediate) & existente, ita ut nullo modo species impressa possit esse ejus comprincipium. E contra se habeat abstractiva, hoc est, quod necessariò petit causari immediate ab specie impressa objecti. Si res ita se habeat, cognitio intuitiva distingueretur ab abstractiva ex parte principij. Similiter, si cognitio intuitiva petit immediate terminari ad rem in propria natura existentem, & præsentem: è contra verò, abstractiva petit terminari ad objectum in specie relucens, sive, à parte rei existat, sive non: tunc jam istæ cognitiones distinguuntur ex parte termini. Re sic declarata, difficultatem per duplicem conclusionem resolvemus.

3 **D**ico 1.: cognitio intuitiva differt ab abstractiva ex parte principij. Est contra Thomistas, qui volunt, notiam intuitivam fieri posse per speciem. Est tamen Subr. Doct., omnium Scotist. Prob. 1. ex Doct. in 4. dist. 49. quæst. 12. num. 6. §. Respondeo, ubi ait: *actus abstractivus, & intuitivus differunt specie; quia aliud, & aliud, est ibi movens: hic enim movet species similis rei, ibi autem*

tem movet res præfens in se. Et quodlib. 13. §. Circa secundum; num. 10. ait: dicimus igitur, cognitiones distinctæ (loquitur de intuitiva, & abstractiva) & hoc secundum speciem propter rationes formales motivas hinc, inde; quia in cognitione intuitiva res in propria existentia est per se motiva objectivè; in cognitione autem abstractiva est per se motivum aliquid: puta species: ergo juxta Subt. Doct. cognitio intuitiva differt ab abstractiva ex parte principij moventis.

4 Prob. 2. conclusio ratione: cognitio intuitiva nequit haberi medio illo principio, eodem modo se habente, sive objectum maneat, sive non; sed species intelligibilis repræsentat rem indifferenter sive existat, sive non existat, sive sit præfens, sive non: ergo talis species nequit esse principium cognitionis intuitivæ. Minor est expressa in Doct. cit. in 4. dist. 10. quæst. 8. Et etiam constat ratione; quia species intelligibiles, etsi dependant ab objecto in suo fieri, non tamen in conservari: undè in repræsentando abstrahunt à præfentia, vel absentia objecti. Maior primi syllogismi probatur; quia notitia intuitiva tendit in objectum in se existens, ac immediate præfens, nedum specificativè, sed etiam reduplicativè: ergo impossibile est, cogni-

tionem intuitivam fieri per speciem: sed per objectum in se præfens fieri debet.

5 Sed quia in explicacione hujus primæ partis num. 2. hujus, diximus, quod petit causari cognitio intuitiva ab objecto in se immediate (vel saltem mediatè præfente), ideò hoc explicare necesse est. Et explicatur paritate sensationum externarum, quæ sunt notitiæ intuitivæ, & causantur immediate ab speciebus impressis, & mediatè ab objectis. Ratio est; quia istæ species sunt talis nature, ut non solum in suo esse, & fieri dependant ab immediata præfentia objecti; sed etiam in conservari; ita ut, si objectum destruitur, vel fiat absens, statim species pereat. Undè cognitio per eas habita, dicitur dependere ab objecto existente, & præfente saltem mediatè. Quare, si detur aliqua cognitio intellectualis media specie impressa, quæ pendeat à præfentia immediata objecti in suo esse, fieri, & conservari, ita ut desinat esse, absente objecto, tunc talis cognitio poterit dici intuitiva, quia necessariò pendet à præfentia objecti quoad suum conservari, saltem mediatè.

6 Arg. 1.: ad notitiam intuitivam requiritur species objecti: ergo ex parte speciei, seu principij non distin-

guntur prædictæ cognitiones. Prob. antec. : ad cognitionem sanctorum externorum, visus v. g.; requiritur species objecti visibili; sed hæc cognitio est intuitiva; ergo ad cognitionem intuitivam &c. Resp. negando antec. Ad prob., concessis præmissis, nego conseq. Disparitas satis constat ex dictis num. antec.; quia species impressa, deserviens visui ad videndum ita dependet ab objecto in suo fieri, & conservari, quod deficienti objecto, deficiat species. Unde talis species non se habet indifferentè, & eodem modo, sive objectum sit præsens, sive absens. Species verò movens intellectum, eodem modo, se habet regularitè loquendo, æqualitèrque repræsentat objectum præsens, & absens; quia conservatur in memoria intellectiva. Vide immediatè dicta.

7 Arg. 2. : si Deus se solo produceret intellectiorem in intellectu meo, isto merè passivè se habente, supplendo activitatem objecti, ut possibile judicamus, tùm utique ego possem cognoscere intuitivè objectum; sed in hoc casu non curreret objectum in ratione principij productivi talis cognitionis: ergo ex parte principij nequit distingui cognitio intuitiva ab abstractiva. Confirm. ex Subr. Doct. in 3. dist. 15. §. *Ad argumenta principalia* num. 33.,

ubi docet, quod respectus cognitionis intuitivæ ad objectum in ratione terminantis est quidem essentialis: respectus verò in ratione movens, est solum accidentaliter: ergo, juxta Doct. istæ cognitiones ex parte principij ad summum distinguuntur accidentalitèr. Resp. ad Argum., concessis præmissis, distinguendo consequens: ergo non distinguuntur ex parte principij, respiciendo potentiam Dei absolutam, conc. conseq. respiciendo potentiam ordinariam, & regularem, neg. conseq.

8 Itaque cognitio intuitiva, utpotè qualitas absoluta, non dependet ita essentialitèr ab objecto in ratione principij, quin ejus dependentia possit à Deo suppleri: sicut & potest suppleri à Deo dependentia, quam dicit cognitio abstractiva ab specie impressa in ratione comprincipi. Sed sicut cognitio abstractiva, naturalitèr loquendo dependet ab specie impressa objecti in ratione principij; ita cognitio intuitiva naturalitèr loquendo dependet ab objecto præsentem, & existentem reduplicativè. Ad confirm. resp., quod Doct. non loquitur absolute, sed comparative: solum enim vult, quod respectus cognitionis ad objectum, ut movens, non sit æquè essentialis, sicut respectus ipsius ad objectum, ut terminans. Et ratio est

est ; quia primus respectus pertinet ad genus causæ efficientis, supplebilis à Deo de potentia extraordinaria : secundus verò spectat ad genus causæ formalis, qui nequit sic suppleri ; undè hic est magis essentialis, quam ille.

9 Arg. 3. : intellectus cognoscit intuitivè objecta materialia ; sed non, nisi per speciem intelligibilem impressam : g. hæc requiritur ex parte principij ad cognitionem intuitivam : sicut & ad abstractivam. Minor constat primò, tum ex illo Philosoph. : *lapis non est in intellectu, sed species lapidis* : tum à ratione ; quia objectum materiale nequit fieri præsens intellectui, nisi per speciem intelligibilem. Confirm. : objectum debet esse proportionatum potentia ; sed objectum materiale est improporcionatum intellectui ; cum iste sit potentia immaterialis : ergo debet proportionari per aliud ; sed hoc aliud nequit esse, nisi species intelligibilis : g. hæc est necessaria in omni intellectu, sive intuitiva, sive abstractiva : & consequenter cognitio intuitiva habetur media specie, tamquam principio.

10 Resp. disting. mai. argument. : intellectus, solutus à sensibus, cognoscit intuitivè objecta materialia, conc. mai. : intellectus ligatus sensibus nego mai., & min. Ad cujus

probat. disting. antec. : objectum materiale nequit fieri præsens intellectui præsentia entitativa, nisi per speciem, nego antec. : præsentia objectiva, hoc est in ratione objecti subdisting. antec. : pro statu isto, conc. antec. : pro statu separationis, nego antec., & consequentiam. Itaque omnis nostra cognitio pro statu isto ortum ducit à sensibus, & phantasmatibus, & sic semper est abstractiva, & nullo modo intuitiva : in statu autem separationis potest objectum, saltem mediater movere per se potentiam, & sic ejus cognitio potest esse intuitiva. Ad confirm. dico, quod inter potentiam, & objectum requiritur proportio moventis ad mobile, non autem entitativa : & illa datur inter objectum materiale, & intellectum solutum à sensibus. Videte dicta quæst. 1. hujus in notabilibus.

11 Dico 2. : *cognitio intuitiva distinguitur ab abstractiva etiam ex parte termini.* Hæc conclusio est communis, & Nost. Doct. in 2. dist. 3. quæst. 9. §. *Ad quæstionem.* Prob. cognitio, quæ petit terminari à termino in propria natura existente, & præsentis, distinguitur ex parte termini cogniti ab illa cognitione, quæ ita non petit terminari ; sed cognitio intuitiva petit terminari à termino, in propria natura existente, & præsentis : cog-
ni-

nitio autem abstractiva terminatur à termino, in specie relucens, sive terminus existat, sive non: ergò istæ cognitiones distinguuntur ex parte termini. Per quod prob. quod hæc distinctio non est merè accidentalis, sed essentialis: pro cuius clariori intelligentia videantur dicta in Physica agendo de distinctione specifica motus.

12 Dices contra istam conclusionem: in tantum istæ cognitiones distinguerentur ex parte termini, in quantum intuitiva deberet esse præcisè rei præsentis, & existentis, prout præsens, & existens est; sed datur cognitio intuitiva, quæ non sit talis rei: ergò non distinguuntur ex parte termini. Prob. minor: cognitio, qua Deus, & Beati vident creaturas, sive possibiles, sive futuras, est intuitiva; in Patria enim non datur cognitio abstractiva; quia ista dicit imperfectionem; sed tales creature non habent, nec præsentiam, nec existentiam propriam, qua possint terminare cognitionem, sive Dei; sive Beatorum: ergò cognitio intuitiva iam est rei præsentis, & existentis, non prout in se præsens & existens est. Resp.: quod hæc replica facile solvitur ex ipsa definitione cognitionis intuitivæ; nam hæc est rei præsentis, & existentis, prout in se præsens, & existens est, *vèl in*

aliquo eminentiori. Undè creaturæ possibiles videntur à Beatis intuitivè in aliquo eminentiori, hoc est, in Essentia divina.

13 Dices 2.: cognitio abstractiva est termini, seu objecti, præsentis, & existentis, non præcisè in specie, sed in se: ergò non distinguitur ab intuitiva ex parte termini. Prob. antec.: si per cognitionem intuitivam cognosceretur solum objectum, relucens in specie, solum cognosceretur species, non verò objectum; sed hoc est falsum: ergo, &c. Resp. negando antec.: & antec. probationis; quia licet per cognitionem abstractivam cognoscatur objectum relucens in specie, non est ipsa species, quæ terminat cognitionem, sed ipsummet objectum, præscindens ab existentia, vèl non existentia ipsius.

14 Dices ultimò: per cognitionem abstractivam cognoscitur existentia rei: ergò cognitio abstractiva habet pro termino existentiam, seu est rei præsentis, & existentis, & consequenter non distinguitur ab intuitiva ex parte termini. Antec. est expressum N. Subt. Doct. in 2. dist. 3. quæst. 9., ubi docet, quod Angeli in via ab initio creationis habuerunt per speciem infusam divinæ Essentiæ cognitionem abstractivam, claram, & distinctam; sed huiusmodi cognitio non poterat præ-

eindere ab existentia Dei; cum hæc sit de ratione formati quidditativa ipsius: ergò per cognitionem abstractivam cognoscitur existentia rei. Respond. disting. antec.: per cognitionem abstractivam cognoscitur existentia rei prout præsens, & existens in specie, conc. antec.; prout in se præsens, & existens, nego antec., & conseq. Itaque non negamus, quod per cognitionem abstractivam possit attingi existentia rei, ut terminus seu ut objectum; sed quod negamus est, quod ipsamet existentia, prout in se præsens, & existens, possit terminare cognitionem abstractivam, sicut terminat intuitivam.

15 Dubit. hic: quid sit cognitio quidditativa: & an præscindat ab intuitiva, & abstractiva? Cognitio quidditativa est illa, qua res clarè, & distinctè cognoscitur, quoad sua prædicata quidditativa, & essentialia. An verò hoc conveniat, tam cognitioni intuitivæ, quam abstractivæ? Dubitant aliqui. Sed pars affirmativa est communior. Et quoad cognitionem intuitivam per se patet: quoad abstractivam, suadetur; quia, si species representans quidditatem rei fuerit clara, & distincta, cognitio clara, & distincta erit; sed possibilis est talis species: ergò & cognitio abstractiva rei, clara, & distincta.

16 Sed ut hæc melius percipiatur notare ex dictis quæst. 4. hujus, quod aliud est *quidditativè* cognoscere rem; & aliud cognoscere *quidditatem* rei. Cognoscere quidditativè rem, est clarè, & distinctè cognoscere essentiam talis rei, prout explicatur in sua definitione. Cognoscere autem quidditatem rei, est, cognoscere essentiam ipsius præcindendo ab eo, quod cognoscatur clarè, aut confusè. Et tam cognitio quidditativa, quam cognoscere quidditativè, potest haberi per cognitionem, sive intuitivam, sive abstractivam.

§. II.

De Cognitione Comprehensive.

17 **D**UBITAB. I.: quid sit comprehensio. Famosa apud Theologos est hæc cognitio, pro cuiusque intelligentia, non parum laborant. Nos hic breviter ejus naturam, & condiciones explicabimus. Cognitio ergò comprehensiva sic primò à Mag. Parente Augutt. Lib. 12. de Civitate Dei cap. 18. describitur: *illud scientia comprehenditur, quod scientis cognitione finitur.* Sed circa istam ultimam particulam ad-

verte ex Nost. Doct. in 3. dist. 14. quæst. 2. §. *Ad secundum*, quod ly *cognitione finitur* non est ita intelligendum, quod res comprehensa absolutè finiatur; alias Deus non se comprehenderet: sed talitèr venit explicandum, quod finiatur cognoscente, adeò ut in sua intelligibilitate finiatur; hoc est: nihil amplius in ea cognoscendum, præter id, quod ab actu comprehensivo cognoscitur.

18 Undè conformius ad rem; & ad naturam comprehensionis, eam explicat idem August. Epist. 112., cap. 8. per hæc verba: *res comprehenditur, cum ita cognoscitur, ut nihil ejus lateat cognoscentem*. Ex qua Augustiniana descriptione, sic cum N. Subt. Doct. loco cit. possumus comprehensionem definire presius: *est actus intellectus: quo objectum totum, & totalitèr attingitur*. Ubi per ly *totalitèr* denotatur, ad comprehensionem requiri commensurationem, & adæquationem inter objectum, & potentiam in ratione intelligibilis, & intellectivi; ita ut potentia sit tantæ intelligibilitatis seu intellectualitatis activæ, quantum intelligibilitatis passivæ objectum.

19 Dubitat. 2.: quæ requirantur ad cognitionem comprehensivam? Certum ergo est, ad comprehensionem, propriè & strictè sumptam, requiri, quod

omnia illius prædicata formalia tam quidditativa, quam attributiva per exprimantur, & represententur, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum, sive perfectionem intensivam suæ intelligibilitatis. Hoc enim significatur, dum dicitur: objectum *finiri, adæquari, & commensurari* cum actu comprehensivo, seu vicè versa. Undè stat, quod omnia hæc prædicata cognoscantur, quin cognoscantur comprehensivè, si non exhauriatur tota intensiva intelligibilitas rei. Sic visio Beata Humanitatis Christi, licet attingat omnia quæ in Deo sunt, & claritate summa, sibi possibili, non comprehendit Deum; quia non accedit ad infinitam Dei intelligibilitatem in modo claritatis suæ Quare, licet totum Deum videat; quia tamèn non totalitèr, ideò ipsam non comprehendit. Hoc ut certum supponitur ab omnibus. Sed nunc est

20 Difficultas: an ad comprehensionem alicujus objecti requiratur, quod etiam cognoscantur ea, quæ in eo continentur virtualitèr, & emine ti litèr? Hoc est: an, ut comprehendatur causa, debeant cognosci omnes, & singuli effectus, in ea virtualitèr contenti: & ut comprehendatur Deus, debeant cognosci omnes, & singulæ creaturæ possibles, emi-

mentèr contentæ in divina Essentia? Thomistæ communiter part. affirmativam tenent; quibus partim adhæret N. Smising. Scotistæ autem negativam fundari in Subr. Doct. cit. in 3., ubi docet Verbum Divinum procedere ex cognitione comprehensiva Divinæ Essentiæ, non autem ex cognitione creaturarum, virtualiter, & eminentèr contentarum in ipsa Essentia Divina. Cum quibus

21 Dico: *ad cognitionem comprehensivam objecti non requiritur, quod etiam cognoscantur illa, quæ in eo continentur virtualiter, & eminentèr.* Prob.: ad cognitionem comprehensivam sufficit, quod per eam ita exprimitur objectum, ut tota ejus intelligibilitas exhaustiatur, finiaturque; sed cognitio totaliter prædicatis, ac formalitatibus existentibus in objecto ex natura rei, & formaliter, exhaustitur, & finitur tota ejus intelligibilitas: ergo comprehenditur. Mai. constat ex dictis. Minor prob.: creaturæ solum virtualiter, & eminentèr contentæ in objecto, non sunt aliquid ipsius in essendo; cum effectus ad esse causæ non pertineat: ergo nec sunt aliquid ejus in intelligendo; cum intelligibilitas sequatur entitatem. Confirm.: esse virtuale, & eminentiale effectus in causa, est ipsum=met esse formale, & reale causæ: ergo ut cognoscantur effectus, ut virtualiter, &

eminentèr contenti in causa, sufficit eam cognoscere quoad omnia prædicata intrinseca, & formalitates in ipsa repertas ex natura rei; & consequenter, ad comprehensionem non requiritur comprehensio eorum, quæ sunt virtualiter, & eminentèr solum in objecto.

22 Dices 1.: cognitio comprehensiva est cognitio perfectior, quæ haberi potest de objecto; cum ei debeat adæquare, & commensurari; sed illa cognitio, quæ objectum attingeretur, nedum secundum esse formale, sed etiam secundum esse virtuale, & eminentiale, absdubio esset perfectior, quam illa, qua solum cognoscitur formale objecti: ergo ista non est comprehensiva. Resp. disting. mai.: cognitio comprehensiva est perfectior intensivè & extensivè penes intrinseca objecti, & cognitionis, conc. maior: perfectior extensivè, penes purè extrinseca, & terminativè se habentia, nego mai.: inversis terminis distinguo min., & nego consequ. Perfectior quidem esset cognitio attingens omnia formalia, virtualia, & eminentialia objecti, quam, quæ solum formalia attingit: sed hæc maior perfectio est purè extrinseca, terminativa & per accidens se habet ad rationem comprehensionis. Et hoc admitti debet ab ipsis Thomistis, fatentibus, Verbum divinum producere ex cognitione, quæ est

comprehensiva diviſe Effentię, & poſſibilitium, non verò futurorum; cum tamen futuritio addat novam formalitatem, & perfectionem ſupra poſſibilitatem.

23 Dices 2. : proprium eſſe formale, ac reale cauſe nequit concipi, quin concipiatur ordo ad effectus ſuos: ergò nec cauſa poteſt comprehendi, quin cognoſcantur effectus virtualitèr in ipſa contenti. Antec. conſtat, quia cum ordo, quem dicit cauſa ad ſuos effectus, ſit tranſcendentalis, nequit concipi cauſa ſine tali ordine. Prob. conſeq. ordo iſte, cum ſit reſpectus nequit concipi, quin concipiatur ejus terminus; ſed effectus ſunt terminus hujus ordinis: ergò &c. Reſp. diſting. antec.: proprium eſſe formale cauſe nequit concipi ſine ordine ad effectus ſuos, cognito iſto ordine, ſaltem confulſe, conc. antec.: cognito iſto ordine præciſe comprehenſive, nego antec., & conſeq.: eiſdem terminis diſtinguuntur alię propoſitiones.

24 Itaque certum eſt, quod ut cauſa ſecundum eſſe formale comprehendatur non eſt neceſſe, quod comprehendatur cum tali ordine; quia eſſe formale cauſe eſt quid abſolutum, & prius ad ſe, quam ad effectus. Unde penes illud abſolutum eſt intelligibile independentèr à quocumque ordine ad aliud extra ſe: & ſic valet exhuari-

ri, & comprehendit abſolutè intelligibilitas cauſe, nullo attrahito ordine ad aliud. Sed quia replica videtur loqui de cauſa, ut cauſa eſt, ideò dico, quod nequit cognoſci ſine ordine ad effectum, nec talis ordo ſine ſuo termino. Verum fatiſ eſt, quod terminus talis ordinis cognoſcatur confulſe, ut conſtat in alijs relationibus. Et ratio eſt; quia terminus non ingreditur formalitèr relationem, ſed ſolum terminat extrinſecè. Unde, tam entitas cauſe, quam ordo poteſt clarè, & diſtinctè; immò comprehenſive cognoſci, non cognoſci termino, niſi confulſe.

25 Ex hoc inferitur, quod, ſicut ad comprehenſionem cauſe non requiritur cognoſcitiõ omnium effectuum virtualitèr contentorum in ipſamet cauſa, ſic per oppoſitum, ex cognoſcitiõne talium effectuum in cauſa, non inferitur comprehenſio ipſuſmet cauſe. Ratio eſt; quia cauſa æquivoca (qualis eſt divina Omnipotentia) excedit perfectionem totius collectionis ſuorum effectuum; & conſequentèr intelligibilitatem: erg. iſtis omnibus, & ſingulis cognoſcitiõ, non comprehenditur cauſa. Deinde, effectus, & cauſa realitèr diſtinguuntur: unde non ſunt vera aliquid cauſe: ergò poſſunt iſti comprehendere, quin cauſa comprehendatur. De hoc ampliùs in Theologia Materia de Viſione Dei.

QUÆST. IX.

*An intellectus possit plura,
ut plura, cognoscere?*

CONSULTO ponimus plura; ut plura; quia plura per modum unius certum est, quod simul cognoscantur ab intellectu; nam in toto sunt plura; plures enim sunt partes; omnes autem per modum unius cognoscuntur. Hoc etiam apparet in pluribus objectis subordinatis per modum superioris, & inferioris, *homo, animal, vivens, &c.* Hęc enim, juxta N. Doct. in 1. dist. 3. quæst. 2. §. *Quinto dico*, possunt representari per eandem speciem impressam: undè & consequenter per unicam cognitionem cognosci valent; nam cognitio distinctè representans hominem, illum exprimit secundum omnia sua prædicata essentialia. Quarè difficultas procedit de pluribus objectis, non inter se subordinatis, seu per modum unius, sed per modum plurium, seu disparatè se habentium. Et ultra: an ex suppositione, quod plura, ut plura concipere valeat an hoc possit unico, vel pluribus actibus. Rem duplici conclus. ex-

plicabo.

2 Dico 1. : *potest intellectus propria sua virtute plura per modum plurium simul cognoscere.* Est communis inter Scotistas, & Jesuitas. Estque Doct. cit., ubi ait: *intellectus potest propria virtute uti multis speciebus simul ad concipiendum illas simul, quorum sunt species istæ, puta, specie boni, specie summi, & specie actus, ad concipiendum summum bonum, & actualissimum.* Hęc Doct. Nunc sic; sed in intellectu nostro possunt esse simul species summi, boni, & actus, quæ sunt plura objecta, ut plura, scilicet, bonitas, summitas, & actualitas: ergò talia plura, ut plura simul actu intelligit. Nec sufficit dicere, quod intelligantur per modum unius; quia licet, dum copulantur *bonum summum, actuale*, sit unicus actus copulativus; dum tamen intellectus priusquam copulet, concipit talia extrema secundum se, & per diversas species, tunc bonum, summum, actuale concipit, ut plura.

3 Prob. 2. conclus. ratione, fundata in ipsomet Doct.: quod convenit potentie inferiori, estque perfectio in ipsa; concedendum est potentie superiori, si non adsit specialis rapugnantia; sed concipere simul actu plura, ut plura est perfectio conveniens sensui, qui est potentia imperfectior intellectu: er-

ergò & illi convenire debet. Maior est certa. Prob. min.: oculus in eodem objecto simul percipit albedinem, nigredinem, rubedinem, &c.: tactus simul percipit calorem, frigus, duritiem, & molitiem sui objecti penes diversas ejus partes; sed hæc sensibilia nedum sunt disparata, & plura; sed etiam contraria: ergò, &c. Tandem sensus internus discernit inter objecta sensuum externorum, attingendo simul ea, secundum illam rationem, qua distinguuntur: ergò intellectus poterit hoc idem efficere.

4 Dico 2.: *intellectus nequit simul attingere plura objecta disparata unico actu, sed pluribus.* Est expressa Nostr. Doct. quæst. 8. de Anima, §. *Dicendum*, num. 4., ubi ait: *intellectus noster unica intelligence non potest plura objecta intelligere, si sunt disparata.* Prob. ratione ipsius in 2. dist. 3. quæst. 10.: nequit dari species impressa representativa immediatè plurium, ac diversorum objectorum: ergò nec species expressa, seu cognitio, quæ plura objecta disparata simul attingat. Antec. admittitur à Nostratibus. Sed ultra prob.: omnis actus determinatus, & finitus habet suum adæquatum objectum, à quo sumere debet suam unitatem, & specificationem; sed si circa plura objecta disparata, & diversa

versaretur unicus actus intellectus, seu unica species impressa, hoc esset falsum; nam quodlibet ex his objectis diversis, & disparatis foret objectum adæquatum talis actus, & speciei, ita ut alterutro ex his objectis solum existente, actus perseveraret: ergò, &c.

5 Prob. 2. ratione: actus, seu intellectio est naturalis imago, & similitudo formalis sui objecti; sed objecta diversa, ac disparata sunt inter se valdè dissimilia: ergò non possunt representari per eandem imaginem, seu speciem; consequenterque per unicam intelligence non possunt simul intelligi plura, ut plura disparata, & diversa. Prob. secunda pars conclusionis, scilicet; quod pluribus actibus pos sit intellectus attingere simul plura objecta disparata: ideò hoc non posset fieri; quia plures actus non possent esse simul in eodem intellectu; sed hoc est falsum: ergò. Prob. min.: actus iudicij de aliqua propositione est simul tempore cum simplici apprehensione extremorum ipsius: item qui syllogizat, habet simul plures actus, scilicet, assensum præmissarum, & conclusionis; quia assensus præmissarum est causa efficiens assensus conclusionis; proindè debent simul coexistere: tandem actus directus, & reflexus sunt simul in intel-

lectu reflexente : ergò in eodem intellectu possunt esse simul plures actus ; & consequenter, &c.

6 Dices 1. contra prim. part. conclus. : voluntas potest moveri ad eundem actum pluribus finibus disparatis : ergo & intellectus potest moveri ad eundem actum per plura , ac disparata objecta : & sic ipsa unico actu intelligere. Antec. constat ; nam voluntas eligit deambulationem , nota ex fine sanitatis & etiam recreationis animi ; qui fines sunt disparati , cum quilibet se solo possit voluntatem movere ad deambulationem. Respond. concessio antec. , negando conseq. Disparitas est ; quia actus voluntatis totaliter producit ab ipsa ; finis autem , aut objectum solum se habet moraliter , *alicutive* , & *terminative* : Unde non inconvenit , quod idem actus proveniat à duplici causa morali. Actus autem intellectus causatur partialiter physicè à suo objecto : quarè , si ista plura , ac disparata sint , non unum ; sed diversos actus , & species producent.

7 Dices 2. contra secund. part. Conclus. : noster Doct. in 2. dist. 5. quæst. 2. §. de Miséria , num. 7. negat , posse duos actus esse simul in eadem potentia , quod maximè intelligendum est de duobus actibus adæquatis , & circa plura

objecta disparata : ergò secunda pars Conclus. non est Doct. Confirm. : intellectus est potentia naturalis potens agere usque ad ultimum de potentia , dum agit : ergò dum producit primum actum , adhibet totam vim , & connatum : ergò simul non potest alium actum adæquatum producere. Urgetur : si plures actus possent esse simul in eodem intellectu , possent esse infiniti ; sed hoc nequit admitti : ergò , quia plures actus adæquati non possunt esse simul in eodem intellectu. Tandem ; quia ex hoc sequitur , quod assensus , & dissensus circa idem objectum ; scientia , & fides possent esse simul , quod est falsum in nostris principijs : erg. &c.

8 Resp. ad authorit. N.

Subtr. Doct. , quod ipse non loquitur ibidem ex propria mente , sed ad hominem contra Thomistas ex ab ipsis concessis , ut satis clarè constat ex littera. Et quando loqueretur in proprio sensu , exponendus est cum Nostrius de duobus actibus ejusdem rationis , & circa idem objectum ; quia tunc cum primus sufficienter repræsenteret objectum , superflueret secundus. Ad confirm. , concessio antec. : negò conseq. ; quia intellectus , etsi potentia naturalis , tamen in eventu simultaneæ cogitationis plurimum , non exercet totam vim , & connatum erga quodlibet ; sed
eam

eam distribuit, ac partitur inter illa plura. Undè ad singula remissus se habet, quam si circa unum tantum versaretur, juxta illud tritum proloquium: pluribus intentus, min. fit ad singula sensus.

9 Ad urgentiam nego antec.; quia licet intellectus simul valeat attingere plura, non tamen infinita, vel non tot, quin plura. Ratio est ipsamet limitatio intellectus creati, quæ exhaurit totam suam virtutem erga determinatum numerum objectorum. Ad ultimum, nego sequelam; quia assensus, & dissensus: scientia, & Fides: amor, & odium, &c.; habent specialem repugnantiam ob contrarium modum tendendi in objectum. Undè si simul essent in eodem intellectu, & circa idem objectum, absdubio inducerent contradictoria in ipsum, scilicet, assensum, & non assensum, evidentiam, & non evidentiam, &c.

QUÆST. ULTIM.

De Memoria intellectiva.

1 **D**UBIT. 1.: an datur memoria in parte intellectiva? Thomistæ communiter so-

lùm admittunt memoriam (istà strictè sumpta) in parte sensitiva. Memoria ergò sumpta pro recordativa præteritorum per species in se immediatè receptas, sic rectè definitur à Nostr. Subr. Doct. in 4. dist. 45. quæst. 3. §. *Circa istam quæstionem: est cognitio alicujus actus præteriti ipsius recordantis, & hoc in quantum præteriti.* De memoria ergò intellectuali sic sumpta, dubitatur: an detur in parte intellectiva?

2 Resp. affirmativè. Est Doct. citati: & prob. 1. ex illo Luc. 16. v. 25. ubi dicitur: *filii, recordare, quod recepisti bona in vita tua; sed iste dives non poterat recordari per memoriam sensitivam; quia anima pro tunc separata erat à sensibus: ergò debebat recordari per memoriam intellectivam; & consequenter hæc datur.* Prob. 2. ex ipsamet experientia; nam nos persæpè recordamur actuum spiritualium, malorum, & etiam bonorum; quæ proptèr de illis agimus pœnitentiam, & de istis damus Deo gratias; sed sensus non potest attingere istos actus spirituales, ut dese patet: ergo attinguntur per memoriam intellectivam: ergo datur.

3 Respondent Thomistæ, quod quando est necessitas specierum præteritorum pro recordatione eorum, quæ in corpore gessit, tunc tales species in-

infunduntur à Deo anime separatae. Sed contra primo, quia nulla adest necessitas recurrendi ad has species infusas cum potuerit anima eas acquirere in via ministerio sensuum, easque in intellectu conservare. Et hoc est valde conforme authoritati D. Hieronimi in Prologo Bibliæ dicentis: *discamus in terris, quorum nobis scientia remanebit in Cælis*. Contra 2.; quia tunc anima separata esset imperfectior, quam conjuncta; quia naturaliter, & quantum est de se nullius præteriti recordaretur; sed illud nequit dici: ergo nec istud.

4 Dubit. 2. : quomodo memoria intellectiva distinguatur ab intellectu? Noster Pontius tenet, dari distinctionem formalem inter has potentias, hoc ductus fundamento: non repugnat intellectus, qui possit intelligere, & non possit recordari. Deinde: experientia constat, quod quamplures facilièr intelligunt, & tamèn difficulèr recordantur; sed hoc probat dari ad minus distinctionem formalem inter intellectum, & memoriam: ergò datur. Certè, si hoc fundamentum Pontij aliquid probat, probat distinctionem realem strictam inter has potentias; nam, quæ realitèr separari possunt, realitèr distinguuntur; sed juxta Pontium, intellectus, ut intel-

lectivus, separari potest ab ipso, ut memorativo: ergò, &c. Quare; ad primum Pontij nego absolutè antec.; nam ab intrinseco repugnat talis intellectus creatus. Ad secundum dico, quod si aliqui facilièr intelligunt, & difficulèr recordantur, hoc provenit ex phantasia, vél læssa, vél non benè disposita.

5 Nostra conclusio est expressa Doct. quodlib. 15. numer. 17. : ubi ait: *intellectus, ut memoria, & ut intelligentia est una potentia*. Prob. ratione: objecta, sive sint præterita, & prius cognita, sive futura, vél præsentia eodem modo cognoscuntur: ergò ad eandem formalitèr potentiam attinet, omnia ista cognoscere. Confirm.: non est in homine duplex appetitus rationalis, unus pro objectis præteritis, & alter pro præsentibus: ergò nec duplex potentia cognoscitiva. Si autem quæras: quomodo distinguuntur? Resp. breviter, quod penès diversa connotata, diversa sortiuntur muñera, & nomina. Explicatur: ut est facultas nudè cognoscitiva, dicitur *intellectus*: ut est sub intellectu actuali dicitur *intelligentia*: ut est sub speciebus absolutè consideratis, dicitur *memoria secunda*: & tandem ut est sub speciebus, deservientibus ad cognoscenda objecta, prius cognita, vocatur *memoria*

recordativa. Sed hoc tantum probat distinctionem penès diversa munia, seu connotata: ergò hæc solum datur inter potentiam intellectualem, & memoriam.

DISP. X.

De Voluntate-

NON instituitur in præsentis sermo de Voluntate quoad suum esse morale; quia in hoc sensu spectat ad Lib. Æthicorum, sive ad Philosophiam moralem, & etiam ad Theologiam. Undè in præsentis solum tractatur de Voluntate quoad esse naturale, & physicum considerata; nam prout sic solum pertinet ad Libros de Anima. De quaque sit

QUÆST. I.

Quid sit voluntas: & an ipsa sola sit potentia libera?

I EX dictis Disp. de Anima constat, voluntatem esse ex natura rei distinctam ab intellectu; & realitèr strictè dif-

tinctam ab appetitu sensitivo, juxta illud Apost. ad Rom. 7. *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Undè voluntas est potentia libera spiritualis, & inorganica, quæ correspondet intellectui. Et sic ex Nost. Subr. Doct. in 3. dist. 17. §. *Istam questionem*, num. 2. rectè definitur: *est appetitus cum ratione liber.* Explicatur: ly *appetitus* ponitur loco generis, per quod convenit voluntas cum appetitu sensitivo: per ly *cum ratione*, distinguitur ab ipso; quia iste fertur in objectum sine ulla ratione. Tandem per ly *liber* distinguitur voluntas ab intellectu, qui est potentia naturalis, & naturalitèr operans, præsuppositis requisitis ad operandum; de quo amplius in resolutione secundæ partis.

2. Pro cujus resolutione, notate 1.; quod voluntas non est potentia merè passiva, respectu suorum actuum aliquum nec mereremur, aut demereremur. Ità expressè habetur, tum in Sacra Script., tum in Concilio Trid.; tum etiam passim in SS. PP. Prob. breviter ratione potentia libera est illa, quæ habet in sua potestate ponere, vel non ponere actum, vel actum suspendere; sed potentia merè passiva non habet hoc: ergò quia voluntas non est potentia merè passiva. Ex quo noto 2. voluntatem non esse potentiam na-

naturalem, sed liberam. Hujus notabilis à priori non est ratio; nisi qui à voluntas est voluntas. A posteriori autem est author. Aug. dicentis: *aut voluntas non est, aut semper libera dicenda est.* Deinde ipsamet experientia qua experimur nos velle, vel non velle, & etiam nolle, constat. Undè, libertas est differentia essentialis & intrinseca voluntatis. Quare quod nunc quæritur, est: an sola voluntas sit formalitèr libera?

3 Dico: *sola voluntas est formalitèr libera: reliquæ, autem potentiaè solum extrinsecè, & per dependentiam ab imperio voluntatis denominantur liberæ.* In re est communis, quamvis in modo loquendi, aliquomodo diversificentur Thomistæ à nobis. Prob. breviter: voluntas ità se determinat ad agendum, quod positis omnibus requisitis ad agendum, possit adhuc non agere; & hoc requiritur ad libertatem, ut constabit quæst. sequenti; sed aliæ potentiaè distinctæ à voluntate, non sic se habent: ergò sola voluntas est potentia formalitèr libera. Maior constat. Prob. min.: intellectus, præsuppositis necessarijs ad intelligendum, ità necessariò intelligit, quod non possit non intelligere: idèmic de omnibus potentiajs sensitivis: ergò reliquæ potentiaè distinctæ à voluntate, necessariò agunt. Et si aliquan-

dò dicuntur libere agere, hoc tantum erit, quia voluntas ipsas imperat.

4 Arguit. 1. contra hoc: voluntas nequit eligere aliquod objectum, nisi illud, quod intellectus judicat, esse eligendum; sed intellectus non est liber in judicando: ergò nec voluntas est formalitèr libera in volendo. Resp. distinguendo mai.: voluntas nequit intelligere aliquod objectum nisi illud, quod intellectus absolutè judicat, esse eligendum, conc. mai.: nisi illud, quod præcissè, & determinatè judicat esse eligendum, nego mai., & concessa min., nego conseq. Itaque in maiori latet equivocatio; nam si solum intendat, voluntatem non posse eligere, nisi id, quod fuit ipsi propositum ab intellectu, hoc verum est; quia voluntas non potest ferri in incognitum. Si verò vellit, voluntatem determinatè, & præcissè debere eligere, quidquid sibi proponitur ab intellectu: hoc absolutè falsum est; quia licet meus intellectus proponat mihi duo bona, possum omittere actum erga quodcumque ex istis duobus bonis, ut infra videbimus.

5 Arg. 2.: juxta Philo. 9. Metaphys., intellectus est potentia rationalis; sed potentia rationalis est libera: ergò intellectus est liber: ergò non solum voluntas. Confirm. ex ipso

2. Physicorum text. 49., ubi distinguit intellectum contra potentiam naturalem: ergò intellectus non est potentia naturalis; sed libera. Pro solutione argumenti, & confirm. nota ex Doct. in 2. dist. 25. quæst. unica, §. *Dico ergò*, quod intellectus dupliciter accipitur: primò *secundum se*, & ut est potentia operativa operatione distincta ab operatione voluntatis: & sic est potentia naturaliter agens: secundò sumitur intellectus, ut est potentia practica, respectu agibilium ad extra. Et in hoc sensu Philos. pro eodem usurpat intellectum, voluntatem, artem, electionem, & appetitum. Ex quo dum Philos. innuit, intellectum esse potentiam liberam, & non naturalem, loquitur de intellectu in secunda acceptione, non autem in prima.

6 Arg. ultim.: intellectus est potentia libera formaliter: ergò non sola voluntas. Prob. antec.: intellectus est indeterminatus ad plures effectus: immò ad oppositos, ut ad assensum, & dissensum; sed hæc indeterminatio sufficit, ut sit potentia formaliter libera: ergo est. De hac replica quæst. sequenti. Nunc autem respondeo negando antec., & min. probationis; nam ad libertatem non sufficit hæc indeterminatio ad plures effectus quæ etiam repe-

ritur in omni causa equivoca, & illimitata: sed ultra requiritur, quod potentia sit ita Domina suorum actuum, ut positis omnibus requisitis ad operandum, possit ad suum libitum, actum elicere, vel suspendere. De hoc postea.

7 Dubit. hic: quomodo voluntas sit libera: an ut potentia productiva: an verò, ut operativa? Cum enim in voluntate reperiantur hæc due quasi formalitates, & producere actum, hoc est, volitionem, vel nolitionem: & operari medio tali actu, à se productio, vel ab alio, scilicet à Deo, tendendo vitaliter in objectum, ipsi se affectivè uniendo, quæritur merito modò: an voluntas sit libera, quia ita producit actum; ut possit ipsum non producere; vel producere oppositum: vel an sit liberara; quia ita tendit in objectum, ut possit non tendere in ipsum? Et quamvis Subt. Doct. in 2. dist. 39. num. 21. in hoc secundum inclinare videatur, tamen.

8 *Dico: voluntas est libera, ut productiva, non verò ut operativa.* Est communis. Prob. ex Subt. Doct. in 3. dist. 15. §. *Ulterius*, num. 14., ubi ait: *voluntas, ut voluntas libera est; sed ut nolens, non est formaliter libera; quia habet formam determinatam ad unum, quæ est nolitio.* Ex qua authoritate sic eform-

ma-

matur ratio : quamvis voluntas sit libera in continuatione actus volitionis, vel nollitionis ; cum possit illum continuare, vel non continuare, tamen si hi actus permaneant in voluntate, semper ipsa operatur volendo, vel nollendo : ita ut non possit desistere ab operatione, nisi actum deponendo : ergo si voluntas non potest cessare ab operatione, dum actum tenet, & continuat, non est libera, ut operativa, sed ut productiva, & continuativa productionis.

9 Dices tamen ex Doct. citato in 1., ubi ait : *Et licet in nobis possit distingui voluntas, ut est receptiva, & ut est operativa, & ut productiva, tamen libertas videtur esse ejus, in quantum est operativa: in quantum scilicet, habens eam formaliter, potest ea tendere in objectum* : ergo juxta Subt. Doct., voluntas est libera in quantum operativa. Confirm. : si Deus se solo causaret volitionem in nostra voluntate, posset per illam liberè operari ; sed tunc libertas non esset in producendo ; sed in operando : ergo, &c. Resp. quod Subt. Doct. ibi expressè loquitur de voluntate divina, ejusque libertate : & de hoc assertivè assertit, quod primò, & per se est libera, quantum est potentia operativa. Dum autem loquitur de voluntate nostra, sub dubio loquitur, ut patet ex illis ver-

bis : *tamen libertas videtur esse ejus*. Quarè cum in prima auctoritate assertivè, & positivè loquatur pro nobis, huic loco standum est. Ad confirm. nego antec. ; quia licet in illo casu posset voluntas illum actum non continuare, sed abijcere, non tamen posset tendentiam suspendere, stante volitione.

QUÆST. II.

Quid, & quotuplex sit libertas? Ubi de actu libero.

1 **N**OTANDUM est primò, quod non est idem in præsentia agere liberè, & agere spontaneè, prout opponitur agere coactè. Latius enim patet, agere spontaneè, cum complacentia, seu non coactè, quam agere liberè ; nam omne agens, dum agit secundum suam inclinationem dicitur agere spontaneè, & non coactè : immò, dum operantur, juxta suam inclinationem, dicuntur agere complacenter, non tamen agunt liberè. Sumitur ergo in præsentia libertas *strictè*, & prout opponitur modo agendi naturam, determinatque ad unam extremam. Seu prout de ipsa loqui-

tur Philos. 2. Physic. text. 44., dum divisit principium activum per liberum, & naturale, tamquam per differentias essentielles, ac intrinsecas. Ex quo constat, quod potentia libera est illa, quæ suapte natura habent indifferentiam ad operandum, & non operandum. Sicut per oppositum: potentia naturalis est, quæ ex intrinseca ratione sua est determinata ad agendum.

2 Notate 2., quod cum libertas voluntatis nihil aliud sit, quam ejus indeterminatio, hinc sequitur, quod quocumque fuerit indeterminatio voluntatis, totum erit & ejus libertas. Et quamvis, ut diximus in solutione ad ultimum argumentum quæst. antec., detur indeterminatio causæ ad plures effectus maximè dum causa est æquivoca non loquimur in presenti de hujusmodi indeterminatione; quia hæc non sufficit ad libertatem. Triplex ergo communiter assignatur indeterminatio. Prima est indifferentia potentiæ ad elidendos actus oppositos circa idem objectum, scilicet, volitionem, & nolitionem. Secunda est, indeterminatio ad utramque partem contradictionis, quia agens positus omnibus requisitis, retinet indifferentiam operandi, vel non operandi. Tertia tandem est indeterminatio dominij tantum, quæ præcisè constituit in eo, quod quam-

vis agens non possit impedire actionem, sed sit necessitatus ad ipsam, tamen habet dominium erga suam actionem, quia se ipsam determinat ad agendum, necessitatemque sibi imponit.

3 Ex hoc sequitur, quod libertas est triplex: prima dicitur libertas *contradictionis*, seu exercitij, & est illa, qua voluntas est indeterminata ad agendum, vel non agendum, positis omnibus requisitis: Dicitur *contradictionis*, quia versatur inter extrema contradictoria, ut *velle*, *non velle*: vocatur *exercitij*, quia per eam se exercet voluntas ad utramque partem contradictionis. Secunda est libertas *contrarietatis*, seu quoad *specificationem*, & est, indeterminatio ad actus contrariè oppositos, ut *velle*, & *nolle*, ob quod dicitur *contrarietatis*: & vocatur *specificationis*, quia per eam potest voluntas elicere actus oppositos unius, & alterius speciei. Tertia tandem est libertas *essentialis*, seu *pure dominij*, quæ non consistit in aliqua indeterminatione ad utrumque extremum sive contrarium, sive contradictorium; cum dicat necessitatem agendi; sed consistit in dominio, quod habet supra suam actionem. Dux primæ species libertatis ab omnibus admittuntur, sed circa tertiam est

maxima difficultas.

4 Dubit. ergò: an detur libertas essentialis? Pars negativa est satis familiaris Thomistis, ità ut affirmativam censurare non desinant. Et quamvis hæc difficultas, planè, plenèque Theologica sit, de quaque Nostrates agunt Materia de *Deo Uno*, & etiam de Trinitate agendo de modo, quo Deus se diligit: & quomodò Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum; tamè necesse aliqua breviter circa præsen è difficultatè tractare. Pro cuius clariori explicatione sciendum est, quod quatuor communiter assignari solent modi operandi, scilicet, *liberè, naturalitèr, necessariò, & contingentèr*. Ex his ergò duo primi, nempe *liberè, & naturalitèr*, inter se opponuntur, ità ut nequeant convenire simul in uno agente, & respectu ejusdem actionis: eodem modo opponuntur *necessariò, & contingentèr*. Hoc ab omnibus admittitur.

5 Notandum tamen est ultra, quod liberum, & necessarium, non ità inter se contrariantur, ut non possint convenire simul eidem agenti respectuque ejusdem actionis. Eodem modo philosophandum est de naturali, & contingenti. Prima pars hujus notabilis in intelligibilis videtur Thomistis; sed satis expressè habetur apud Philosoph. 2. Peryermenias cap. 3.

de modalibus; & 9. Metaphys. text. 10., ubi tenet, quod necessitas non opponitur libero, sed contingenti. Deindè principium activum divisit in naturale, & liberum, tamquam in differentias essentialitèr oppositas; non autem in liberum, & necessarium: & amplius constabit ex dicendis. Secunda pars notabilis constat in actibus aliarum potentiarum imperatis à voluntate, qui secundum se, & prout elicit à talibus potentijs, sunt naturales; prout imperati verò à voluntate sunt liberi, & contingentes. Ex hoc ergò est apud Nostrates familiaris divisio libertatis, in *libertatem essentialem, & libertatem contingentem*. Quibus suppositis,

6 Dico: *admittenda est libertas essentialis*. Est expressa N. Doct. pluribus in locis; sed præcipuè Quodlib. 15. art. 2. Prob. 1. author. Div. August. in Enchiridione cap. 14. ubi loquens de homine Beato ait: *sic enim oportebat prius fieri hominem, ut benè posset velle, & male; postea vero (hoc est in Beatitudine) sic erat, ut male velle non posset, nec ideo libero carebat arbitrio; multo enim liberius erat arbitrium, quod omninò non poterat servire peccato*. Hoc idem docet Div. Anselm. cap. 1. de libero arbitrio, ubi ait: *liberior igitur est voluntas, quæ à recititudine declinare nequit*.

7 Ex quibus auctoritatibus, sic prob. Conclusio: ideo non daretur libertas essentialis; quia hæc opponeretur cum necessitate; sed hoc est falsum: ergò quia datur libertas essentialis. Prob. min.: tam longè abest, quod necessitas opponatur libertati, quinimò libertas perficitur, & melioratur à necessitate, ut constat ex auctorit. supra alegatis: ergò, &c. Confirm.: libertas solum repugnat, & opponitur cum prædicato sibi immediatè opposito; sed non opponitur cum necessitate; sed solum cum naturalitate: ergò cum necessitate compatitur libertas. Minor constabit in Theologia, ubi docetur, Deum libere se dilligere, necessariò tamen: necessariò spirare Spiritum Sanctum, & liberè essentialitèr. Et ultra constat ex Arist. 2. Physic.; ubi, ut jam diximus num. 5. hujus, dividit agens in naturalem, & liberum tanquam in differentias, immediatè oppositas: ergò quia libertas non opponitur immediatè cum necessitate; eum ista enim solum opponitur contingentia.

8 Dices contra hoc: necessitas tollit libertatem, sed ex dictis, libertas essentialis secum fert necessitatem: ergò repugnat hujusmodi libertas. Resp. disting. mai.: necessitas cadens supra potentiam, tollit libertatem, conc. mai.: necessitas ca-

dens sub potentia, nego mai.: invertis terminis distinguo min., & nego consequ. Duplex ergo est necessitas: una cadens sub potentia; & hæc est necessitas concomitans actum, & ab ipsa potentia proveniens, quatenus ipsa sibi ipsi imponit necessitatem, & hæc non tollit libertatem dominij, seu essentialem: alia est necessitas cadens supra potentiam, & hæc præcedit actum potentia, ipsam sibi subijcit, & simul determinat ad agendum; & hæc omninò tollit omnem libertatem. Viderè dicta in Physica, agendo de physica prædeterminatione.

9 Dices 2.: libertas requirit indeterminationem potentia; sed indeterminatio potentia ad agendum, repugnat cum necessitate ad agendum: ergò necessitas repugnat cum omni libertate. Confirm.: voluntas divina est omninò determinata ad diligendam Essentiam Divinam, & ad spirandum Spiritum Sanctum: ergò nullo modo est libera. Resp. disting. mai.: libertas requirit indeterminationem potentia, hoc est, quod non determinetur ab alio extrinseco, conc. mai.: indeterminationem potentia, hoc est, quod ipsa se ipsam determinare non possit, nego mai.: & invertis terminis distinguo min., & nego consequentiam. Itaque, quantum voluntas sit determinata ad

actum, si hæc tamen determinatio provenit ab ipsâ activè, & non ab alio, adhuc salvatur libertas essentialis, & dominij; nam in hoc consistit dominium sui actus, quod ad ipsum se determinet.

1 Ad confirm. disting. antec.: voluntas divina est omninò determinata à se, ad se amandum, conc. antec.: ab alio, seu passivè, nego antec., & conseq. In voluntate ergò divina respectu sui, & spirationis Spiritus Sancti, consideranda est & ratio voluntatis præcisè, & ratio voluntatis, qua divina: qua voluntas præcisè, indifferens foret ad amandum, vel non amandum Essentiam Divinam: sed qua divina; cum sit infinitè recta, objectumque infinitè bonum, se ipsam necessariò determinat ad illud amandum. Undè libertas convenit ipsi, quia voluntas: necessitas verò, quia divina, infinitè recta, & erga objectum infinitè rectum. Res plenè Theologica est: quare pro nunc sistamus calamus.

11 Ultra has tres species libertatis, scilicèt, essentialis, seu dominij, quæ solet dici *remota*, & *in radice*: & contrarietatis, contradictionisque, quæ sunt proximæ, & expeditæ, per unamque necessariò contingentiâ, dividitur libertas in libertatem potentiæ, seu in actu primò: & in libertatem exercitij,

scu usum libertatis. Libertas in actu primò est virtus voluntatis, ad liberè elicendum hunc, vel illud actum: ad agendum, vel non agendum: quod si adsint omnia comprincipia, dicitur libertas in actu primò proximo; si verò non adsint; sed solum virtus potentiæ completa, dicitur in actu primò remoto. Libertas exercitij, nihil aliud est, quam exercitium ipsius facultatis liberè, quo defacto elicit volitionem, aut nolitionem; actum, vel ejus omisionem. Tandem libertas alia est physica, alia moralis. De hac in Theologia Tract. de Actibus humanis. Physica est potentia expedita ad extrema, & commoda, vel incommoda appetui, independentè à convenientia, vel disconvenientia cum lege, & ratione, quam respicit moralis.

12 Dubit. hic, pro resolutione ultimæ part. quæst., in quo formalitè consistat, libertas actus voluntatis? Non loquimur in præsentî de libertate voluntatis, solum specificativè sumpta; quia prout sic certum est, quod ex illa resultat in actu aliquid reale physicum: & hoc tam absolutum, scilicèt entitas actus producta ab illa virtute, quam relativum, seu relatio, ut contingit in qualibèt alia causa, & effectu. Et ratio est; quia voluntas hoc modo est potentia phy-

physicè productiva. Undè debet semper habere aliquem terminum physicum. Loquimur ergò de libertate voluntatis, proxima, reduplicativè ut tali; & querimus: quænam sit libertas quæ redundat in actum ex libertate proxima voluntatis; seu agimus de libertate actus procedentis à voluntate, ut proximè expedita ad utramlibet partem. De qua

13 Dico: *libertas non est aliquid essentielle in actu sed quid accidentale: & hoc non est quid intrinsecum, absolutum, aut respectivum in actu, sed sola denominatio extrinseca proveniens ex indifferentia proxima voluntatis.* Conclusio quoad utramque partem est Nost. Doct. in 1. dist. 17. quæst. 3. §. *Hoc tenendo*, num. 4. Probat. quoad prim.: idem actus specie, & numero potest transire de libero in necessarium, aut è contra: ergò quia libertas non est essentialis actui. Prob. antec.: actus primo primi, qui eliciuntur sine sufficienti advertentia rationis, non sunt liberi, sed necessarij; sed postea accedente advertentia rationis, sive plena, sive semiplena, tales actus fiunt liberi; quia aut sunt peccata mortalia, aut venialia: ergò idem specie, & numero actus, &c. Idem dic de inadvertentè comedente carnes in die veneris, solum motus delectabilitate cibi:

nam hæc comestio; prout sic in genere moris est necessaria; si postea verò, advenientè notitia prohibitionis coatinuetur hæc eadem comestio, proptèr idem motivum delectabilitatis, jam transiret de necessaria moralitèr in liberam: ergò, &c.

14 Dices tamen contra hoc: in his, similibusque casibus non permanet idem numero actus, sed diversus: ergò falsum est, quod idem actus numero possit transire de necessario in liberum, & è contra. Resp. negando antec.; quia invariato motivo per se voluntatis, nequit variari ejus actus: in casu ergò comestionis carnis, manet non solum invariatum motivum, scilicèt, delectabilitas reperta in cibo, sed etiam non variatur cognitio, saltim quoad propositionem objecti per se moventis voluntatem, quamvis varietur quoad circumstantiam prohibitionis. Undè actus ipse in se nequit substantialitèr variari, nec quoad numerum.

15 Prob. secunda pars conclusionis: actus, ut liber egreditur à voluntate reduplicativè, ut libera proximè: de hoc enim prout sic loquimur, sicut notavimus; sed prout sic nihil intrinsecum, nec absolutum, nec respectivum redundat in actum liberum: ergò hic dicitur liber præcisè per denominationem extrinsecam. Prob. min.: volun-

tas, reduplicativè, ut proximè libera, non est principium, aut ratio producendi aliquid; nam prout sic solum importat modum quendam accidentalem, seu denominationem extrinsecam, sumptam à prærequisitis, quæ nullam ponunt in voluntate virtutem physicè producendi: ergò actus liber, progrediens à voluntate, reduplicativè ut libera proximè nihil intrinsecum, sive absolutum, sive respectivum recipit à tali libertate, reduplicativè ut proxima; consequenterque in actu libero solum resultare potest quædam denominatio extrinseca possibilis fieri, vel non fieri. Confirm. paritate actus naturalis, qui talis dicitur, præcisè per hoc, quod sit natus elici a potentia, de se determinata ad unum: ergò per oppositum libertas actus. De hoc in Theologica Materia de Actibus humanis agendo de libertate, & moralitate actus.

QUÆST. III.

Quænam sit radix, tam intrinseca quam extrinseca libertatis creatæ?

CIRCA utramque radicem est grave litigium inter Thomistas, & Scotistas. Illi er-

go communiter tenent, radicem extrinsecam nostræ libertatis esse Omnipotentiam Divinam; seu infinitam Efficaciam. Scotistæ verò docent, istam radicem, esse solam libertatem divinæ voluntatis. Similiter: communis Thomist. asserit, quod radix intrinseca nostræ libertatis est indifferentia iudicij indifferentè proponentis voluntati objectum, ut ipsum velit, aut nolit. De utraque radice per duplicem Conclus. hic agemus. Et pro solutione radicis extrinsecæ, notandum est, quod ut salvetur status controversiæ debemus distinguere in voluntate divina duas formalitates: unam *libertatis*, & alteram *infinitæ efficacitæ*, vel formaliter ex natura rei distinctas, ut contendunt Scotistæ: vel virtualiter, & ratione ratiozinata, ut volunt Thomistæ. Quo supposito, sensus quæst. est: an si Deus per impossibile careret libertate, & maneret Omnipotens, & infinitæ efficacitæ in agendo, possemus nos liberè, & contingentè operari: seu, quod idem est: an si Deus per impossibile ageret necessariò *ad extra*, daretur libertas, & contingentia in rebus?

PRIMA CONCLUSIO:

RADIX extrinseca nostræ libertatis non est Omnipotentia, seu infinita Dei efficacitæ; sed sola libertas divinæ voluntatis. Ita omnes Scotistę cum Doct. in 1. per varias distinctiones, Prob. 1. ex ipso dist. 8. quæst. 5. : casu, quo Deus necessariò ageret ad extra nulla remaneret actio in causis secundis : & casu, quo maneret, necessariò agerent omnes, & nulla contingenter, & liberè : ergò prima radix extrinseca nostræ libertatis non est Omnipotentia, sed solum libertas divinæ voluntatis. Conseq. est certa. Prob. antec. quoad primam partem; postea ergò probabitur quoad secundam : dato, quod Deus necessariò ageret, ageret quoad ultimum de potentia; sed si Deus ageret usque ad ultimum de potentia, nihil relinqueret causis secundis agendum; cum ageret infinitè, & ut agens infinitum : ergò, &c. Prob. maior : sicut non est in potestate causæ, necessariò agentis, agere, vel non agere; nec est in ejus potestate intensè, & remisè agere : ergò si Deus ageret usque ad ultimum de potentia &c.

3 Prob. idem antec.

quoad secundam part. : si causa movens necessariò movet, causa mota etiam necessariò moveretur; sicque non liberè agit; sed causa secunda agit in quantum mota à causa prima, modo explicato 2. Physic., agendo de physica præmovere; ergò si causa prima necessariò ageret ad extra & causę secundæ aliquid agerent, necessariò, & non liberè agerent. Confirm. hæc ratio: idè Omnipotentia Divina nunc relinquit causis secundis locum agendi; quia in applicatione suæ virtutis se nobis acomodat, & suam infinitam efficaciam aliquantulè atemperat : & quia modo non operatur quantum potest; sed quantum vult, sed si Deus caret formalitate libertatis, & ad extra ageret necessariò, tunc ex infinita suæ virtutis efficacitæ, & ex modo eam applicandi, vel præveniret omnem operationem causæ secundæ vel ipsa applicaret ad agendum necessariò : ergò vel causa secunda non ageret, vel ageret necessariò.

4 Quare efficacitæ hujus rationis, & confirmationis semper augetur, inquirendo à Contrarijs : an Deus in suppositione facta ageret ad extra usque ad ultimum suæ potentia: vel an atemperaretur ejus virtus in agendo, ut causæ secundæ agerent? Si primum, haberet intentum, scilicet, quod causæ secundæ nihil agerent; cum

prævenirentur à causa infinita, infinite agente. Si secundum: ergo jam Divina Omnipotentia, non reduplicative ut infinita, & infinitæ efficacitæ, sed ut libera esset radix, cur causæ secundæ agerent, & liberè agerent. Certè non vidèò, quid huic interrogationi respondere valeant Thomistæ. Hic enim quadrare non potest sua famosa distinctio de *sensu composito, & sensu diviso*; nam in sensu composito necessitatis in Deo erga actiones ad extra procedit difficultas.

5 Respondent tamen aliqui, Subr. Doct. in hac sua prob. sibi met contradicere. Ratio est; quia in hypotesi facta probat, nullam causam secundam aliquid acturam esse; sed solam causam primam totum agere: & aliundè ex alia parte probat, causas secundas tunc acturas fore necessariò, & naturalitèr, non verò liberè, & contingenter. Sed quis non videt, quod hoc secundum contrarietur primò? quia causam secundam nihil agere, & agere necessariò, & manifesta contradictio: ergò Subr. Doct. sibi met contradicit. Sed venia tantorum Doctorem, resp. quod nulla est contradictio in Subr. Doct.; quia iste, ut intuenti patebit, solum intendit inferre unum, vel alterum inconveniens ex duobus assignatis, ex suppositione, quod Deus ageret ad extra necessariò.

Undè sensus ipse est: si Deus ageret ad extra necessariò, sequeretur: vel quod causæ secundæ nihil agerent: vel admissio, quod aliquid agerent, agerent necessariò propter rationes attractas in probatione, quorum quodlibet, ait Subr. Doct., est maximum inconveniens, ut de se patet.

Solvuntur Argumenta.

6 ARG. I. omne, quod est in rebus creatis, continetur in sola Omnipotentia Dei, ratione suæ infinitæ efficacitæ, præcisivè ab ejus libertate; sed agere liberè est quid reale, repertum in rebus creatis: ergò agere liberè continetur in Omnipotentia Dei ratione suæ infinitæ efficacitæ, & præcisivè à libertate ejus voluntatis: ergò quamvis Deus ageret necessariò, adhuc salvaretur agere liberè in rebus creatis. Resp. absolutè negando mai.; quia effectus creati non continentur in Omnipotentia præcisivè à libertate Dei alioquin Deus ageret ex necessitate naturæ: & sic juxta ejus naturam ageret usque ad ultimum de potentia, & quamcivèrius posset. Undè, vel omninò

preveniret omnes actiones causarum secundarum, quod verius iudico: vel ipsas necessitaret ad agendum.

7. *Replic.*: esto Deus ageret necessario, ageret per voluntatem: g. ita agere necessario, ut adhuc ageret liberè. Antec. constat; quia esto Deus ageret necessario, adhuc ageret per Omnipotentiam; sed Omnipotentia nihil aliud est, quam voluntas Dei efficax: ergo ageret per voluntatem. Prima consequentia prob.: voluntas, aut libera est, aut voluntas non est, juxta Mag. Parent. August., ergo si Deus agens necessario adhuc agit per voluntatem, adhuc agit liberè: ergo non inconvenit, quod summa efficacia Dei, necessario agentis, sit radix extrinseca nostræ libertatis; cum sit compatibilis cum tali libertate.

8. *Resp.* negando ant., & consequent. Ad probat. antec., concessa mai., nego min.; nam, ex dictis num. 1. hujus, ut detur locus quæstioni, debet supponi aliqua distinctio inter Omnipotentiam, & voluntatem, sive hæc sit formalis, sive virtualis; vel saltem debet admitti distinctio inter Omnipotentiam, & libertatem voluntatis, cujus oppositum supponit min. prob. Ad prob. consequentiae conc. autoritatem August. & distinguo consequens: ergo si Deus ageret necessario adhuc

ageret per voluntatem liberè libertate essentiali conc. consequ.; quia adhuc supposito facto, Deus se ipsum necessario, & liberè amaret, & Spiritum Sanct. liberè, & necessario produceret libertate essentiali: adhuc liberè agit libertate contrarietatis, aut contradictionis, de cujus radice hic quærimus, nego consequ., & alteram consequ. indè eductam.

9. *Replicab.* adhuc: ergo saltem in hypotesi facta, Deus causaret in nobis libertatem essentialem; cum ipse juxta solutionem hujusmodi libertate ageret. Nunc sic; sed posita in nobis libertate essentiali, poneretur etiam libertas contrarietatis, & contradictionis; quia istæ profuerent ab illa, ergo si Deus, agens necessario, potest esse radix libertatis essentialis, etiam libertatis contrarietatis, & contradictionis erit. *Resp.* conc. consequ., cum prob. imbibita, distinguendo subsumptam: sed posita in nobis libertate essentiali; poneretur etiam libertas contrarietatis, & contradictionis, quoad actum secundum istarum libertatum, nego min.: quoad actum primum, subdist. min.: quoad actum primum remotum, conc. minor.: quoad actum primum proximum, & expeditum, nego minor, & consequ. Undè licet in casu posito reperiretur in Deo,

liberè agente libertate essentiali, dominium sui actus, non tamen reperitur exercitium libertatis, contrarietatis, aut contradictionis; & consequenter nec in nobis.

10 Arguitur 2. juxta Philof. Deus defacto agit necessariò ad extra, sed hoc non obstante, ipsemet Philof. admittit libertatem in nobis, & contingentiam in rebus: ergò quamvis Deus ageret necessariò, ex hoc non sequitur per consequentiam formalem, quod auferatur libertas creata, alioquin malè argueret Philof. Circa doctrinam Philof. in hac materia variè discurrunt ejus Interpretes. De quo Lib. 8. Physic. Pro nunc tamen respond., ommissa mai., & mia., negando conseq. Ad cuius probat. conc. inconveniens. Ratio est: quia Arist., & alij Antiqui Philosophi, ut efficaciter probat N. Subt. citatus in 1. dist. 8., docuerunt varias latentes contradictiones, quod maxime verificatur hic. Contradictio namque est, quod causa prima necessariò agat, & quod causa secunda agat liberè supposito quod causa prima semper concurrat, ut concurrat cum secunda.

11 Arg. 3. : in solam libertatem divinæ voluntatis, tamquam in causam refunditur omnis nostra libertas: ergò voluntas non est causa suæ liber-

tatis. Nunc sic; sed est parum tutum in fide: ergò nostra sententia non debet sequi. Sic arguit Pater Molina, & alij Recentiores contra Doct. Subt. asserentes, ejus sententiam esse in Fide periculosam. Sed reverà: ne dicam, quod hi, qui ignorant; blasphemant, suavius resp. *quod ad convitia nemo scitius respondet, quam qui nihil.* Resp. tamen nunc directè disting. antec.: in solam libertatem voluntatis divinæ, tamquam in causam præcipuam refunditur omnis nostra libertas, conc. antec.: tamquam in causam unicam, nego antec., & conseq.: eisdem terminis disting. antec.: & negatur consequentia.

12 Itaque Subt. Doct. constantè tenet, contingentiam in rebus provenire à libertate voluntatis divinæ, & simul à voluntate creata: causam verò præcipuam nostræ libertatis esse libertatem voluntatis divinæ; quia ista deficiente, necessariò deficeret nostra libertas: sicut deficiente ente per essentiam, deficit necessariò ens per participationem. Quod autem Subt. Doct. nunquam negaverit, voluntatem creatam esse etiam causam suæ libertatis, poterat expressè videre Molina in ipso Doct., tum in 1. dist. 39. q. unica, §. *Ad primum dico*, ubi ait: *habent ergò contingentiam suam à causa prima, & non tantum*

tum à causa secunda. En ubi admittit, contingentiam provenire à causa secunda. Tum in 2. diit. 14. quæst. 3. §. *Ad secundum*, ubi ait: *circumscripto omni libero arbitrio, humano, Angelico, & Divino, omnia eveniret de necessitate, & nihil contingentèr eveniret*: ergò ut aliquid eveniat contingentèr, ultra liberum arbitrium divinum, requiritur humanum, aut Angelicum. Dicant nunc Molinistæ, quid doceat Scotus?

SECUNDA CONCLUSIO:

13 **R**ADIX intrinseca nostræ libertatis non est indifferentia iudicij: & consequentèr voluntas non determinatur ab ultimo iudicio pratico intellectus. Conclusio quoad utramque part. est omnium Scotist., contra communem Thomist., qui ut consequentèr procedant in suis principijs, tenent, intellectum esse radicalitèr liberum: licet non formalitèr. Probat. 1. conclus. quoad prim. part.: nihil imperfectius potest radicare: aut producere perfectius, tamquam causa totalis ipsius; sed indifferentia iudicij est imperfectior indifferentia voluntatis: ergò radix intrinseca, seu causa totalis nostræ libertatis nequit esse indiffe-

rentia iudicij. Maior satis constat ex dictis 2. Physic., ubi docuimus, quod accidens nequit immediatè attingere productionem substantiæ.

14 Prob. min.: indifferentia libertatis in communi dicit perfectionem simpliciter, sed indifferentia iudicij non dicit perfectionem simpliciter, sed potiùs oritur ex imperfectione nostri intellectus: ergò est imperfectior. Maior constat in Deo, cui repugnat omnis imperfectio, & in quo reperitur libertas. Minor vero prob.: indifferentia iudicij provenit ex probabilitate discursus pro utraque parte, sive contrarietatis, sive contradictionis; sed probabilitas discursus provenit ex debilitate intellectus, imperfectè attingentis objectum: ergò indifferentia iudicij oritur ex imperfectione, & non dicit perfectionem simpliciter. Prob. mai.; quia si intellectus perfectè attingeret tale objectum, non probabilitèr; sed determinatè, & evidentèr præfaret assensum bonitati, vel malitiæ talis objecti: ergò talis indifferentia provenit ex probabilitate discursus, & ex debilitate intellectus; consequentèr non dicit perfectionem simpliciter.

15 Prob. 2. Conclusio quoad eandem part.: stantibus in intellectu duobus iudicijs, uno de largiendi elemosina prop-
tèr unam rationem, & alio de
nca

non elargienda propter aliam rationem, tunc voluntas potest sequi hoc, vel illud iudicium, hoc est, dare, vel non dare elemosinam: ergo prima radix nostræ libertatis stat in indifferentia activa voluntatis, & non in indifferentia iudicij. Consequentia est bonâ: prob. antec.: si voluntas in prædicto casu non posset pro suo libito indifferenter amplecti, quod sibi placuerit, voluntas non esset libera, sed potius serva, sequens ductum rationis; sed hoc est contra SS. PP., & contra rationem intrinsicam ipsius voluntatis; quia voluntas, aut libera est, aut voluntas non est, juxta August.: ergo &c. Hæc pars amplius constabit ex secunda.

16 Prob. conclus. quoad secundam part., scilicet, quod voluntas non determinetur ab ultimo iudicio practico intellectus: & primò ex Philos. 3. Ethicorum cap. 2., ubi ait: *nonnulli opinantur quidem melius, sed propter claritatem eligunt, quæ non oportet.* Et cap. 14.: *voluntas incontinentis appetit id, quod non putat esse faciendum.* Sed si determinaretur ab ultimo iudicio practico intellectus appeteret id, quod iudicat esse faciendum: ergo, &c. Deindè August. super Psalm. 123. ait: *videmus, quid sit agendum* (en iudicium practicum intellectus) *& tamen nolumus agere* (en determinationem

voluntatis contra iudicium practicum intellectus. Tandem Div. Bernardus de Libero arbitrio ait: *voluntas, licet non sit sine ratione, tamen contra rationem potest eligere minus bonum; sed si potest eligere contra rationem, non determinatur à iudicio practico rationis: ergo, &c.*

17 Resp. Thomist. tam his, quam alijs autoritatibus, & rationibus, quod dum voluntas eligit minus bonum, tunc cessat primum iudicium practicum intellectus, & advenit de novo aliud iudicium practicum de extremo opposito: & sic voluntas semper movetur ab ultimo iudicio intellectus. Sed contra: voluntas potest eligere contra rationem, ut ait Div. Bern.; sed si cessante primò iudicio de maiori bono eligendo, adveniret aliud de minori bono eligendo, non eligeret voluntas contra rationem; quia tunc conformaretur cum hoc secundo iudicio, ut de se patet: ergo quia hoc secundum iudicium non est necessarium.

18 Prob. Conclus. ratione: quamvis sit in intellectu meo iudicium practicum, determinatè dictans, Deum esse hic, & nunc amandum, adhuc voluntas mea remanet indifferens, ad hic: & nunc amandum, vel non amandum: ergo, quia non determinatur à iudicio practico intellectus erga amorem Dei:

Prob. antec.: si non maneret sic indifferens hic, & nunc, amor Dei non esset meritorius, sed hoc est absurdum: ergo, &c. Prob. mai.: deficiente fundamento meriti, non stat meritum; sed in casu posito deficeret fundamentum meriti; siquidem deficeret libertas, quæ est ejus fundamentum: ergo deficeret meritum. Prob. min. inbibita: stante in meo intellectu prædicto dictamine, voluntas, juxta Thomistam, necessarîo amaret Deum: ergo deficeret libertas, &c. Recursus Thomist. ad sensum compositum, & divisum, manet impugnatus 2. Physic., agendo de physica præmotione.

19 Alias prob. hujus conclus. quoad utramque part. solent hic adducere Scotistæ, scilicet, quod si juditium indifferens intellectus esset radix intrinseca voluntatis; hæcque determinaretur ab ultimo juditio practico rationis, sequeretur, quod voluntas numquam posset peccare, quin aliquis error præcederet ex parte intellectus, cujus contrarium apparet in voluntate Angeli, & Adami, qui peccarunt absque ullo aliquo errore, precedente in eorum intellectu. Sed quia istæ probationes plenè sunt Theologica: de ipsisque acriter disputatur, tum in Materia de Angelis, tum de officio hominis, merito ab ipsis pro nunc abstinemus. Similiter omittimus pro-

ponere argumenta, quæ hic obijci poterant Thomistis; omnia siquidem fundantur in principijs suis, diametralitèr oppositis principijs nostræ Scholæ.

20 Cæterum pro solutione aliquorum argumentorum contra utramque conclus., præ oculis habere, quod nos non negamus, quod juditium prævium intellectus sit necessarium ad hoc, ut voluntas operetur; quia ista non potest ferri in incognitum: sed solum se habet tale juditium, ut conditio necessaria. Et hoc sufficit ad hoc, ut ex mai., vel min. advertentia intellectus, sequatur maior, vel minor libertas in actu voluntatis; & consequentèr maior, vel minor bonitas, aut malitia moralis. Hoc solum probant argumenta Thomist.; non verò, quod juditium prævium indifferentiæ sit radix intrinseca ipsius. Alia argumenta fundantur in eo, quod imperium, per quod intelligunt juditium ultimum practicum intellectus, explicatum per hæc verba: *fac hoc, sit actus intellectus*. Sed de veritate, aut falsitate hujus infra agemus, agendo de imperio voluntatis?

* *

QUEST. IV.

*An sit possibilis pura omis-
sio libera?*

UT omnia, quæ ad libertatem attinent aliquomodo tangantur; cum libertas contingentiæ, quæ est principalior voluntatis, dividatur in libertatem contradictionis, seu exercitij: & contrarietatis, seu specificationis, pro pleniori capiti primæ, quærimus modo: an possit purè exerceri liberè absque omni actu? Undè non procedit difficultas de voluntate utcumque; nam voluntas dormientis habet puram omissionem, sed non liberam. Et tamquam quid certum supponimus, quod voluntas, ut in plurimum, purè non omittit: quia ipsa quasi semper vult aliquid, quod sit causa directæ, vel indirectæ, aut occasio omissionis. Sit exemplum: instar præceptum, *non furandi*: proponitur voluntati furtum, non tamen furatur. Tunc, ut in plurimum non habet puram omissionem furti; quia solet elicere hunc actum: *nullo furari*; qui actus est causa omissionis furti: vel hunc alterum: *volo mendicare*; quia actus est occasio omis-

sionis furti. Undè, quod queritur est: an repugnet pura omisio libera absque omni actu? Sit

2. Conclusio: *potest dari pura omisio libera*. Ità Subr. Doct. in 2. dist. 32. quæst. unica: quem sequuntur omnes Scoticæ contra aliquos Thomistas. Idem docet Philos. 3. Æthico- rum cap. 5. dicens: *quibus enim in rebus in nostra potestate situm est, agere, vel non agere*. Ex quo sic primò prob. Conclus. quidquid est in potestate voluntatis ut sit, vel non sit; liberum est; sed *non agere*; seu *purè omittere* in potestate voluntatis est: ergò purè omittere liberum in voluntate est. Nunc sic; sed ut actus voluntatis sit immediatè liber, sufficit, quod sit à voluntate cum potentia ad oppositum, quin præcedat alius actus, qui sit causa, vel occasio ipsius, ut tenent ipsimet Contrarij: ergò similiter, ut pura omisio sit libera, sufficit, quod sit à voluntate cum potentia, &c.

3. Prob. 2. conclusio: voluntas, positis omnibus requisitis ad operandum, equè libera est ad actum, & ad omissionem actus; sed ità est libera ad actum, quod si actum ponat, ipse evadat exercitè, & immediatè liber sine alio actu: ergò similiter ità est libera ad omissionem actus quod si ipsam ponat, ipsa evadat liberè sine alio actu, qui

fit causa, vel occasio talis omissionis. Minor est extra controversiam. Major etiam constat; nam voluntas est essentialitèr libera libertate contradictionis; ergò voluntas positis omnibus requisitis ad utramque extremum contradictionis, est æquè libera ad actum, & ad omissionem actus; ergo cum extrema libertatis contradictionis sunt, actus & omisio ejusdem actus voluntas æquè libera est, & Confirm.: si voluntas positis omnibus requisitis ad operandum, non esset æquè libera ad omissionem actus, ac est ad actum; sequeretur, necessariò ponendum esse actum, qui esset causa omissionis; sed hoc est falsum; ergò. Prob. minor: si necessariò ponendus esset talis actus pro causâ omissionis, voluntas solùm erit libera ad amorem v.g., & ad actum positivum impossibilem cum amore; sed hoc tollit libertatem contradictionis, quæ ex suis intrinsicis est ad actum, & ad omissionem ipsius: ergò, &c. Videatur Philosoph. citamus.

4 Arg. I.: omisio pura nequit esse exercitium voluntatis sine motione, & influxu sui objecti; quod est bonum ut quæst. sequenti videbimus; sed ista motio, & influxus non fit, nisi mediante actu, qui sit amor boni: ergò sine tali actu nequit omisio esse exercitium liberum

voluntatis; consequentèrque voluntas numquam purè omittit. Respond. negando antec. Ratio est; quia nolitio objecti, est exercitium liberum voluntatis, liberè agentis libertate contrarietatis: & tamèn ad nolitioem non concurrit motio, neque influxus objecti voluntatis; nam bonum, quod est ejus objectum, non potest voluntas nolle, ut postea dicemus. Undè potiori titulo poterit voluntas liberè agere libertate contradictionis per puram omissionem actus absque positiva motione, & influxu sui objecti.

5 Replicabis: omisio libera non potest esse à voluntate, nisi ut à principio voluntariò; sed non potest esse à principio voluntariò, nisi ex motivo sui objecti; ergò nequit dari exercitium voluntatis sine motione, & influxu sui objecti. Prob. min.: essentia principij voluntarij, prout contradistinguitur à principio naturali est, quod non se exerceat, nisi prævia apprehensione objecti, media qua ab objecto moveatur: ergò nequit esse à principio voluntariò, &c. Responderi potest primo, quòd tota hæc replica sicut & argumentum nihil contra nos probat. Ratio est; quia quamvis præsupponatur objectum movens voluntatem, ad amorem v.g., & voluntas non possit pro tunc ipsum odire, seu nolle

tamen, utpotè libera libertate contradictionis, potest ipsum non amare, seu amorem omittere.

Resp. 2. distinguendo min.: sed non potest esse à principio voluntario, nisi ex motione objecti, vel elicentis, vel retrahentis, omitto min.: alicientis præcisè, vel præcisè retrahentis, subdividuo min.: vel positivè, vel interpretativè, concedo min.: præcisè positivè nego min., & conseq. Itaque, si voluntati proponatur objectum malum, & illud fugiat per nolitionem, aut purè omisivè se habeat, omitto amorem, interpretatur tunc, voluntatem velle bonum; nam in hoc casu voluntas ita se gerit, ac si diceret: *volò objectum bonum.* Idem dicendum de omisione erga objectum bonum. Undè non est necessarium, quod voluntas formalitèr, & positivè ponat actum, qui sit causa omisionis volitionis, aut nolitionis. Quod non obscurè colligitur ex illo Ecclesiastici: *Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit.* Arg. 2. omisio libera debet esse à voluntate, ut libera; sed non potest esse à voluntate, ut libera sine aliquo actu; ergo non est possibilis pura omisio libera. Prob. minor: nihil potest esse à voluntate, ut est vitalis, & activa, sine ali-

quo actu terminante ejus activitatem, & vitalitatem; sed quod est voluntate, ut libera, est ab ipsa, in quantum est potentia vitalis, & activa: ergo est necessarius aliquis actus. Resp. 1. disting. min.: sed non potest esse à voluntate, ut libera sine aliquo actu, vel formali, & positivo, vel interpretativo, concedo min.: sine aliquo actu formali, & positivo præcisè; nego min., & conseq. Solutio satis constat ex numero antec. Resp. 2.: negando min., & mai. prob. Ratio est; quia, licet voluntas sit potentia vitalis, & activa; tamen ultra istas formalitates importat differentiã essentialè libertatis; quod est posse agere, & non agere, per quod distinguitur ab intellectu, qui positus omnibus requisitis, non potest non agere. Alia plura, ad puram omisionem spectantia, traduntur à Nostratibus in Theologia Tract. de *Actibus humanis*; de *peccatis*; & de *merito*. Quarè merito ab hoc superfedemus.

QUÆST. V.

Quodnam sit objectum voluntatis?

PRO resolutione huius difficultatis præoculis habenda sunt dicta. Disput. antec., agendo de objecto intellectus. Ibi-

namque diximus, objectum aliud esse *motivum*, & aliud *terminativum*; aliud *naturalis inclinationis*; & aliud *naturalis attingentia*. In presenti ergo non disputamus de objecto terminativo voluntatis, sive hoc sit naturalis inclinationis, sive naturalis attingentia; nam idem iudicium formandum est de utroque objecto terminativo voluntatis, ac de terminativo intellectus. Ratio in summa est; quia omne, quod potest terminare actum intellectus, potest attingi à voluntate. Unde, cum ens, ut sic sit objectum adequatum, terminativum intellectus ex natura potentia, ens, eodem modo sumptum, erit objectum terminativum voluntatis ex inclinatione naturali istius: & ens finitum erit objectum naturalis attingentia voluntatis, sicuti est & intellectus.

Quare tota difficultas est de objecto motivo, seu de ratione formali sub qua voluntas tendit in objectum. Ratio dubitandi est; quia voluntas videtur, posse velle malum sub ratione mali, & nolle bonum, sub ratione boni. Unde, qui hoc subkinent, ex consequenti dicere debent, quod ens, sub ratione entis in tota sua latitudine est objectum motivum voluntatis, non verò ens, sub ratione boni. Et certè, si attendamus ad mentem Nost. Subt. Doct.

in hoc puncto nihil certi, resolvit, ut notat hic N. Mast. ex Doct. in 1. dist. 3. quæst. 3. §. *Ad rationes in oppositum*; & ex 2. dist. 6. quæst. 1. §. *Quia tamen*. Unde certè, quoad mentem Doct. non multum memorandum. Sed quia in hæc difficultate multum de nomine disputant AA., ideò, ut claritate possibili procedamus, aliqua ante resolutionem prænotanda sunt.

Notate, quod bonum; aliud est *essentiale*, & *accidentale* aliud: bonum accidentale est illud; quod constituit rem cum omnibus suis prædicatis integralibus, seu quod resultat ex aliquibus perfectionibus, spectantibus ad complementum accidentale rei, ut tanta magnitudo, talis color, &c. Bonum essenziale est illud, quod spectat ad essentialiam rei, & est cum ipsa saltem realiter identificatum. Hoc bonum essenziale adhuc est duplex: unum *primarium*, & *secundarium* alterum. Bonum primarium consistit formaliter in perfectione intrinseca rei, ita quod res sit ex omni capite integra, & secundum omnia sua intrinseca perfecta. Ista bonitas essentialis primaria non est passio entis, sed modus ejus intrinsecus, intimiorque quacumque sua passione. Bonum essenziale secundarium, quod etiam ab aliquibus *accidentale* dicitur, sed non

non in toto rigore accidentis, est quedam relatio transcendentalis, consequens ad naturam entis, tanquam eius propria passio.

4 Nota 2. : quod, qui dicunt, bonum ut sic esse obiectum formale adæquatum voluntatis, non loquuntur de bono accidentali in prima acceptione, nec de bono essentiali secundario, seu prout est passio entis: sed loquuntur de bono essentiali primario, in quantum est modus intrinsecus ipsius. Sed quia hoc bonum essentialis, ut sic, potest sumi prout supponit simpliciter, & immobiliter, pro ratione, scilicet tantum communissima boni: vel prout supponit pro hoc, & illo bono in particulari: vel tandem prout supponit absolute, tam pro ratione generali boni, quam pro speciebus, individualibus, hinc maxime advertendum est, quod prout ponitur obiectum motuum voluntatis, non est prout supponit simpliciter; aliàs non posset voluntas descendere in particulari à bona secundum rationes peculiare ipsorum. Nec prout supponit in particulari; quia sic voluntas non haberet unum per se obiectum specificativum; & ratio communis boni foret inappetibilis ab ipsa. Sumitur ergò bonum essentialis primarium prout supponit absolute; nam prout sic sumuntur universa-

liter obiecta prima, & adæquata potentiæ. *Notate 3.*, quod actus voluntatis, amor scilicet, alius est *amicitiæ*, & alius *concupiscentiæ*: amor amicitiae est, quo voluntas tendit in obiectum bonum propter se ipsum abque ullo respectu ad aliud, ut quando amo Deum propter se ipsum & non propter consecutionem gloriæ, nec propter metum inferni. Amor concupiscentiæ est, quo amo obiectum propter aliud, ut quando amo divitias Petro. Sed nota, quod hinc secundus amor semper præsupponit primum, vel formaliter, vel saltem virtualiter; nam, si Petro diligo divitias, est, quia Petrum diligo. Et hæc doctrina est communis Angelici, & Subr. Doct. Per oppositum ad has bonitates explicandæ sunt rationes mali, scilicet, aliud essentialis, & aliud accidentale: similiter; & odia in duplici differentia: aliud contrarium amori amicitiae, qui dicitur odium fugæ, quo tendit voluntas in obiectum, ut est in se: aliud contrarium amori concupiscentiæ, & est, quo fugimus bonum, ut conveniens inimico; quodque dicitur odium abominationis, præsupponens odium, contrarium amori amicitiae, ut diximus de amoribus.

6 His ergò prælibatis duplex difficultas in præsentibus

examinanda venit, quæ inter se magnam affinitatem habent. Prima: an objectum voluntatis sit ens sub ratione entis præcisè: an verò bonum sub ratione entis boni essentialis, & primarij? Secunda: an objectum formale ipsius voluntatis, non solum sit bonum sub ratione boni; sed etiam malum, sub ratione mali; ita ut voluntas possit amare malum, & propositum ut malum, sub ratione mali, & odire bonum, propositum sub ratione boni? De hac secunda difficultate jam aliquantulum egimus in Physica, agendo de causa finali. Quoad 2. part. Scotistæ inter se videntur divisi, eo quod, ut diximus Subt. Doct. problematicus videatur in hac re. Per duplicem conclus. has difficultates resolvam. Sit ergo

PRIMA CONCLUSIO:

OBJECTUM formale motivum voluntatis est bonum, seu ens sub ratione boni essentialis, & primarij. Est communior inter Scotistas; immò Contrarij æquivocatione laborant; nam non sumunt bonum, ut modum intrinsicum entis, sed ut passionem ipsius. Hoc videre licet apud nostrum Salmantinum Gonzalez hic q. 4.

artic. 1. Conclus. 1. Prob. nostra conclusio: potentia appetitiva debet distingui à cognoscitiva; sed in nullo alio distinguitur, nisi quia appetitiva fertur in rem, à se appetibilem, & sibi consentaneam: ergò appetibilitas, & contentaneitas, non formalitèr, sed fundamentalitèr sumptæ sunt objectum motivum voluntatis. Nunc sic sed appetibilitas rei fundatur in ejus bonitate, integritate, & perfectione: ergò hæc est objectum voluntatis: vel assignent Contrarij, cujus potentiæ sit objectum talis bonitas, & integritas essentialis?

Prob. 2. evértendo: fundamentum illi contrariorum ideo ens, ut ens, & non ut bonum esset objectum voluntatis; quia objectum motivum cuiuscumque potentiæ debet esse quid absolutum in se, & non constitui per respectum ad potentiam; sed tale est objectum, quod nos assignamus pro objecto voluntatis; cum assignemus bonum essentialè, modum intrinsicum entis, qui contra quod quidem bonum quid respectivum est: ergo ex nostra assertione non sequitur inconveniens præintentione Contrarij. Ex hac ratione moveor ad judicandum, quod sumendo bonum in hac acceptione, non re-

nunt Scotistæ, qui nobis ad-
versari videntur, in nostram
descendere conclus.

9 Dices tamen 1. con-
tra ipsam: quælibet potentia
appetitiva debet adæquari in
sphæra sui objecti, cum sua
cognoscitiva, sed objectum po-
tentia cognoscitivæ est ens, ut
ens: ergo & voluntatis. Con-
firm. : si ens præcisse ut bonum
esset objectum voluntatis; &
ens, ut ens, objectum intel-
lectus, sequeretur, quod in-
tellectus esset perfectior volun-
tate, contra quæ dicemus
questione ultima huius: ergo
dicendum est, quod ens, ut
ens, est objectum voluntatis;
Resp. negando absolutè mai.,
quia nulla est ratio convincens,
quod potentia appetitiva adæ-
quetur cum latitudine objecti
sua cognoscitivæ; sufficit enim,
quod objectum appetitivæ subor-
dinetur objecto cognoscitivæ, ut
docet Doct. in 1. d. 3. q. 3. §.
sed contra.

10 Ad confirm. nego
sequelã antec. nam ex majori, vel
minori latitudine objecti non
bonè inferitur maior perfectio
intellectus præ voluntatè; nam
licet hoc verum sit in potentijs
eiusdem generis, uti se habent
potentia cognoscitiva, sensitiva,
& intellectiva, non autem in
potentijs diversi generis, ut sunt
cognoscitiva, & appetitiva. Qua-
rè earum maior, vel minor

perfectio deducitur ex prædica-
tis intrinsicis talium potentia-
rum, ut loco citato videbimus.
Deindè; cum nos statuamus
pro objecto voluntatis bonum,
ut modum intrinsicum entis,
falsum est, quod latius pateat
objectum intellectus, quam vo-
luntatis; quia, cum res nequeat
concipi perfecte sine suo modo
intrinseco, nec modus intrinse-
cus sine sua re; hinc est, quod
bonum, non reduplicativè ut
bonum, sed bonum ut modus
intrinsecus entis, insimul cum
ipsomet ente, est quod movet
voluntatem. De hoc amplius
quæst. ultima hujus.

11 Dices 2. : non ens,
ut bonum, sed ut præcindens
à bono, & malo est objectum
mòtivum voluntatis: ergo tale
objectum est, ens, ut ens. Prob.
antec. : voluntas per odium, &
fugam fertur in malum, ut ta-
le: ergo ens, ut malum, est
objectum actus fugæ: ergo ens
præcindens à bono, & malo,
est objectum adæquatum volun-
tatis. Variè respondent Scotis-
tæ huic replicæ. Respondeo ta-
men ex doctrina Doct. in 2. d.
6. q. 2. §. *in ista questione*,
negando antecedens. Ad probar.
distinguo antec. : voluntas per
odium, & fugam tendit in ma-
lum, tamquam in objectum
materiale, & secundarium, conc.
antec. : tamquam in objectum
for-

formale , & primarium , nego antec. , & conseq. Itaque bonum , ut tale est formale obiectum , in quo per se primò tendit voluntas ; nam priùs amat rationem boni , & ex hoc odit rationem oppositam mali ; & sic non alia de causa odit malum , nisi quia vult bonum. Hæc doctrina est expressa in Doct. citato , ubi ait : *omne nolle præsupponit aliquod velle ; à nullo enim refugio , nisi quia non potest stare cum aliquo , quod accepto , tamquam conveniens. Et paucis interpositis : non possit (id est voluntas) habere nolle , nisi respectu , vel in virtute alicuius velle. Undè manifestè sequitur , quod sicut actus voluntatis nolle , seu fugere non sit primarius voluntatis , sed subsequatur ad amorem seu velle , ita malum , quod est obiectum nolle , subsequatur ad bonum , quod est obiectum primarium. Vide N. Mastr. hic difficultate secunda.*

SECUNDA CONCLUSIO:

12 *Voluntas nequit amare malum propositum , ut malum , seu sub ratione mali , nec odio habere bonum , propositum sub ratione boni. Hæc conclusio est satis familiaris in nostra Schola. Et procedit de amore amicitia , &*

non solum de amore concupiscentia ; nam de isto etiam conceditur ab Adversarijs. Prob. 1. ratione : modus operandi voluntatis , ut potentia libera , & quoad amorem amicitia , talis est , ut medio talis actu amoris , tendat in obiectum per modum ponderis , ipsomet obiecto atrahente , & aliciente voluntatem , media cognitione sui ad amorem ; sed hoc nequit fieri , nisi in ipsomet obiecto sit bonitas , trahens , & aliciens voluntatem ad ejus amorem ; ergo , quod non est bonum nequit esse obiectum amoris voluntatis. Maior constat ex illo dicto August. : *amor meus , pondus meum. Minor etiam patet ; quia malum , tam longè abest , ut atrahat voluntatem , quinimò , ipsam deterret , & avertit. Confirmatur paritate intellectus , cuius obiectum quoad assensum est verum ; & quoad dissensum falsum : ergo pariter ; obiectum voluntatis , quoad amorem , est bonum ; & quoad odium , malum.*

13 *Dices contra hoc : voluntas , qua potentia libera est , est libera libertate contrarietatis ; sed hoc ipso potest tendere per amorem in malum , qua malum : ergo potest velle malum. Prob. min. : ut , proposito sibi malo ; ut malo , salvetur ejus libertas contrarietatis,*

tis, requiritur, quod possit illud prosequi amore, vel odio habere: ergo potest velle malum sub ratione mali. Confirm.: quia, si voluntas, proposito sibi malo, ut malo, non posset illud amare, aut odio habere, nec posset etiam mereri, aut demereri circa tale objectum; cum meritum fundetur in libertate; sed hoc est falsum: ergo &c. Urgetur amplius: damnati appetunt, Deum non esse, & ex consequenti etiam volunt sui non esse; sed hoc est summum malum: ergo voluntas vult malum, ut malum.

14 Resp. ad replicam, quod voluntas respectu cuiuscumque obiecti creati, est libera, nedum libertate contradictionis, sed etiam libertate contrarietatis: de prima libertate nulli dubium est. De secunda constat: quia quodcumque obiectum creatum, quantumvis ut bonum proponatur, tamen potest aparere in ipso aliqua ratio mali, seu aliquis defectus boni, veri, aut apparentis. Unde, tunc voluntas circa ipsum potest exerceri per actus contrarios. Ad confirmat. nego sequentiam; quia ad meritum, & demeritum sufficit libertas contradictionis, qua possit prosequi vel non prosequi bonum: fugere, vel non fugere malum. Ad urgentiam dico, quod damnati ad summam

quadam velleitate volunt, Deum non esse, de qua postea. Vel volunt, Deum non esse in effectum suæ iustitiæ punitivæ; quia volunt; pœnas æternas non sibi infligi à Deo Iusto Iudice. Idem dic de appetitu sui non esse. De hoc in Theologia Materiâ de Demonibus. Vide Matritium hic difficultate secunda.

QUÆST VI.

In qua alia dubia de objecto voluntatis expediuntur.

DUbitabis 1.: an bonum, quod est obiectum voluntatis, sit bonum finis: an etiam mediorum: & an etiam possit esse bonum, præcendens ab utroque? Quod bonum finis sit obiectum voluntatis; certum est apud omnes, & quidem principalius. Difficultas est de bonitate mediorum: & etiam de bonitate præcendente à bonitate finis, & medij. De his difficultatibus solet latè tractari à Nostris in Materia de Actibus humanis. Quare breviter, ab his expedimur.

2 Dico 1.: non solum bonitas finis, sed etiam mediorum, est obiectum voluntatis. Est

N. Doct. pluribus in locis. Prob. ratione deducta ex Doctore: ideò media, qua talia, non possent esse per se volibilia à voluntate; quia ex se nullam utilitatem, & bonitatem haberent, nisi extrinsecam derivatam à bonitate finis; sed hoc est falsum; ergò, &c. Prob. min.: media antecedentèr ad finem ex propria natura habent utilitatem ad consequentem finis: ergò & bonitatem utilem. Ant. constat; nam utilitas mediorum est veluti virtus causativa finis: sed causa antecedit suum effectum: ergò media antecedentèr ad finem, &c. Confirm.: nam Medicina, quæ dicitur utilis ad reparandam sanitatem, estque medium ad ipsam, dicitur utilis: non per sanitatem ipsam, sed virtute intrinseca ipsius: ergò ex se habet aliquam utilitatem; & consequentèr aliquam bonitatem, propterquam amari possit à voluntate, ergo nedùm bonum finis, sed, & mediij potest esse objectum motivum voluntatis.

3. Ut replicæ, quæ hic obijci possent à Thomistis, faciliter solvantur, norandum est, quod non est idem, aliquid esse per se volibile, & amabile; ac esse amabile propter se. Illud est per se amabile, quod in se continet aliquam bonitatem intrinsecam, sive hæc bonitas sit honesta, sive delecta-

bilis, sive utilis (ut pro nunc omittamus bonitatem præfixam, de qua postea) Illud est amabile propter se, quod habet rationem finis, aut pro tunc est inordinabilis ad aliud. Hoc ergò notato, rationes Thomistarum solùm probant, media non esse amabilia à voluntate propter se; cum solùm amentur ratione finis: non verò suadent, quod non sint amabilia per se ratione bonitatis intrinsecæ, in ipsis repertæ. Undè libentèr fatemur, bonum finis esse objectum formale principale, ac primum motivum voluntatis; sed cum hoc comparitur, quod media sint etiam objecta per se amabilia secundariò.

4. Dico 2.: *bonum, medium inter bonum finis, & mediij, quod neutrum dici solet, potest esse objectum voluntatis.* Est contra Thom., sed expressa Subt. Doct. in 1. dist. 1. q. 3. §. *quantum ad primum.* Prob. ratione ipsius: voluntas potest tendere in objectum, ut sibi proponitur ab intellectu; sed intellectus potest ostendere voluntati aliquod bonum apprehensum sub ratione boni præcisè, præscindendo ab eo, quod tale bonum sit appetibile propter se, hoc est ratione finis, vel propter aliud, scilicèt ratione boni: ergò tunc casus voluntas poterit ferri in tale objectum sub

tali præciffa ratione boni ; & consequenter , bonum præcindens à bonitate finis , & medij , poterit movere voluntatem. Minor constat ; nam intellectus potest effe certus de eo , quod aliquod objectum est bonum : & dubius : an bonum bonitate finis , vel medij ; & sic proponere voluntati. De hoc in Metaph. , agendo de transcendentia entis.

5 Dubitab. 2. : an voluntas ex duobus bonis inæqualibus possit eligere minus bonum ? Respond. affirmativè cum Doct. in 3. dist. 36. quæst. unica , num. 14. Prob. : quod proponitur voluntati , ut bonum , & ut utile , potest amari , & eligi à voluntate ; sed minus bonum , cognitum ut tale , est bonum : ergò potest eligi à voluntate. Prob. min. : tum ; quia maius , & minus intra eandem speciem non variant specificè objectum : tum ; quia minus bonum , comparatum cum maiori , non opponitur ipsi , nec contrariè , nec contradictoriè : ergò adhuc relinquitur bonum : ergo potest amari. Confirm. ; quia aliàs difficulter posset salvari libertas contrarietatis in voluntate , si necessariò eligeret maius bonum ; nam non posset ipsum odio habere , quod requiritur ad libertatem contrarietatis. Has difficultates , veluti per transenam

examinamur hic : sicut & alias , quæ subsequuntur ; nam ad longum tractatæ sunt in Cursu Theologico hujus Almæ Provinciæ , tom. 4. tract. 11. de Actibus humanis Disp. 5. per totam.

6 Dubitab. 3. : an voluntas possit velle impossibile , cognitum ut tale , & prout sic sibi propositum ab intellectu ? Hæc difficultas latè traditur à N. Doct. in 2. dist. 6. quæst. 1. Et à Nostratibus in Theologia , Materia de Angelis malis. Sed pro aliquali ejus resolutione notandum est 1. , quod volitio , alia est *efficax* , & alia *inefficax*. Volitio efficax respicit finem per media ordinata ad ipsius consecutionem. De hac volitione non procedit difficultas ; quia extra omne dubium est , quod voluntas nequeat efficaciter velle impossibile , cognitum ut tale ; cum implicent media ordinata ad consecutionem objecti impossibilis , cognitum , ut talis. Volitio inefficax respicit objectum absque positione mediolorum ad consecutionem finis. Hæc volitio solet vacari *velleitas* , & explicatur per verbum *vellem* , non quia conditio se teneat ex parte voluntatis , sed se tenet ex parte objecti. De hac volitione procedit difficultas.

7 Notandum est 2. quod impossibile est duplex : unum *simpliciter*, & *absolutè tale*, ut creaturam esse Deum : aliud est *impossibile suppositione tantum*, ut quandò ego post peccatum commissum vellem, me non peccasse : hoc fuit possibile ante peccatum commissum, ne utiquàm tamen ex suppositione ipsius. De hoc secundo impossibili non est dubium ; nam, ut in nobis ipsis experimur, quampluries volumus, non peccasse. Quarè, tota difficultas est de primo impossibili, cognito ut tali, sicque proposito voluntari ; nam si cognoscèretur, aut proponeretur voluntari, ut possibile, posset ipsum velle, nedum inefficacièr, sed etiam efficaciter.

8 Dico : *voluntas potest velle volitione inefficaci impossibile simpliciter, & cognitum, ut tale*. Est contra omnes Thom.. Eam expressè tenet Doct. cit. ; probaturque ex Philos. 3. Æthi-
corum cap. 3. ubi ait : *voluntas est impossibile : electio non est impossibile* ; sed per ly *voluntas* intelligitur volitio inefficax complacentiæ : & per ly *electio*, quæ ponit media ad finem intelligitur volitio efficax : ergo, & licèt hæc non sit impossibile, benè verò volitio inefficax, seu complacentiæ. Prob. 2. ex Doct. citato in 2.,

ubi probat, voluntatem Angeli volitione inefficaci appetivisse æqualitatem cum Deo ; sed intellectus Angeli proposuit ejus voluntati istam æqualitatem, ut impossibilem creaturæ : ergò voluntas potest appetere impossibile, cognitum, ut tale, & sic propositum ab intellectu. Vide Doct. citat., & Scotistas super istam quæst., & difficultatem.

9 Solùm hic objici potest (nam varia argumenta, quæ contra hanc resolutionem militant, sunt plenè, planèque theologiae : undè meritiò ea hic omitimus) solùm, inquam, objici potest hoc commune argumentum : objectum voluntatis, ut diximus quæst. antec., est bonum propositum ab intellectu ; sed impossibile, quia tale, non est bonum : ergò voluntas non potest ullo modo velle impossibile. Resp. distinguendo mai. : objectum voluntatis est bonum, vel verum, vel apparens, vel præfixum, seu prætitutum, conc. mai. : est præcisse bonum verum, aut apparens : nego mai. ; & distinguo min. : sed impossibile non est bonum verum, aut apparens, conc. min. : non est, nec potest esse bonum præfixum, seu prætitutum à voluntate, nego min., & conseq. Hæc solutio pro sui explicatione eget varijs doctrinæ, jam pertinentibus ad Theologi-

giam, jam à nobis traditis in variis locis hujus Curfus Philosophici; præcipuè in Logica, agendo de ente rationis. Videte ibi.

10 Dubit. 4.: an voluntas possit necessitari ab aliquo objecto? Non est difficultas de voluntate viatoris; quia nullum objectum est in via, in quo non possit reperiri aliqua ratio mali. Undè procedit de voluntate Beati; an, scilicèt, Deus, clarè visus, necessitet voluntatem Beati quoad exercitium? Resp. negativè contra Thomist. Prob.: quamvis libertas contrarietatis dependeat ab objecto, ità quod si objectum est bonum, nequeat terminare actum odij, libertas contradictionis totalitèr se habet ex parte principij operantis, præcindens ab eo, quod objectum sit bonum, vèl malum: ergò adhuc Deus clarè visus &c. Nec obstat, quod Beati semper ament Deum, ità, quod nec possint ipsum odio habere, nec ab ejus amore cessere. Non obstat; nam hoc provenit ex divina voluntate, præstante suum concursum ad amorem tantum, manue tenentè voluntatem Beati erga ipsum. De hoc in Tract. de Beatitudine.

11 Dubit. 5.: an voluntas possit ferri in incognitum? Satis tritum, & familiare est illud proloquium, quod aliqui desumunt ex August.: *nihil vo-*

litum, quin præcognitum. Aug. enim 15, de Trinitate cap. 27. sic ait: *rem præorsus ignotam nemo dilligere potest.* Ex quo satis constat, quod naturaliter loquendò, voluntas non possit ferri in incognitum. Difficultas ergò est in altera providentia. Et ratio dubitandi est quædam doctrina Divi Dionisij, qui Lib. 7. de divinis Nominibus, & cap. 1. de mystica Theologia docet: tunc perfectissimè hominem conjungi Deo, quandò relicta cognitione temporalium, & spiritualium, ei unitur. Ex qua doctrinà inferunt aliqui Theologi Mystici, quod viri Sancti, constituti in altissima contemplatione, feruntur amore ardentissimo in Deum, sine ulla cognitione ipsius. Sed hac doctrina, ut probabili relicta, cum communiori sententia Theologorum, & receptissima inter Philosophos.

12 Dico: *voluntas, nec de potentia Dei absoluta, potest ferri in incognitum.* Prob.: quælibet operatio voluntatis debet esse voluntaria: ergò debet esse cum cognitione. Probat. consequentia: voluntarium est, quod procedit à principio libero cum cognitione finis: ergò si quælibet operatio voluntatis est voluntaria, necessariò, & essentialitèr est cum cognitione. Confirm.: voluntarium æquè requirit produceri à cognitione finis, ac à principio libero; sed re-

pugnat, adhuc divinitus, actus propriè voluntarius, qui non procedat à principio libero: ergò & repugnat actus voluntatis, qui non procedat à cognitione objecti. Ad rationem dubitandi ex Divo Dionisio resp., quod semper in tali altissima contemplatione intervenit actualis cognitio Dei, licet eam habentes, videantur, ea carere; quia sunt magis occupati in Dei amore, quam in ejus contemplatione. Deinde: ex magna facilitate, & consuetudine, quam habent erga Dei amorem, cognitionem pro tunc non animadvertunt, quod experitur in aliquo valde assuefacto in aliqua arte, qui cum pauca advertentia eam exercet. Quod autem sit talis cognitio, patet ex eo, quod post extasim, & raptum, memorantur eorum, quæ sibi in illo patefacta fuere, ut constat in Div. Paulo, qui post suum raptum exclamavit: *audivi Arcana Dei, quæ non licet homini loqui.* Tandem: Div. Dionisius solum ait; *relicta cognitione temporalium & spiritualium creatorum, sed non Dei.*

13 Sed dices adhuc: Deus se solo potest producere volitionem, voluntate merè passivè se habente; sed tunc casus voluntas media tali volitione, à Deo producta, posset tendere in objectum absque prævia cognitione ipsius: ergò saltem divinitus hoc potest fieri. Resp., con-

cessa mai., negando min.; nam, cum in veriori opinione relatio tendentiæ, & attingentiæ realitèr identificetur cum entitate absoluta actus, non posset Deus infundere amorem alicujus objecti sine prævia cognitione ipsius; quia tunc positio actus ratione tendentiæ nequit haberi, nisi media cognitione. Et casu dato, quod Deus se solo causaret volitionem objecti, absque ulla cognitione ipsius in voluntate, tunc voluntas non posset operari erga tale objectum; sed se haberet, sicut si poneretur in lapide. Vide, quæ diximus Disput. antec. quæst. 5. num. 19. & 20.

14 Dubit. 6.: an sufficiat, quod hæc cognitio prævia objecti sit simplex apprehensio: an verò requiratur iudicium? Resp. *quod sufficit simplex apprehensio.* Est Scotist., cum Doct. cit. contra Thomist. Probat. ratione: ut voluntas feratur in bonum, sufficit, illud sibi proponi ab intellectu; sed hoc fieri potest per simplicem apprehensionem: ergò non semper est necessarium iudicium. Major constat paritate appetitus sensitivi, qui, ut feratur in suum objectum, sufficit, quod sibi proponatur per simplicem apprehensionem; hæc enim sola datur in bruto: ergò paritèr, ut appetitus rationalis feratur in suum objectum, sufficit, quod ei of-

ten-

tendatur bonum ipsius per simplicem apprehensionem. Confirm.: non representatio boni, sed bonum representantum, est quod alicui; & movet voluntatem ad sui prosecutionem; sed in sola simplici apprehensione relucet, & representatur bonitas objecti: ergo hæc sola sufficit, ut voluntas ipsum amet.

15 Ut replicet, quæ hic objicere possent Thomistæ planè solvantur, notandum est primò ex dictis quæst. 3. hujus Conclusionem secundam, quod voluntas non determinatur ab ultimo iudicio practico intellectus; undè se ipsam determinat, & ut deliberatè se determinet, sufficit advertentia rationis sub his, aut illis circumstantiis sub quibus voluntas pro suo nutu eliciat, vel non eliciat actum: quod totum præstari potest per simplicem apprehensionem advertentem, & ostendentem objectum, vestitum talibus circumstantiis. Notandum est etiam, quod nos etiam concedimus, quod ut voluntas operetur, est aliquandò necessarium iudicium scilicet, ut voluntas eligat media determinata ad consequendum finem præintendum, dum adsunt plura sufficientia, & proponuntur ipsi ab intellectu cum prælatione maioris convenientiæ unius præ alio.

16 Dubit. deniquè: quomodo objectum, vel ejus

cognitio concurrat ad actum voluntatis? Tamquam quid certum supponimus ex Trid. Sess. 6. can. 4., objectum cognitum, seu ipsius cognitionem non esse causam totalem actuum voluntatis; aliàs hæc potentia merè passivè se haberet in ordine ad suos actus, quod damnatum est in præfacto loco Concilij. Undè: merito hic reprobatur Grosfledus. Undè difficultas in præsentibus est: an objectum cognitum seu ejus cognitio sit causa partialis efficiens simul cum voluntate actus ipsius voluntatis? An verò sola voluntas sit causa totalis efficiens suorum actuum? Certè, quoad mentem Nost. Doct. communiter Scotistæ ipsum faciunt problematicum; sed quia auctoritates, quæ ex ipso adducuntur pro parte asserente, objectum cognitum esse causam partialem effectivam actus voluntatis, faciliter solvantur; ideò

17 Dico: *voluntas est causa totalis effectiva suorum actuum: objectum vero cognitum, aut ejus cognitio solum concurrat in genere causæ finalis, aut formalis extrinsecæ.* Est probabilior in via Doctoris varijs in locis. Probat. ex ipso in 2. dist. 25. q. unica, num. 22., ubi ait: *dico ergo ad quæstionem, quod nihil aliud à voluntate est causa totalis volitionis in voluntate.* Probat. ratione: ut objectum cognitum vel

vel ejus cognitio esset causa effectiva partialis volitionis, deberet movere voluntatem, & concurrere ad volitionem secundum esse physicum, quod habet à parte rei, sed sic non concurrat: ergo. Maior constat; quia nulla causa potest physicè influere in effectum, quin physicè concurrat ad effectum. Probat. min.: objectum cognitum non concurrat nisi secundum esse cognitum, & apprehensum, repræsentanturque per notitiam præviam; sed hoc est solum concurrere secundum quid, intentionalitèr; & metaphoricè: ergo nec objectum cognitum, nec ejus cognitio concurrunt physicè ad volitionem.

18 Dices: species impressa concurrat efficientèr ad intellectionem: ergo & objectum cognitum ad volitionem. Confirm. ex Div. Aug. Lib. 15. de Civitate Dèi, ubi ait: *sicut verbum est proles intellectus, atque objecti; sic amor est proles voluntatis, atque verbi*: ergo objectum cognitum concurrat ad amorem. Resp. concessio antec., negando consequentiam. Disparitas est; quia conceptus est partus, & sicut iste provenit efficientèr à viro, & foemina; ita & intellectio ab intellectu fecundato specie. Volitio autem non est conceptus, sed imperus in objectum, & sic solum efficientèr provenit à voluntate.

Deindè: cognitio est formalis similitudo, & repræsentatio objecti, quod non reperitur in volitione. Ad author. Magni Parentis August. dico, quod salvatur ejus veritas per hoc, quod objectum cognitum, seu ejus cognitio concurrat tamquam conditio, vel tamquam causa finalis, in quantum movet; aut ut causa formalis extrinseca in quantum terminat, quod nos ultro fatemur. Qui plura circa hæc ultima dubia desideraverit, legat nostrum Mast. hic Disp. 7. quæst. 6. per totam.

QUÆST. VII.

De varijs actibus voluntatis; præcipuè de intentione, electione, & imperio.

I QUAMPLURIMI designari solent actus voluntatis. Sed omisissis quamplurimis, vel quia jam de ipsis actum est in quæstionibus antec.; aut quia ad Theologiam penitus spectant, hic specialitèr de quinque nobis agendum est, scilicèt, de intentione, electione, consensu, usu activo, & imperio. De quibusque aliquas proponemus difficultates.

2 Dubit. 1.: quid sit intentio? Non loquimur de intentione, pro simplici tendentia in aliquem finem; prout sic enim convenit omnibus rebus creatis: sed sumitur hic intentio propriè, pro tendentia alicujus in finem per certa media: hæc convenit tantum creaturis utentibus ratione; nam istæ tantum cognoscunt finem formalitèr sub ratione finis, & habitudinem mediorum ad ipsum. De intentione ergò, sic sumpta, quæritur in præsentibus: quid sit? an sit actus intellectus: an voluntatis?

3 Respondeo: *intentio est actus voluntatis circa finem propositum ab intellectu, ut appetibilem per certa media.* Sic Doct. in 2. dist. 38. quæst. unica. Prob.: objectum intentionis est finis, ut consequendus per media: sed sola voluntas est, quæ habet tale objectum, & quæ movet potentias ad consecutionem finis: ergò intentio est actus solius voluntatis. Confirmatur: intentio nihil aliud est, quam prosecutio, aut fuga objecti; sed prosecutio, aut fuga sunt tantum actus voluntatis; cum intellectus non prosequatur, aut fugiat; sed tantum judicet, quid voluntas debeat prosequi, aut fugere: ergo intentio est actus voluntatis. Certum ergò est, quod intentio præsuppositivè dicit ac-

tus intellectus; qua propter ab aliquibus vocatur *oculus*, & *lumen*, quod præsuppositivè, & antecedentèr intelligendum est, non vero formalitèr. Perquam solutionem solvantur replicæ, quæ hic obijci poterant.

4 Dubit. 2.: quid sit electio? Cujusque potentie actus? Pro solutione hujus notandum est, quod posita intentione efficaci alicujus finis (de ista enim hic loquimur, & non de ineffici), ex vi talis intentionis: ponuntur aliqui actus, tam intellectus, quam voluntatis. Primò enim ponitur inquisitio, qua intellectus quærit media, ad consecutionem finis intenti: si autem inveniat plura media pro tali consecutione, tunc datur alius actus intellectus, qui dicitur consultatio, qua intellectus comparat media inter se, ad investigandum quodnam illorum sit magis utile ad consequendam finem. Ex hac consultatione sequitur alius actus intellectus, qui dicitur sententia, seu judicium, quo intellectus judicat, hoc medium, esse utilius alijs pro adipiscendo fine. Tandem sequitur actus voluntatis, quo tale medium utilius judicatum præfert alijs, & hic dicitur *electio*. Undè ad difficultatem.

5 Dico: *electio est actus voluntatis, quo quis accipit unum medium, præ alijs.* Est

Noſt. Doct. in 2. diſt. 6. q. 1.
 §. *Ad argumenta.* Prob. : electio verſatur circa utile ; ſed utile comprehenditur ſub bono, quod eſt objectum voluntatis, ſaltem ſecundum affectionem commodi ; ergo quia electio eſt actus voluntatis. Deinde : electio dicitur bona, vel mala : non vera, aut falſa : ergo ſpectat ad voluntatem. Confirm. : ſi electio non eſſet actus voluntatis, eſſet aliquis ex actibus intellectus, aſſignantis numeram antec. ; ſed nec eſt *inquiſtio*, quia pro tunc non eſt electio : nec *conſultatio* ; propter eandem rationem : nec tandem *juditium*, ſeu *ſententia* ; quia poteſt quis bene judicare, & male eligere, ut quamplurimes experientia conſtat : ergo quia electio, licet præſupponat hos actus, in nullo ex his conſiſtit ; ſed in actu voluntatis.

6 Dubit. 3. : an intentio, & electio ſint actus, realiter diſtincti ? Tamquam certum ſupponimus, quod voluntas eodem actu, quo vult, ſeu intendit directe finem, ut conſequendum per media vult etiam indirecte ipſa media, prout conducunt ad finem : & eodem actu quo vult medium directe, vult etiam indirecte finem, prout continetur in medio. Ratio hujus eſt ; quia media ſunt virtualiter in fine, & finis eſt virtualiter in medijs, quamvis in

diverſo genere cauſæ : ergo actus tendens expreſſe, & directe efficaciter in finem, tendit etiam indirecte in media, & e contra. Difficultas eſt : an ille actus, qui formaliter, & expreſſe tendit in finem, ut conſequendum per media, ſit idem cum actu, quo eliguntur media, ut utilia ad finem ? N. Maſt., ex quo Diſcalz. Villac. cum alijs, tenent, quod, dum media ſunt determinata, ſeu unum tantum, idem eſt realiter actus intentionis, & electionis : ſi vero media fuerint plura, & indeterminata, tunc diſtincti ſunt actus intentionis, & electionis. Sed hac ſententia, ut probabili admiſſa probabilius.

7 Dico : *actus intentionis, & electionis formaliter, & expreſſe conſiderati, ſunt diſtincti.* Sic Curſus hujus Almaz. Provincie Materia de Actibus humanis Diſp. 5. queſt. 2, à numero 11. Prob. 1, ex ipſo : actus intentionis efficaciſſe erga finem eſt cauſa finalis reſpectu actus electionis ; ſed inter cauſam, & effectum debet dari diſtinctio realis : ergo actus intentionis diſtinguitur realiter ab actu electionis. Confirm. : ſicut aſſenſus principiorum ſe habet, reſpectu aſſenſus concluſionis, ita ſe habet intentio finis, reſpectu electionis medij ; ſed aſſenſus formalis principiorum eſt actus diſtinctus ab aſſenſu forma-

mali conclusionis : ergo & intentio formalis finis ab electione formali medij.

8 Prob. 2. conclus. ad hominem contra Mast. : juxta ipsum cit. num. 184. ; omnis electio est in se formalitèr , & non solum in causa simpliciter libera : & hoc sive sint plura , & indeterminata media , quæ eligi valeant , sive sit unum , & determinatum medium ; sed hoc ipso electio formalis distinguitur realitèr ab intentione : ergo &c. Maior constat ; quia , si supposita intentione efficaci , potest voluntas non eligere medium determinatum , ut pote libera ad non eligendum , poterit non eligere , & sic stare actus intentionis efficaci absque actu electionis ; consequenterque realitèr distinguuntur.

9 Argumenta , quæ hic objici possunt , facilè solvuntur ex dictis num. 1. hujus dubitationis ; probant enim tantùm , quod actus intentionis efficaci sit idem virtualitèr cum actu electionis mediorum , maximè , dum medium eligendum est unicum. Hoc , & nihil amplius probat illa autoritas Philosophi 3. Topycorum cap. 2. , scilicet : ubi unum est propter aliud , ibi tantum est unum , quod de unitate virtuali , ordinis , & integritatis est exponenda ; non

autem de unitate identitatis , aut simplicitatis. Deindè : bonitas finis ex dictis quæst. antec. , est distincta à bonitate medij ; medium siquidem ex se habet suam bonitatem intrinsecam : ergo & actus versantes circa tales bonitates , debent esse distincti , quamvis inter se subordinati.

10 Dubit. 4. : quid sit actus consensus ? Per consensum in præsentem intelligimus actum voluntatis acceptantis , & se applicantis ad illud , quod per consilium fuit propositum ipsi ab intellectu. Undè consensus est formalitèr actus voluntatis connotans , & supponens actum intellectus , & est actus liber ; quia solum quandò potentia liberè se applicat dicitur consentire ; undè propriè non datur consensus in brutis , pueris , & amentibus. An autem hic actus sit distinctus realitèr ab electione dubitant Scotistæ ; sed meo videri disputant de nomine ; nam , si consensus est acceptatio mediorum indifferentium , prout proponuntur ab intellectu per consilium , tunc præcedit electionem , realitèrque distinguitur ab ipsa. Si verò consensus est erga medium determinatum , sic propositum ab intellectu , electumque à voluntate , tunc est idem cù electione. Res est parvi momenti.

11 Dubit. 5. : utrūm
 usus sit actus voluntatis , ab
 electione distinctus ? Usus in
 presenti sumitur *active* , hoc
 est , pro applicatione , seu mo-
 tione , qua voluntas applicat
 potentias sibi subditas ad ope-
 randum circa media. Ex quo
 constat quod sit actus volunta-
 ris. An verò distinctus sit ab
 electione ; est , quod quæritur.
 Resp. affirmativè. Ratio est ; quia
 ea realitèr distinguuntur , quo-
 rum unum est prius alio , &
 potest esse sine ipso ; sed elec-
 tio est prior usu activo , &
 potest esse sine ipso ; nam po-
 test quis efficacitèr eligere ali-
 quod medium , quod postea non
 exequatur , vel si exequatur , sit
 post multum temporis : ergò
 quia electio medij , & usus ac-
 tivus illius realitèr distinguun-
 tur. Videatur Cursus hujus Al-
 mæ Provinciæ loco citato, quæst.
 3. dubio 2., & 3.

SOLVUNTUR DUBIA de Imperio.

12 Separatim agimus de
 hoc actu ; quia de ipso varias
 movent quæstiones Thomistæ :
 quas & nos breviter discutie-
 mus. Dubitabis 1. an impe-
 rium sit actus intellectus ; an
 verò voluntatis ? Sumitur hic

imperium , non per modum
 consilij : regulæ , & dictaminis,
 ad agendum ; nam istud non
 est propriè imperium ; siquidè
 eo stante , non sequitur neces-
 sariò actus imperatus ; sed su-
 mitur imperium pro reali domi-
 nio decernendi , ac determinan-
 di , tam suos actus , quam ac-
 tus aliarum potentiarum ; ita
 ut ad imperium statim potentia
 inferiores obediant , & exe-
 quantur actum imperatum. Un-
 dè , actus imperij explicatur per
 verbum imperativi modi , sci-
 licèt , *fac hoc*. De isto ergò
 quæritur : an sit actus intellec-
 tus : an voluntatis ?

13 Dico : *imperium est
 actus voluntatis*. Est contra
 Thomist. : eam tenent Scotistæ
 cum Doct. pluribus in locis ;
 maximè in 3. dist. 17. : & in
 4. dist. 14. q. 2. : & dist. 49
 quæst. 4. Prob. 1. autoritate
 Mag. Parens August. Lib. 8.
 de Civitate Dei cap. 9. docet,
voluntatem imperare in regn.
Animæ : & Lib. 19. cap. 14.
 asserit, *voluntatem uti omnibus
 alijs potentijs*. Item Anselmus
 Lib. de Conceptu Virginis cap.
 4. tenet, *voluntatem movere se
 contra iudicium aliarum potentia-
 rum* ; quia omnes alias mover
 secundum imperium suum : er-
 gò juxta SS. PP. , imperium est
 actus voluntatis.

14 Prob. 2. Conclus.: imperium, & dominium idem sunt; sed dominari, decernere, & determinare convenit voluntati: ergo & imperare. Prob. minor: sola voluntas est activè indifferens, determinans, & decernens: ergo ipsi convenit dominium. Confirmatur: imperium consistit formalitèr in illo actu, cui correspondet obedientia; siquidem obedire, & imperare sunt correlativa, & subordinata, tamquam inferius, & superius; sed obedientia est actus voluntatis, ut patet ex verbis Christi Domini; obedientis imperio Patris: *non sicut ego volo, sed sicut tu vis*: ergo obedientia est actus voluntatis. Urgetur: verus obediens dicitur ille, qui non habet aliam, quam voluntatem superioris: g. obedientia consistit in actu voluntatis. Hoc amplius explicatur in Theologia, Materia de Legibus, inquirendo: an lex sit actus voluntatis?

15 Prob. tandem conclusio: imperium efficax significat illum actum, quo posito, tam voluntas, quam ceteræ potentiæ non possunt non exercere actum imperatum; sed nulus est actus intellectus, quo posito, voluntas non possit exercere suam libertatem, ponendo, vel non ponendo actum: ergo in nullo actu intellectus stat imperium efficax. Maior conceditur à Thomist. Prob. min.: si esset

aliquis talis actus intellectus, maximè ultimum iudicium practicum intellectus, quod determinatè dicitur, *hoc esse faciendum*; sed ex dictis quæst. 3. huius, voluntas non determinatur à tali actu; cum ipsa sit determinativa sui, & aliarum potentiarum: ergo nullus est actus intellectus, &c.

16 Dices 1. ex varijs autoritatibus Philosophi; nam 1. Æthicorum cap. ultimo ait, *quod ratio præcipit, & appetitus obtemperat*; sed ratio est intellectus, & appetitus voluntas: ergo, &c. Deinde 6. Æthicorum, à cap. 8. : & 3. de Anima text. 46. tenet, quod *ad prudentiam pertinet præcipere actus virtutum*; sed prudentia est virtus pertinens ad intellectum, non vero ad voluntatem: ergo, &c. Tandem: quia imperium explicatur per hæc verba: *fac hoc*; sed hoc est ultima conclusio syllogismi practici, ex qua voluntas immediatè movetur ad opus: ergo, &c. Ad primum resp. ex Subt. Doct. in 3. dist. 33. quæst. unica, num. 4., respondente cuidam authoritati Augusti., quod Philos. per *appetitum* intelligit appetitum sensitivum, & per *rationem*, intelligit totam naturam rationalem, quatenus complectitur potentiam intellectivam, & volitivam: & huic, tamquam superiori, & imperanti, subditur, & obtemperare te-

netur pars sensitiva, seu inferior.

17 Ad secundum explico maiorem: ad prudentiam pertinet præcipere actus virtutum imperio secundum quid, hoc est, directivo, morali, & extensivo actuum virtutum, conc. mai.: imperio rigurose sumpto, hoc est physico, & decretivo, nego mai.: & concessa min., nego conseq. Posito enim iudicio practico, sapientiae, & prudentiae, potest voluntas non obedire, imò oppositum præcipere. Ad ultimum, nego min.; nam in conclusione syllogismi practici solum reperitur imperium morale, scilicet, directivum, & ostensivum, quod explicatur per hæc verba: *faciendum est hoc*. Et sic stante tali conclusione practica, potest voluntas oppositum imperare.

18 Dices 2.: imperare, est ordinare imperatum ad aliquid, intimando, & denunciando, quid debeant agere, vel omittere; sed ordinare, intimare, & denunciare pertinet ad intellectum: ergo, &c. Maior constat; quia leges, & præcepta Superiorum dicuntur *Ordinationes*. Minor etiam pater; quia ordinatio, est comparatio unius ad alterum, quod est proprium intellectus: intimatio, & determinatio, est quedam manifestatio, & locutio intellectuales. Resp. disting. mai.: impe-

rare, est ordinare imperatum, decernendo, & statuendo præceptivè, conc. mai.: regulando, vel dirigendo, nego mai.: in-
versis terminis distinguo min., & nego consequentiam. Solutio satis constat ex dictis

19 Dubit. 2.: quomodo voluntas moveat potentias, sibi subditas: Communis Thomist. sententia in hac re docet, voluntatem movere potentias inferiores, imprimendo in illis quandam qualitatem per modum transeuntis, virtute cuius potentia inferior disponitur, & applicatur ad operandum. Verum hæc sententia facillè rejicitur; quia hæc qualitas transiens se haberet per modum impulsus, lapidis v.g., impressi à manu movente. Quæro nunc: vèl iste impulsus, aut qualitas esset spiritualis, vèl materialis? Non primum; quia non posset recipi immediatè in potentijs materialibus subjectis voluntati; cum nullum accidens spirituale in subjecto materiali recipi possit, ut diximus in Physica. Neque secundum, quia cum voluntas sit de se potentia spiritualis, nequit producere impulsus materialem, saltem ut causa adæquata: ergo nequit dari talis qualitas transiens, in qua consistat talis motio voluntatis.

20 Alij autem tenent, talem motionem fieri solum per concursus simultaneum volun-

tatis cum alijs potentijs ; nam ex voluntate , & potentia inferiori , seu subdita , v.g. intellectu , fit una totalis , & integra causa , quæ producit intellectiōnem. Et sic ad operandum non est necessarium quod voluntas motione sua imprimat aliquod prævium physicum , sed sufficit concursus simultaneus ipsius. Pro hoc modo dicendi citant aliqui Subt. Doct. in 2. dist. 42. quæst. 4. §. *Respondeo* , v. *Aliter posset dici* : & in quarto , dist. 49. quæst. 4. §. *Præterea* , ubi ait : *similiter posset dici quod intellectus dependet à volitione , ut à causa partiali sed superiori*. Sed certè Subt. Doct. in his locis dubitativè loquitur ; & in 2. citato , non approbat talem modum ; nam immediatè addit : *sed tamen hoc est difficultus*. Quare , resolvendo difficultatem

21 Dico : *voluntas in homine movet potentias , quæ illi obediunt per connexionem , & sympathiam , quæ est inter has potentias ; ita ut posito actu efficaci voluntatis , quo vult actus harum potentiarum , statim efficiant talem actum*. Idem dic de appetitu in brutis respectu suarum potentiarum. Est Doct. cit. in 2. , ubi num. 10. ait : *Dico , quod potentia motiva in homine est in obedientia servili , respectu voluntatis , quæ 1. Politicorum cap. 3. vocatur d' spotica : undè in tan-*

tum sibi obedit , quod nullum membrum habile ad motum , resistit imperio voluntatis.

22 Prob. Conclusio ratione : plures sunt potentiæ in nobis , quarum una sine alia non possit operari ; sed hoc provenit ex conjunctione alicujus qualitatis physicæ : ergò similiter , quod potentiæ subditæ voluntati operentur ad motum , ipsius voluntatis , provenit ex conjunctione , colligatione , & sympathia talium potentiarum. Maior constat in intellectu , qui pro statu isto non potest operari sine sensu , nec sensus exterior sine interiori , ut patet in dormientibus , aut non attendentibus ; nam ligatis sensibus internis , nihil per externos sentimus. Minor etiam patet ; nam intellectus nihil influit in sensum internum nec sensus interior in exteriorem , aut ejus actum : ergò solum provenit hoc ex colligatione , conjunctione , & sympathia , harum potentiarum inter se : ergò idem dicendum erit de motione voluntatis.

23 Dices contra hoc : hæc colligatio , & conjunctio voluntatis cum potentijs , sibi subditis , semper est , cum sit connaturalis ; sed non semper est motio voluntatis : ergò quia hæc non potest consistere in ali colligatione. Confirm. : posita motione efficaci voluntatis , non sequitur motus appetitus sensiri-

vi, quia hic quampluribus resistit voluntati, ut experientia docet; sed semper stat colligatio voluntatis cum appetitu sensitivo: ergo, &c. Resp. disting. mai.: hæc colligatio, &c., semper est *in actu primo*, conc. maior: semper est *in actu secundo*, nego mai.: & concessa minor, nego conseq. Non ergo in mera conjunctione harum potentiarum stat motio voluntatis, sed ultra requiritur, quod voluntas velit illud objectum efficaciter erga quod movet: & ex tali volitione, & conjunctione potentiarum sequitur motio in actu secundo. Ad confirm., nego antec.; nam si voluntas permaneat movendo efficaciter appetitum sensitivum, hic quantumcumque resistat, operabitur.

24 Dubit. 3.: quænam potentia subdantur imperio voluntatis? Suppono, ut certum, quod potentia vegetativa non subdantur per se, & directe imperio voluntatis, sed solum mediate, & indirecte. Explicatur hoc: est enim in potentia voluntatis applicare activa passivis, v.g. alimentum stomacho; sed semel ac istud applicetur, non cadit sub imperio voluntatis nutrire, vel non nutrire alimento. Unde tantum per accidens, & indirecte cadunt sub imperio voluntatis exercitia harum potentiarum; quia uti potentia mere naturales necessario

operantur, semel positus omnibus requisitis, ad operandum.

25 Suppono 2., quod primus actus intellectus, & sensus non subijciuntur voluntati: quod ita intelligendum est, sive sint primi in tota vita, sive sint quando quis excitatur à somno, sive fiat circa aliquid negotium, erga quod antea nullam notitiam, adhuc confusam habuit. Ratio hujus suppositionis desumitur ex dictis in antecedentibus, quæ in summa est hæc: voluntas nequit ferri in incognitum: nec in intellectu potest esse aliquid pro statu isto, quin prius fuerit in sensu: ergo prima cognitio ex parte sensuum antecedit cognitionem primam ex parte intellectus, & prima non dependet à voluntate: ergo nec intellectus, nec sensus, quoad primas cognitiones dependet à motione voluntatis. His notatis,

26 Dico, quod voluntas potest imperare omnes potentias hominis. Hæc conclusio est communis: Et probari solet de actibus intellectus, & sensuum, appetitusque sensitivi, ex eo, quod in actibus harum potentiarum potest esse peccatum; sed nequit esse peccatum, quin sit libertas, quæ provenire debet ex actu voluntatis cum tales potentia libera non sint: ergo circa actus talium potentiarum est imperium in voluntate. Alias

raciones circa hoc, & actus potentie, loco motive, vidè hic in Nost. Mast. dubio 3.

27 Dubit. ultimò: qualis actus voluntatis sit imperium? Resp., quod entitativè est ipse actus usus activi connotans insinuationem, qua per intellectum notificatur homini illa determinatio, seu decretum voluntatis. Prob.: imperium est ille actus, quo voluntas decernit executionem medijs electi, & quo obligat, movet, & applicat potentias sibi subditas, ad illius executionem; sed hic actus est usus activus, ut supra diximus: ergò imperium entitativè est hujusmodi actus. Alias quamplures difficultates, tam de voluntate, quam de ejus actibus poteramus hic movere; sed cum spectent ad Tract. de Actibus humanis, merito ab ipsis pro nunc abstinemus, cum ad physicam speculationem non attingant. Quare sit

QUÆST. ULTIM.

An voluntas sit potentia perfectior intellectu?

PRO solutione hujus difficultatis, notate, quæ diximus de distinctione harum po-

tentiarum inter se; nam de ipsis prout formalitèr ex natura rei distinctis procedit difficultas: quænam ex his potentijs sit perfectior? Et non loquimur de perfectione secundum quid, seu in esse moris nam de ista perfectione ultrò concedunt contrarij; siquidem amor Dei mortalitèr perfectior est, quam ejus cognitio: sicut per oppositum odium Dei imperfectius est errore, seu ignorantia circa Deum. Hoc supposito, Thomistæ communitèr tenent, intellectum simpliciter perfectiorem esse voluntate: è contra vero Scotistæ, cum suis, & alijs, cum quibus sit

2 Conclusio: *voluntas est simpliciter perfectior intellectu.* Est contra communem Thom.: expressa tamen in Nost. S. Doct. in 4. dist. 49. quæst. 1. Prob. 1. ex ipso: voluntas absolutè dominatur, tam suis actibus; quam actibus aliarum potentiarum; sed dominium ex parte voluntatis absolutè probat excessum perfectionis ipsius supra intellectum: ergò est perfectior voluntas intellectu. Maior constat; tam ex dictis quæst. antec., agendo de imperio voluntatis, quam quæst. 3. hujus de radice libertatis Minor est certa; & consequentia inferitur.

3 Prob. 2. Conclusio ex eodem Doct. citato: ex perfe-

teriori actu alicujus potentie, perfectiorique habitu, arguitur maior perfectio potentie; sed tam actus perfectissimus voluntatis, quam ejus habitus, est perfectior actu, & habitu perfectissimo intellectus: ergo & ipsa potentia voluntatis. Prob. minor quoad primam part.: actus perfectissimus voluntatis est *amor Dei*; & actus perfectissimus intellectus est *cognitio Dei*; sed amor Dei longe excedit in perfectione cognitionem Dei: ergo &c. Prob. eadem minor quoad secund. part.: charitas est habitus voluntatis; sed charitas excedit in perfectione quemcumque habitum intellectus, juxta illud Pauli. 1. ad Corinth. cap. 13.: *maior autem horum est charitas*: ergo, &c. Responsiones Thomist. huic rationi pendunt ex his, quæ docentur in Theologia Tract. de Beatitudine, agendo de constitutivo formali ipsius.

4. Prob. tandem conclusio ad hominem contra ipsosmet Thomist.: illa potentia est perfectior, cujus objectum est perfectius; sed objectum voluntatis est perfectius objecto intellectus, stando principiis Thomist.: ergo voluntas est perfectior intellectu. Prob. minor: objectum intellectus, juxta Thomistas, est *verum*, & objectum voluntatis *bonum*; sed bonum est perfectius verò: ergo objectum

&c. Prob. min.: in tantum aliquid dicitur perfectum, in quantum est bonum: ergo quia bonum est perfectius verò. Notate, quod hæc probatio non concludit evidentèr, sed tantum ad hominem contra Thomist., qui asserunt, ens sub ratione veri esse objectum adæquatum intellectus.

Solvuntur Argumenta.

5. ARG. 1.: homo per intellectionem distinguitur à brutò, & non per voluntatem: ergo intellectus est perfectior voluntate. Prob. antec.: brutum operatur voluntariè, ut patet experientia, non autem intellectualitèr: ergo homo per intellectum, &c. Confirm.: potentia, per essentiam rationalis, est perfectior potentia rationali, solum per participationem; sed intellectus est potentia per essentiam rationalis; voluntas vero solum est rationalis per participationem: ergo, &c. Minor quoad secund. part. constat; nam voluntas est potentia cæca, & inepia ad operandum absque lumine intellectus. Resp. negando antec. argumenti quoad secund. part. Ad prob. disting. antec.: bru-

brutum operatur voluntariè sumpta voluntarietate pro spontaneitate, conc. antec. voluntarietate sumpta pro libertate, nego antec., & conseq. Solutio satis constat ex dictis quæst. 1. hujus.

6 Ad confirm. respond. disting. mai. : potentia, per essentiam rationalis, sumpta rationalitate pro cognitione discursiva, est perfectior potentia rationali per participationem, nego mai. : sumpta rationalitate in alio sensu, omitto mai. Itaque falsum est, quod potentia rationalis intellectiva (dico *intellectiva*; quia etiam voluntas est potentia rationalis, quatenus radicatur in anima rationali, non minus, ac intellectus) falsum est, quod sit perfectior potentia rationali per participationem; qualis est voluntas. Quando dicitur, quod voluntas est *potentia cæca*, hæc est impropria locutio, nam voluntas non est apra nata ad videndum; quare negatio cognitionis in voluntate non dicit imperfectionem; quia cognitio non est perfectio debita voluntati, sicut libertas intellectui. Immo argum. patitur instantiam sic: potentia per essentiam libera, est perfectior potentia, dumtaxat libera per participationem; sed voluntas est per essentiam libera, intellectus solum per participationem est liber: ergo, &c.

7 Arg. 2. : omne independentens est perfectius illo, quod dependet, sed intellectus non dependet à voluntate, bene verò voluntas ab intellectu: ergo, &c. Responderi potest primo ex Doct. citato: negando mai.; quia independentia solum arguit excessum perfectionis in primo ente, quale est solus Deus; nam in creatis, compositum dependet à partibus: forma à materia; & tamen compositum est perfectius partibus, & forma materia. Resp. 2. omiſſa mai., negando min.. Ratio est, quia plus dependet intellectus à voluntate, quam è contra; etenim voluntas solum dependet ab intellectu, tamquam Domina à servo; ipsam manuſcente; & sicut Domina potest imperare servo, quod aliud arripiat iter; ita voluntas potest imperare intellectui, ex quo imperio, & dominio absoluto infertur maior perfectio potentie. Huc spectat illud Anselmi: *voluntas est Regina in Imperio anime.*

8 Arg. 3. : illa potentia est perfectior, cujus actus est purior; sed actus intellectus est purior actu voluntatis: ergo intellectus est perfectior. Prob. minor: actus intellectus nullam impuritatem contrahit ab objecto; bene verò actus voluntatis: ergo, &c. Prob. antec. : intelligere malum non est malum;

benè verò velle malum est malum; sed primus est actus intellectus, & secundus actus voluntatis: ergo, &c. Resp. negando min. Ad probat. nego ant. Ratio est; quia actus intellectus potest esse impurus idest erroneus, quando præstat assensum objecto falso, non minus, ac actus voluntatis, quando vult objectum malum; quare, si actus intellectus dicitur purus; quia non assentitur falso, ut falso; etiam actus voluntatis erit æquè purus; quia non potest velle malum, ut malum. Itè: actus voluntatis per se est meritorius & per illum alij, suppositis supponendis: ergo actus intellectus ex se non est purior, aut nobilior. Immo argum. patitur instantiam; nam sequeretur, quod sensus esset perfectior intellectu.

9 Arguitur 4.: objectum intellectus est perfectius objecto voluntatis in nostris principijs: ergo & ipsè intellectus est perfectior. Prob. antec.: objectum intellectus est ens reale in tota sua latitudine: objectum verò voluntatis est bonum: ergo objectum intellectus, &c. Confirm.: intellectus attingit perfectiori modo suum objectum, quam voluntas: ergo est perfectior ista. Prob. antec.: intellectus attingit suum objectum abstrahendo ab ejus existentia, & solum considerando

nudam rei quidditatem: voluntas autem non tendit in objectum, nisi ut dicit ordinem ad existentiam, vel actualem, vel futuram; sed attingere abstractiori modo, est attingere perfectius: ergo intellectus, &c.

10 Resp. ad argumentum, negando antec. Ad prob. disting. antec.: objectum intellectus, &c.; objectum verò voluntatis est bonum; modus intrinsecus entis, quodque convertitur cum ipsometente, conc. antec.: est bonum, passio entis, nego antec., & consequ. Solutio constat ex dictis, agendo de objecto voluntatis. Ad confirm. nego anteced., & mai. probationis quoad utramque part.; quia nec semper intellectus attingit objectum præcisivè ab existentia, ut patet in cognitione intuitiva; nec semper etiam voluntas abstrahit ab existentia objecti; sed aliquando tendit in ipsum, ut existentem, aliquando verò præcindit, maximè dum tendit per actum simplicis complacentiæ, & appetitu inefficaci. Undè non magis immaterialitèr operatur intellectus, quam voluntas.

11 Arg. deniquè: illa potentia est perfectior, cujus habitus est perfectior; sed habitus intellectus est perfectior habitus voluntatis: ergo &c. Prob. minor: lumen gloriæ est perfectior charitate; sed illud est habi-

bitus intellectus, & ista habitus voluntatis: ergò, &c. Prob. mai.: illud, cui ob suam perfectionem repugnat inesse viatori, est perfectius illo, quod ei inest; sed lumen gloriæ ob suam perfectionem repugnat inesse viatori, charitas autem inest: ergò, &c. Confirm.: quod distinguit imperfectum à perfecto, est perfectius illo, quod est utriusque commune; sed lumen gloriæ distinguit Comprehensorem à viatore: & charitas est utriusque communis: ergò lumen gloriæ est perfectius charitate; & consequenter intellectus perfectior voluntate.

12 Resp. concessa maior, negando min. Ad probat. nego mai.: & ad istius probat., concessa mai., disting. minor. quoad secund. part.: sed non repugnat charitati in esse viatori, charitati ut sic, seu ex suo conceptu formali, conc. min.: charitati consummata, nego min. Charitas ergo consummata, qualis est Charitas Patriæ (præscindendo pro nunc: an distinguitur specificè à charitate viæ; necne?) æquè repugnat viatori, ac ipsi repugnat lumen gloriæ; nam viatori æquè repugnat fructio Dei, ac ipsi repugnat visio beatifica; sed sicut lumen gloriæ secum affert visionem beatificam, ita charitas consummata affert fructum Dei: ergò utraque æquè repugnat.

Per quod patet ad confirmationem, cujus mai. omitto, & distinguo min., quoad ultimam part.: & charitas ut sic est utriusque communis, conc. min.: charitas consummata, nego min.; nam hæc non minus, si non magis distinguit comprehensorem à viatore, ac lumen gloriæ. De hac Materia de Beatitudine.

DISP. ULT.

DE ANIMA separata.

TRATAVIMUS USQUE nunc de potentijs, & actibus animæ pro statu conjunctionis cum corpore. Nunc autem de illis pro statu separationis aliqua breviter subjiciemus, quæ spectant ad philosophicum institutum, omittingo alia, quæ Theologica sunt. Pro quo sit



bus, quærimus: an sint naturales, vel violenti animæ.

QUÆST. I.

An status separationis animæ à corpore, sit illi naturalis, vel violentus?

PRO resolutione hujus difficultatis nota primò, quod naturale, violentum, & neutrum, si propriè, & in rigore sumantur, solum competunt principio passivo, ut docuimus secundo Physicorum Disput. 1. quæst. 2. Undè in hoc sensu status separationis, nec est naturalis, nec violentus animæ; quia animam rationalem à corpore nihil recipit; sed potius ei perfectionem communicat. Quare hic sumuntur hi termini largè, & purè privativè, in quantum potest etiam convenire principio activo; quia naturale est ipsi communicare propriam suam perfectionem, & violentum secundum quid, eam non communicare. Nota 2.; quod anima potest considerari comparativè ad corpus in triplici statu primò in statu conjunctionis cum ipso, ut corruptibilis: secundò in statu separationis ab ipso: tertio in statu reassumptionis ipsius, ut incorruptibilis, & immortalis. De omnibus his stati-

2 Dico status conjunctionis animæ cum corpore mortali est ipsi naturalis: status separationis ab ipso est magis connaturalis animæ: & tandem status conjunctionis cum corpore immortali est animæ connaturalissimus.

Conclusio in re est communis quoad omnes partes. Prob. quoad primam: anima rationalis ex se est substantia partialis incompleta, ordinata ad constituendum aliud totum completum cum corpore, quod informat: ergo status conjunctionis ipsius cum tali corpore mortali, est ipsi animæ naturalis. Antec. est certum Consequentia infertur; quia naturale est, sumpto naturali largè modo communicare suam perfectionem imperfecto: ergò non est ipsi naturale impedire à communicatione suæ perfectionis.

3 Prob. 2. pars conclus.: inspecta natura animæ rationalis, in quantum est principium suarum operationum perfectius, ac expeditius eas exequitur, dum est separata, ac dum est conjuncta: ergò talis status separationis à corpore mortali, &c. Antec. constat; quia separata non eget conversione ad phantasmata, sicut conjuncta: & plura objecta cognoscit, quæ antea non cognoscebat. Confirmatur

tur: anima rationalis est immaterialis, & ab intrinseco incorruptibilis, immortalis, & æterna: ergò naturalitèr inclinatur in æternam conservationem sui: ergò naturalitèr inclinatur in statum separationis. Probat. hæc consequentia: res, quæ inclinatur in suum ultimum finem, naturalitèr inclinatur in id, quod est medium utile ad talem finem, immò & necessarium; sed medium unicum, & necessarium, ut anima rationalis consequatur talem finem, est status separationis ipsius à corpore corruptibili; quia secundum cursum naturalem, nequit talem finem consequi inexistenti corpore corruptibili: ergò &c.

4 Prob. tandem ultima pars: ille status est connaturalissimus, in quo res habet omnimodam suam perfectionem nihilque deficit, aut aliquod patitur detrimentum; sed anima rationalis in statu conjunctionis omnia hæc habet, nihilque ei deficit, tam in essendo, quam in operando: ergò ille status est animæ connaturalissimus. Prob. min.: in essendo completur ejus vis informativa, & communicativa suæ perfectionis corpori, quod informabit inamissibilitèr: Completur in operando; quia modo perfectissimo intelliget independenter à phantasmatibus, & operationes sensitivas longè perfec-

tiores exercet: ergò in tali statu nihil ei deficit desiderandum, & consequentèr, &c.

5 Dices contra duas primas conclusiones: si status separationis à corpore corruptibili est connaturalis animæ, status conjunctionis cum tali corpore corruptibili erit ei violentus; sed hoc est contra primam partem. Conclus.: ergò una ex his non tenet. Maior constat; quia status conjunctionis opponitur statui separationis: ergò, &c. Resp. negando mai. Ad probat. distinguo antec.: status conjunctionis, simul habendus, opponitur statui separationis, conced. antec.: ut successivè habendus nego antec. Claret hoc exemplo materiæ primæ, quæ naturalitèr quiescit sub forma imperfecta, quamvis magis inclinatur, connaturaliusque existat sub forma perfectiori; sic ergò anima rationalis, connaturalitèr quiescit cum corpore corruptibili, sed magis connaturalitèr ab ipso separata.

6 Dices 2.: anima conjuncta perfectiores elicit operationes, quam separata: ergò connaturalior est conjunctio, quàm separatio. Prob. antec.: conjuncta elicit actus vegetandi, qui cum sint substantiales, nequeunt non esse perfectiores, quam intellectio, & volitio, quæ sunt operationes ipsius, ut separata:

ergò, &c. Resp. negando ant. Ad probat. dico, quod operationes vegetandi sunt perfectiores in esse rei, ac ratione sui termini substantialis, non verò in genere operationum vitalium, quæ ordinantur ad acquirendam Beatitudinem: ex quibus operationibus colligenda est maior, aut minor perfectio potentiæ vitalis & rationalis. Deindè: inter operationes vitales intellectio, & volitio sunt nobilissimæ; undè cum eas perfectius exerceat, ut separata, quam, ut conjuncta, status separationis est ipsi animæ magis connaturalis.

QUÆST II.

De potentijs, speciebus, habitibus, cognitione, & modo cognoscendi animæ separata.

QUAMPLURIMÆ difficultates sub hoc titulo examinari solent ab Authoribus, quæ partim examinatae sunt Disp. *de intellectu*. Nos autem breviter proponemus ea, quæ ad minus cognoscendi animæ separatæ specialiter attinent; & hoc tam ex parte actus primi quam ex parte actus secundi.

2 Dubit. ergò 1.: quæ potentiæ perseverent in anima separata? Tamquam quid certum supponitur ab omnibus, in anima separata conservari potentias spirituales, & inorganicas, intellectum scilicet, memoriam, & voluntatem. Ratio est, quia istæ potentiæ sunt idem realiter cum anima, ut diximus Disp. 2. hujus; sed in statu separationis manet eadem substantialiter anima: ergò & eodem potentiæ, identificatae realiter cum ipsa. Deindè ipsamet experientia constat, quod anima separata intelligit, vult, & memoratur. Difficultas ergò tantum est de potentijs materialibus, & organicis. Pro cujus resolutione nota, quod istæ potentiæ possunt sumi adæquatè, & inadæquatè. Potentiæ organicae, adæquatè sumptæ, cointegrantur ex anima, & corpore, & identificantur cum toto, ex illis constituto. Potentiæ organicae inadæquatè, seu partiales sunt perfectiones animæ, cum eaque realiter identificatae. Hoc supposito.

3 Dico: *potentiæ materiales, & organicæ, adæquatè sumptæ, non permanent in anima separata; bene verò inadæquatè capte.* Prob. 1. pars conclus.: potentia organica, adæquatè sumpta, ut visiva v.g.: dicit essentialiter illam animæ perfectionem, quæ est principium operandi ex parte animæ, & ul-

tra dicit organum corporeum
visus; sed huiusmodi potentia
 sic adæquatè sumpta destruitur,
 & deficit cum anima separatur
 à corpore, ut patet: ergò po-
 tentiæ materiales, & organicæ,
 adæquatè acceptæ, non manent
 in anima separata. Maior constat;
 quia principium adæquatè
 visionis, nec est præcisè
 forma mixti, nec illa perfectio
 partialis animæ sed utraque
 simul. Prob. secunda pars con-
 clus.; nam istæ potentiæ, par-
 tialitè sumptæ, ut dixi, sunt
 perfectio animæ realitèr identi-
 ficata cum ipsa: ergo perman-
 ent in ipsa, adhuc separata.

4 Dices contra prim-
 part. conclus.: in anima separata
 erit dolor, juxta illud Math.
 25. *ibi erit fletus, & stridor*
dentium: ex quo communiter
 Theologi tenent, in inferno da-
 ri pœnam sensus, distinctam à
 pœna damni; sed dolor est pas-
 sio appetitus sensitivi, quæ qui-
 dem est potentia materialis, &
 organica: ergò in anima sepa-
 rata remanet potentia materialis,
 & organica adæquate sumpta. Mi-
 nor est Doct. in 4. dist. 44.
 quæst. 2. §. *Ad questionem di-*
co. Hæc replica latè examina-
 tur à Theologis in Materia de
 Dæmonijs ubi declaratur, in quo
 consistat pœna sensus, & quo-
 modo possit reperiri in spiri-
 tibus. Quare non est nostri præ-

sentis negotij. Sed tamen pro-
 nunc respondeo distinguendo ma-
 ior: in anima separata erit do-
 lor, improprie sumptus, proût
 est idem, ac tristitia alicujus
 objecti noliti, conc. mai.: erit
 dolor proprie, & rigurose cap-
 tus, nego mai.: in versis termi-
 nis distinguo min., & nego con-
 sequentiam.

5 Itaque dolor proprie
 sumptus certum est, quod est
 passio appetitus sensitivi, sequens
 cognitionem sensitivam objecti
 disconvenientis; & in hoc sen-
 su nequit convenire animæ sepa-
 ratæ; nam dolor rigurose cap-
 tus causatur, aut per divisio-
 nem continui, aut per intem-
 periem primarum qualitatum. Do-
 lor autem, largè acceptus, &
 proût est idem, ac tristitia, re-
 peritur quidem in voluntate, &
 sequitur apprehensionem even-
 tus alicujus objecti noliti, nam
 tristitia ex Mag. Parente Au-
 gust., *est de his, quæ, nobis*
nolentibus, accidunt. Undè per
 fletum, & stridorem dentium
 significatur dolor in hoc secun-
 do sensu captus, hoc est pro
 tristitia illata damnatis à pœnis
 inferni, à quibus fugiunt, seu
 quas nolunt. De hoc amplius, ut
 dixi loco citato.

6 Dabitur. 2. qui ha-
 bitus, acquisiti in via manent
 in anima separata: Ex habitibus
 alij sunt dicentes perfectionem;

alij autem sunt imperfectionem dicentes. De omnibus procedit difficultas; quæque procedit inspecto naturali ordine rerum; nam ex voluntate, & dispositione divina in anima separata, jamque beata, non manent habitus erronei; vituperarent statum illum summæ felicitatis: alias etiam superfluerent, & tamquam ociosi haberentur. Nec manet etiam habitus supernaturalis fidei; quia loco illius succedit lumen gloriæ. De habitu spei dubitant Theologi. Similiter etiam in anima damnata, non manent habitus supernaturales, nec virtutes morales, quia numquam eis ussuri essent, & etiam ob sua peccata justè à Deo privantur. Manet tamen in ipsis character, sed ad maiorem eorum confusionem. Dubitatur ergò: an in ipsis maneant habitus naturales? Et loquimur de habitibus mentis, seu rationis; nam, si aliqui sunt habitus in membris corporeis & etiam appetitu sensitivo, extra dubium est, quod isti cum corpore deficiunt. Hoc notato

Dico: habitus mentales, acquisiti in via, similiter & voluntatis, permanent in anima separata. Prob.: tales habitus sunt de se qualitates permanentes, nullamque patiuntur contrarietatem inter se si fuerint virtuosi: sicut nec vitiosi inter se contrariantur; sed aliàs ha-

bent subjectum proportionatum, scilicet, animam rationalem, quæ est subjectum immortale, & incorruptibile: ergò non est ratio, cur non maneant in statu separationis. Confirmatur: scientia ex natura sua habet necessitatem ex objecto; sed aliàs subjectum ipsius in anima separata, scilicet, intellectus, est incorruptibile, talisque habitus nullam contrarietatem dicit cum alia scientia; ergò quia habitus scientiæ, acquisiti in via, permanet in anima separata. Idem dicendum est de habitibus voluntatis. Urgetur amplius; quia certè nimis durum foret, morte perire scientias, ac virtutes morales, acquisitas tanto labore in statu mortalitatis: ergò potius dicendum est, quod maneant.

8. Dices tamen contra hoc: Ecclesiastes 9. dicitur: *mortui nihil noverunt amplius: nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud Inferos:* ergò non manet habitus scientiæ. Confirm. ex Apost. 1. ad Corinth. cap. 13. ubi loquens de alia vita ait: *scientia destruetur:* ergò non permanet in anima separata. Urgetur ex Philos. in prædicamento qualitatis, ubi de scientia ait, quod longa ægitudine deleretur, & corrumpitur in hac vita: ergò multo magis post mortem; & consequenter non manet in anima separata.

rata. Resp. ad primum Eccles. quod, ut ex ipso textu colligitur, loquitur de damnatis, in quibus non manet scientia, & sapientia, quæ ipsis prodesse valeat ad salutem, ut jam diximus; non autem loquitur absolute de omnibus habitibus. Ad Apost. dico, quod loquitur de scientia, non absolute, & rigorose capta, sed de ipsa accepta pro dono scientiæ, committante fidem, quæ certè cum ipsamet fide destruetur. Ad Philos. dico, quod loquitur de speciebus sensibilibus quæ pro hoc statu sunt necessariæ ad usum habitus scientifici. Hæ enim species longa infirmitate languescunt, & interdum totaliter pereunt; & consequenter deficit scientia; non autem loquitur de speciebus intelligibilibus. Quod, ut clarius constet.

9. Dubit. 3. : an species intelligibiles, acquisite in via, perseverent in anima separata? Ex ipsomet titulo constat, nos non loqui de speciebus sensibilibus; nam istæ cum ipsomet sensu pereunt; sed de intelligibilibus, acquisite medio phantasmate, & intellectu agente, receptisque in passibili. Dico, quod permanent in anima separata. Prob. : licet istæ species fuerint acquisite dependentèr à Phantasmatibus, tamen in conservari ab ipsis non dependent: ergo possunt conservari in anima se-

parata. Confirm. : tales species intelligibiles sunt spirituales, sicut & subjectum receptivum ipsarum: Deindè: nullum habent contrarium: nec sunt transientes, ut actus, sed permanentes, ut habitus: ergo nullum est caput, ex quo tales species debeant deficere, sed permanent in anima separata.

10. Dubit. 4. : quænam objecta possit cognoscere anima separata? Objecta, de quibus potest esse difficultas sunt in dupliçi differentia. Alia, quæ prius fuerunt nota à tali anima in statu conjunctionis; alia vero, quæ pro tali statu fuerunt ipsi ignota, ut animæ pueri, qui recentèr natus, statim moritur. De his objectis sub hac duplici consideratione, procedit dubium. Dico: *Anima separata, non solum cognoscit objecta prius nota in statu conjunctionis, sed etiam potest cognoscere alia plura ignota.* Prima pars constat ex Div. Hieronimo in Prologo Bibliæ dicente: *discamus in terris, quorum nobis scientia remanebit in Cælis.* Probatur secunda pars: stante agente naturali sufficientèr activo, & principio passivo, sufficientèr, debitèque aproximato, necessariò debet sequi effectus, seu actus; sed anima rationalis separata cum objecto sunt principia activa intelligentionis: & objectum antea

ignotum; potest esse ipsi debite propositum, & proportionatum. g. poterit circa ipsum elicere cognitionem. Circa hanc difficultatē non est difficultas specialis, sed solum circa modum cognoscenditalia objecta. Quare

11 Dubit. 5. per quas species cognoscat anima separata objecta, tam prius cognita, quam ante separationem ignota. Thomistæ conformiter ad sua principia, in Materia de Angelis, discurrunt hic. Ibī enim docent, quod Angeli in instanti suæ creationis recipiunt à Deo species omnium rerum, per quas ipsas intelligunt: undē consequenter dicunt, quod anima separata cognoscit objecta prius cognita, non per species acquisitas in hac vita, sed per novas species à Deo creatas, ipsique infusas. Similiter & objecta antea ignota de novo cognoscit, non per species, quas acquirit, sed per species, quæ ipsi à Deo infundantur in instanti separationis. Oppositam tenent Scotistæ cum Doct. in 4. dist. 45. quæst. 1. & 2. Nobis adhaerent quamplurimi ex Extraneis. Rem breviter per duplicem conclus. explicabo.

12 Dico 1. : anima separata cognoscit abstractivè objecta prius cognita per species prius acquisitas in via, quibusque antea illa noverat. Prob. Conclu-

sio, ratione: ad cognitionem abstractivam alicujus objecti du o principia requiruntur; scilicet, facultas intellectiva, & species intelligibilis objecti; sed hæc eadem adsunt in anima separata, ac in conjuncta: ergo anima separata per easdem species, quibus antea novit objectum, dum conjuncta, potest ipsum cognoscere, dum separata. Min. quoad utramque part. constat ex dictis difficultate prima, & tertia hujus. Confirm. ex illa maxima communi apud Philosophos, scilicet, quod *entia non sunt multiplicanda sine necessitate*; sed nulla est necessitas, ponendi species de novo creatas, ad cognoscenda objecta antea cognita, cum ex dictis permaneant species objectorum, acquisitionē in via: ergo non dantur tales species.

13 Dices 1. contra hoc: cognitiones animæ separatæ, sunt perfectiores, quam cognitiones ipsius, ut conjunctæ; sed ad has cognitiones perfectiores eliciendas eget novis speciebus, à Deo infusis: ergo medijs ipsis cognoscit objecta prius cognita. Minor constat: nam difficultè assignabitur aliud caput, ex quo tales cognitiones perfectiores evadant. Resp., concessa mai., negando min.: & min. probationis. Ad hoc ergo, ut anima separata perfectiores eliceat cognitiones rerum, non eget

novis speciebus à Deo infusis, res enim, quas cognovit in via sunt in duplici differentia: alias cognovit per alienas species, ut substantias; & istas separata cognoscit per speciem propriam, & genuinam, & sic perfectiori modo. Alias res cognovit in via per proprias species, ut sunt objecta sensuum, & istas, ut separata, etiam per proprias species cognoscit, sed perfectiori modo, quia sine dependentia à phantasmatibus; consequenterque promptiori, & expeditioni modo ea attingit, utpotè soluta à corpore, quod aggravat animam.

14 Dices 2.: species intelligibiles, quas acquisivit anima, ut conjuncta, ortum habent ex phantasmate: ergò, ut objectum repræsentare valeant, & in actum prodire, egent phantasmate. Nunc sic; sed in statu separationis animæ nullum erit phantasma: ergò nec cognitio, habita medijs speciebus in via acquisitis; consequenterque sunt necessariae aliæ de novo à Deo infusæ. Resp., concessio antec., negando consequentiam; nam, licet species in prima sui productione ortum habeant, & dependant à phantasmate, non tamen in conservari, nec in usu pro statu separationis; quia dependentia intellectus à phantasmatibus, quoad usum, non dependet ex natura ipsarum, sed

ex connexionione accidentali, & ordine potentiarum superiorum, & inferiorum in agendo pro hoc statu conjunctionis, qua connexionione soluta, cessat etiam dependentia.

15 Dices 3.: in anima separata erunt multæ species intelligibiles, si istæ conservantur in tali statu; sed ex hoc sequitur, vel, quod anima separata simul intelligat plura distincta, & disparata, quod est inconveniens; vel quod nihil intelligat; quia nulla ex his speciebus determinatè movebit intellectum: ergò non debent admitti tales species. Resp. ex Doct., cujus est argumentum, quod sicut nunc in via, dum proponuntur intellectui plura objecta, eligit intellectus illud, quod est efficacius motivum, vel ad quod maior est inclinatio intellectus, sic in statu separationis, inter illas multas species, illa, quæ efficacior est, ad quamque magis intellectus inclinatur, prius movebit ad cognitionem sui objecti. Si verò ponatur, quod omnes sunt aequales, & etiam inclinatio intellectus, quod videtur impossibile, sed hoc admissio; tunc intellectus movebitur ex imperio voluntatis ad utendum hac specie præ alia.

16 Dico 2.: anima separata cognoscit res, antea ignotas, per species talium objectorum

rum. acquisitas medio intellectu agente: unde non requiruntur species infusæ à Deo in ipso instanti separationis. Est Doct. citato quest. 2. Prob. conclus. ratione: objectum, prius ignotum, vel est spirituale, vel est materiale? Si est spirituale, non est necessaria species infusæ pro cognitione abstractiva ipsius; sed aliàs, nec est necessaria pro cognoscendo objecto materiali: ergo, &c. Maior constat; nam objectum spirituale, ita est proportionatum ad imprimendam speciem sui in intellectu, sicut objectum materiale, & sensibile in sensu: unde, sicut hoc est causa immediata, & totalis, & adæquata speciei sensibilis in sensu exteriori; ita objectum spirituale est causa totalis suæ speciei intelligibilis in intellectu: ergo pro hoc intelligendo, non requiritur species infusæ,

17 Prob: nunc minor; supra posita, scilicet, quod nec est necessaria species infusæ pro objecto materiali: licet objectum materiale immediatè, & per se immittere non possit talem speciem, tamen in anima separata datur intellectus agens, cuius munus est, res materiales depurare à sua materialitate, & simul cum illis producere species intelligibiles: ergo pro cognitione eorum, non est necessaria species infusæ. Antec.

constat, tum ex dictis Disput. 9. hujus, agendo de intellectu agente: tum ex difficultate prima hujus. Sed ultra declaratur: intellectus agens, & phantasma materiale producunt speciem spiritualem: ergo & ipsum objectum materiale, simul cum intellectu agente, poterit talem speciem producere; vel assignent disparitatem.

18 Dices 1. contra hoc: si objectum materiale, ante ignotum, produceret in intellectu separato speciem sui? Vel hæc esset materialis, vel spiritualis? Hoc secundum nequit dici; quia tunc talis species non produceretur prius in spatio intermedio, quod supponitur materiale; nam nullum accidens spirituale potest recipi in subiecto materiali. Si primum: ergo talis species materialis non reciperetur in intellectu, qui est spiritualis: ergo objectum materiale non potest producere speciem sui in intellectu anime separatæ. Respondeo, quod species objecti materialis esset spiritualis; siquidem produceretur ab intellectu agente, concurrente cum ipso objecto materiali, quod non obstaret, ut species evaderet spiritualis. Modo enim species intelligibilis in statu conjunctionis causatur ab intellectu agente, & phantasmate, ut jam diximus: & licet phantasma sit materiale in se, tamen quia

quia depuratur à materialitate producit partialitèr speciem spiritualem. Cur ergò ipsummet objectum non poterit sic concurrere cum ipsomet intellectu? Nec talis species producit in spatio intermedio; cum hoc non sit capax talis formæ; sed producitur immediatè in intellectu.

19 Dices 2. : objecta materialia, ut possint intellectum movere, in illoque imprimere species, debent priùs attenuari, ac velut spiritualizari; sed spiritualizatio, & attenuatio, debet fieri medijs sensibus, tam externis, quam internis, transeuntibus objectis per eorum species suo ordine: ergò cum anima separata careat hujusmodi sensibus; hinc est, quod non potest accipere species, nec moveri ab ipsismet objectis materialibus; & consequenter ea intelligit medijs speciebus infusis. Resp., concessa mai., negando min. Argumentum solum probat de objectis materialibus, respectu intellectus conjuncti, respectu cujus objecta materialia sunt solum intelligibilia in potentia; non autem respectu ipsius separati, quia sic sunt actu intelligibilia. Et quando egeant attenuari, & velut spiritualizari, hoc poterit fieri ab intellectu agente; sicut ab ipso attenuatur, & velut spiritualizatur phantasma pro sta-

conjunctionis.

20 Aliæ difficultates solent hic proponi à nostratibus; ut: *an anima separata possit recordari præteritorum, quæ ipsa cognovit conjuncta?* Sed hæc difficultas, partim soluta est, dum egimus de memoria intellectiva; & partim habetur in Sacra Scriptura nam Luc. 16. : ait Habraham ad Divitem: *fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Undè ab ea superse- demus. Secundò dubitari solet: *an intelligat anima separata per discursum?* Sed quia hæc difficultas eadem est, cum illa, quæ disputatur Materia de Angelis: *an scilicet Angelus intelligat per discursum?* Viderè eam resolutam in Cursu Theologico hujus Al- mæ Provinciæ Tom. 3. Nihilominus, qui plura desideraverit circa dicta in tota ista quæstione legat Nost. Subt. Doct. in 4. dist. 45. *per totam.* Et N. Mexiam Tract. de Anima Dis- put. 9. etiam per totam, ubi satis profulsè agit de

Anima sepa-
rata.

¶¶¶ ¶¶¶ ¶¶¶

¶¶¶ ¶¶¶

¶¶¶

¶

QUÆST. ULT.

De potentia loco-motiva

Anima separata.

PLURES difficultates solent in præfenti excitari, circa locum, & motum localem animæ separatæ. Sed quia sunt communia Angelis, idè hinc pauca dicemus, remittentes Lectorem pro reliquis ad Tract. de Angelis. Ex quo suppono primò quod præfentia definitiva in loco, quæ convenit animæ separatæ, convenit ipsi immediatè, & ratione suæ substantiæ; non verò mediatè, & ratione suæ operationis, transeuntis in corpus in quod operatur. Hæc suppositio est N. Doct. in 2. dist. 2. q. 6. §. *contra Conclusionem hujus opinionis*. Ratio pro nunc est; quia quod est ratio animæ separatæ existendi in loco, debet esse formalitè in ipsa; aliàs non esset formalitè in loco; sed operatio transiens in corpus, non est formalitè in anima separata; sed in corpore: ergò non est in loco per operationem, sed per suammet substantiam. Hac ergò suppositione facta, circa locum, & circa modum essendi in ip-

so; nunc circa motum localem

Dubit. 1. : an anima separata per virtutem suam intrinsicam moveat se localitè? Certum est, quod anima habet virtutem ad movendum corpus organicè per motum aliarum partium organicarum, ut patet in motu progressivo, ubi una pars movetur mota alia per virtutem motivam animæ. Difficultas est: an possit se immediatè movere localitè? Resp. affirmativè. Prob. ex Doct. in 4. dist. 10. quæst. 7. : & dist. 49. quæst. 14. : juxta Philos. 2. de Generatione in fine: *dignificanda est natura semper secundum melius, quantum possibile est*; sed dignificatur anima separata, concedendo ei virtutem intrinsicam ad se movendum localitè; & aliàs hoc ei non repugnat: ergo hoc asserendum est. Prob. min. quoad secund. part.: si ei repugnaret, aut esset ratione perfectionis suæ intellectualis; aut ratione imperfectionis? Sed non primum; quia movere se localitè convenit naturæ intellectuali perfectiori, uti Angelo: neque secundum; quia motus localis convenit corpori: ergo, &c.

3. Dices contra hoc: animæ separatæ moventur ab Angelis localitè, ut patet ex illo Luc. 16., ubi de anima Lazari dicitur: *factum est, ut por-*

aretur ab Angelis in sinum Abra-
hæ. Et Ecclesia canit, pias ani-
 ma è corporibus egressas ab An-
 gelis suscipi, & ad Patriam Pa-
 radisi perducì: ergò quia ex
 se non habent virtutem intrin-
 secam, ad se movendum loca-
 litèr. Resp., quod etiam dicitur
 pias animas ad Cœlum evolasse
 & in Paradisum migrasse. Qua-
 re, dum dicitur, ab Angelis
 in Cœlum deferri, non est, quia
 sint ex se immobiles, sed quia
 Angelorum præsentia honorantur,
 & eorù committata stipantur; & si
 quando deferuntur, hoc fit
 in reverentiam, & honorem ip-
 sarummet animarum, ut docet
 Doct. in 4. dist. 49. quæst. 14.
 §. *Ad primam rationem principa-*
lem.

4 Dub. 2.: an anima
 separata possit alia corpora, à
 se distincta, localitèr movere?
 Resp. affirmativè cum Doct. iam
 cit. Probarique potest primò Con-
 clusio ratione, qua probata fuit
 conclus. antec. scilicèt, quod
 non repugnet animæ movere alia
 à se localitèr, nec ratione suę
 perfectionis intellectualis; cum
 Angelus, qui est perfectior, pos-
 sit ea movere: nec ratione im-
 perfectionis; quia hoc conven-
 nit corporibus imperfectioribus,
 immò, & inanimatis; gravibus,
 & levibus portantibus secum
 alia corpora, si sibi adjungantur:
 ergo hoc non est negandum ani-
 mæ separatę. Confirm.: anima

conjuncta cum corpore, ipsum
 movet: ergò & separata habe-
 bit virtutem ad ipsum mouen-
 dum: aliàs minoris virtutis esset,
 ut separata, quam cuniun-
 cta, quod non est dicendum.
 Sed nota, quod est diffe-
 rentia in hoc, quod anima con-
 juncta movet corpus, non ut
quod, sed *ut quo*, ut diximus
 agendo de ejus definitione: se-
 parata verò movere alia corpora,
 ut principium *quod*, sicut de
 Angelis dicitur: media ejus vir-
 tute intrinseca motiva, ut prin-
 cipio *quo*. Hoc amplius declara-
 bitur difficultate sequenti.

5 Dubit. ergò ultimo:
 quomodo anima separata moveat
 localitèr alia corpora? Quod in
 præsentì quæritur est: an anima
 separata moveat alia corpora
 per impulsus impressum ipsi-
 met corporibus: an verò per
 applicationem indivisibilem suę
 substantiæ ad corpora mota: ad
 modum, quo se ipsam movet
 de loco in locum per exhibitio-
 nem suę substantiæ, in nostris
 principijs? In hac difficultate,
 quæ eadem est, ac illa, quæ
 movetur de Angelis, non satis
 inter se concordant Scotiæ,
 Quidam enim, cum N. Val-
 pes, docent, Angelum movere
 alia corpora per exhibitionem suę
 substantiæ ipsis corporibus, abs-
 que aliquo impulsu, impresso
 ipsis, ad modum quo volun-

tas nostra movet alias potentias, sibi subditas, sine impulsu impresso. Sic etiam N. Salmantinus hic quaest. 4. num. 216. Alij autem cum Nost. Mast. probabiliter Disput. 8. quaest. 3. num. 33. defendunt, animam separatam movere alia corpora per impulsum ipsis impressum. Uterque modus dicendi est satis probabilis. Sed

6 Dico: *anima separata movet alia corpora à se per exhibitionem suæ substantiæ, absque aliquo impulsu ipsis impresso.* Est juxta primum modum dicendi, conformiorque nostris principijs, & maxime dictis Disp. antec. quaest. 8. de imperio voluntatis, difficultate 2. numer. 19. Prob. ratione: talis impulsus, quo anima separata moveret alia corpora, vel esset spiritualis, vel materialis, & corporeus? Non primum; quia tunc talis impulsus non posset in corporibus recipi; cum nullum accidens spirituale, maxime absolutum, quale esset talis impulsus, possit recipi in subjecto materiali, & extenso, ut persèpe diximus in hoc cursu; ergo talis impulsus nequit esse spiritualis. Sed alias neque materialis, & corporeus: ergo nequit dari talis impulsus.

7 Prob. hæc min. causa totalis, & adæquata hujusmodi impulsus esset anima sepa-

rata; sed hæc non posset esse talis causa totalis, & adæquata: ergo non datur talis impulsus. Prob. min.: anima rationalis separata nequit esse causa præcontentiva adæquatè hujusmodi impulsus materialis, & corporei; quia cum anima separata sit merè spiritualis, nequit præcontinere talem impulsus materialem: ergo nequit esse causa adæquatè præcontentiva ipsius. Nec valet responsio N. Mexig. quod anima separata produceret aliquas qualitates reales, sicut potest producere ipsum ubi in corporibus subeuntibus motum lationis. Non valet; quia est in maxima disparitas inter ubi, & istam qualitatem impulsus, ut inveniunt patet; impulsus enim est qualitas abfutura, quæ verè, & realiter petit produci: ubi autem est relatio extrinsecus adveniens, habens solum esse per resultantiam, & non per veram productionem immediatam.

8 Confirm. hoc, & explicatur noster modus dicendi: Intelligentia motrix movet globum suæ sphaeræ, & circumagitur præcisè ei parti globi Cœlestis in qua residet per exhibitionem suæ substantiæ, ac virtutis motivæ; non verò per impulsus impressum toti globo Cœlesti; nec illi parti, cui insidet, quamque immediatè movet: ergo id pariter dicendum venit de anima separata, respectu corporis, quod

moveret : aliàs enim in simùl non solum moveret unum corpus; sed etiam omnia alia corpora, quæ aliquam contiguitatem cum tali corpore moto haberent; sicque ejus virtus motiva esset aliquomodo illimitata, quod non est dicendum.

9 Dices tamen contra hoc : anima separata potest projicere alia corpora à se, sed hoc nequit fieri, nisi per impulsum: ergò anima separata per impulsum movet alia corpora. Mai. videtur certa. Prob. minor: projiciens lapidem, illum eijcit é manu, producendo in illo impulsum: ergò si anima separata, &c. Resp. dist. mai.; anima projicit alia corpora à se, mediante alio corpore, cui sese exhibeat, & immediatè moveat, eoque mediante, tamquàm instrumeto, ipsum immediatè producat in alio corpore motum, aut impulsum, conc. mai.: anima projicit alia corpora à se, per se ipsam immediatè, medianteque impulsu, sicut evenit in projiciente lapidem, nego mai.;

& distincta min. inveris terminis, nego conseq. Ad probat., conc. antec., & nego conseq.

10 Itaque, quamvis anima separata non possit projicere a se corpus per impulsum à se causatum immediatè in eo; poterit tamen talem impulsum causare mediate, hoc est, mediante alio corpore, cui sit unita, seu præsentialitèr applicata sua substantia, & virtus. Explicatur hoc exemplo moventis pilam, medio baculo, propria manu immediatè moto; nam ex impulsu immediatè recepto in baculo, movetur mediatè pila. Sic, ex præsentia virtutis motivæ, actualique virtute animæ separatæ, movente corpus ad motum istius projicitur aliud. Alia, tam ad motum animæ separatæ spectantia, habentur in cursu. N. Almæ Provinciæ, Tom. 3. Tract. 7. de Angelis, Disput. 6. per totam. Dicta pro nunc sufficiant. Sufficiantque etiam pro toto Tract. de Anima in laudem ipsius Conditoris, Redemptoris, & Salvatoris D. O. M.



TRACT. ULTIM.

IN TOTAM METAPHISICAM,

JUXTA

SUBTILISSIMAM MENTEM

VENER. SUBT. MARIANIQUE

DOCTORIS.

PRAELUDIUM.



TRACTATA NOTITIA SCIENTIÆ

physicæ, quæ scientia naturalis dicitur, modò, & ultimò loco agredimur, tractatum de scientia metaphysica, quæ *transcendentalis* dicitur; eo quòd metas Physicæ transgrediatur. Ejus dignitas ex varijs nominibus, quibus ab Authoribus insignitur, dignoscitur. Primò dicitur *sapientia*; quia principia universalissima, & difficilissima cognita contemplantur.

Secundò vocatur *prima Philosophia*, eo quòd reliquas Philosophiæ partes nobilitate excedat. Tertiò *Theologia*; quia de Deo, & ejus Attributis, quantum lumine naturali fas est loqui, pertractat. Quartò tandem dicitur *scientia universalis*; eo quòd agat de

ente, *ut sic*. De hac ergò scientia, quæ in duodecim Libros à Philos. dividitur, venit nobis tandem per agendum. Brevitati consulemus; claritati etiam. Sed hæc certè difficilis admodum, nisi Deus faxit. Sit ergò

DISP. UNIC.

PROEMIALIS Metaphysicæ.

EX dictis Disp. I. Logicæ de scientia ut sic, & Disput. 2. de Premiis libus ipsius Logicæ, tamquam quid certum supponimus Metaphysicam esse speculativam scientiam; de suo enim objecto demonstrat per verum discursum aliquas proprietates, & passionem. Immo, juxta communem omnium sensum, est *Sapientia*; nam est scientia universalis, versaturque circa res difficiles, & à sensibus valdè remotas: est certa cognitio, & gratia sui, seu non ordinata ad aliud, quæ sunt conditiones sapientię, ab Arist. assignatæ. Supponitur etiam quòd sit speculativa; quia præcisè sistit in con-

templatione sui objecti. Nec est scientia subalternans, respectu eëterarum scientiarum; nam licet aliæ scientię habeant pro objecto speciem aliquam objecti metaphysici, adhuc tamen deficiunt aliæ duę conditiones, ad subalternationem requisitę, scilicet, quod scientia subalternata accipiat sua principia probata à subalternante: & quod objectum subalternatę aliquam superaddat conditionem accidentalem objecto subalternantis. Quæ conditiones deficiunt Metaphysicæ, ut subalternet sibi alias scientias; nam in primis istæ non accipiunt à Metaphysica sua principia demonstrata, ad minus in particulari, sed ipsa habent ex se, independentèr à Metaphysica. Secundò: scientiæ addunt differentiam essentialem objecto Metaphysicæ: ut patet in Physica; quæ addit *naturalitatem*, quæ est differentia essentialis *entis*. Tandem supponitur, non esse simplicem, sed compositam qualitatem. Omnia hæc ergò hic supponimus, ex ibi dictis. Undè in presenti Disput. solum est sermo de objecto Metaphysicæ, de hisque, quæ considerat. Nam quamvis aliqui hic de ejus dig-

ni-

nitare, excellentia, & privilegij agant, hæc missa facimus videnda in Nost. Mastrio hic Disp. 1., alijsque Authoribus. Sit ergo.

QUÆST. I.

Quòdam sit objectum attributionis Metaphysicæ?

I **H**IC rependa non sunt; quæ in Logica diximus de conditionibus requisitis ad objectum adæquatum attributionis alicujus scientiæ; sed recolendâ. Pro resolutione tamen hujus dubij hic specialitèr notandum est ex dictis in Præmiabilibus Physicæ (sicut ibi diximus de Physica) quod Metaphysica potest considerari duplicitèr: primò pro Philosophia naturali complectente intra suum ambitum, non solum tractatum, quem modò appellamus *Metaphysicam*; sed etiam physicam, & Mathematicam, in quo sensu non distinguitur Metaphysica à Physica, nisi ea distinctione, qua totum potentiale distinguitur à sua parte. De Metaphysica sic sumpta, & de ejus objecto in ista latitudine, non procedit quæstio; nam prout sic, teneretur considerare om-

nia entia, sive materialia, sive immaterialia, nedum, secundum rationes communes, sed & secundum specificas; quia tunc foret una scientia totalis, cointegra ex Physica, & Metaphysica; quæ proindè consideraret omnia scibilia convenientia in ratione entis naturalis, ut à supernaturali condistincti.

2 Secundò modo accipitur Metaphysica, prout instituta est ab Arist., qui Metaphysicam distinxit à Physica in hoc, quòd ista tractat de rebus materialibus, & corporeis mobilibus: illa autem, id est, Metaphysica, agit de rebus incorporeis, & à materia abstractis. De Metaphysica g. sic capta, querimus in præsentì: quòdam sit ejus objectum attributionis? In qua difficultate varij sunt modi dicendi. Quidam dicunt, *esse ens transcendentalissimè, & abstractissimè sumptum*; prout sub se continet omnia entia, nedum realia, sed etiam rationis, nedum positiva, sed etiam negativa. Alij tale objectum coartant, & docent, quod est arctius, enti reali communi Deo, & creaturæ; substantiæ, & accidenti. Sed his modis dicendi relictis videndis in Nost. Mastrio hic quæst. 2., media via incedendo, sit

3 Conclusio: *objectum adæquatum attributionis Metaphy-*

scia est ens reale transcendentaliter sumptum, ut commune Deo, & creaturæ; substantiæ, & accidenti. Hæc conclusio est communis inter Peripatericos, & docetur expressè à Philosopho 4. Metap. text. 1. dicente: *est scientia quædam, quæ speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt.* Hoc idem repetit Lib. 6. text. 4. Prob. 1. conclusio ratione: ens reale, ut sic, habet omnes conditiones requisitas ad esse objectum adæquatam attributionis Metaphysicæ: ergo est tale objectum. Probat, antec., discurrendo per singulas conditiones: in primis, in Metaphysica docetur, quod datur ens reale in rerum natura, & sic cognoscitur, *quæ est*; quæ est prima conditio ad esse objectum alicujus scientiæ; sed aliundè habet alias duas conditiones: ergo omnes habet.

4 Prob. min., & primò de secunda conditione: secunda conditio est, quod demonstratur de objecto attributionis, *ejus, quod quid est*; sed ejus quod quid est entis realis, transcendentaliter sumpti demonstratur in Metaphysica: ergo habet secundam conditionem. Prob. hæc minor: *per ejus quod quid est rei*, intelligitur definitio in illis, quæ habent veram definitionem: vel intelligitur conceptus simpliciter simplex irresolubilis

in conceptus generis, & differentiæ; sed licet ens transcendentaliter sumptum sit irresolubilis in conceptus generis, & differentiæ, habet tamèn conceptum simpliciter simplicem, gerentem vicem generis, & differentiæ: & etiam habet suam respectivè definitionem, per quam passionem ipsius demonstrantur: ergo habet secundam conditionem requisitam, ad esse objectum metaphysicæ.

5 Prob. de tertia conditione; omnia, quæ transeuntur in Metaphysica, reducuntur ad ens reale ut sic, vel tamquam partes subiectivæ, scilicet, ut genera, & species: vel tamquam proprietates, & affectiones ipsius entis, vel partium subiectivarum ejus, aut aliquo alio modo; sed est tertia conditio ad esse objectum attributionis: ergo habet tertiam conditionem; & consequenter omnes. Confirm.: ens, ut sic, commune Deo, & creaturæ; substantiæ, & accidenti, est objectum scibile ab aliqua scientia; quia habet passionem, de ipso demonstrabiles, & dantur veritates, quæ de ipso, sic sumptis, cognoscantur; sed non est scibile ab alia scientia, quam à Metaphysica, aliàs daretur alia scientia, prior ista, sicque essent quatuor scientiæ speculativæ contra Philof. 6. Metaphysica Text. 2.: ergo, &c. Pro-

bari etiam poterat hæc conclusio ex impugnatione aliorum modorum dicendi; sed de hoc in in solutione argumentorum.

Solvuntur Argumenta.

6 ARGUITUR I.: obiectum adequatum attributionis alicujus scientiæ comprehendit sub se, quidquid per se consideratur à tali scientiâ; sed ens reale, ut sic commune Deo, & creaturæ; substantiæ, & accidenti, non comprehendit sub se quidquid consideratur per se à Metaphysicâ: ergo ens reale, sic sumptum, non est ejus obiectum. Prob. min.: Metaphysica per se considerat non solum entia realia positiva; sed etiam entia rationis, privationes, & negationes, & entia per accidens; sed ens reale, ut commune Deo, & creaturæ; substantiæ, & accidenti, non comprehendit sub se entia rationis, privationes, negationes, aut entia per accidens; quia solum ens communissimè caprum comprehendit ista: ergo &c. Prob. mai. de entibus rationis, ex quo manebit probari quoad reliqua: entia rationis per se considerantur ab aliqua scientiâ; sed

à nulla alia nisi à Metaphysicâ: ergo, &c. Prob. maior: entia rationis sunt scibilia: ergo considerantur ab aliqua scientiâ; & consequenter, &c. Hoc argumentum facit pro primò modo dicendi.

Resp. tamen, concessa mai.: negando min. Ad probat., nego mai.: & etiam mai. probationis: & ad istius probationem distinguo antec. entia rationis sunt scibilia *indirectè, & per accidens*, conc. antec.: directè, & per se, nego antec., & conseq. Metaphysica ergo per se solum considerat entia realia positiva, per accidens vero agit de istorum oppositis: de ente rationis, ut opposito enti reali: de privatione, & negatione, ut oppositis enti positivo: & tandem de ente per accidens, ut opposito enti per se, juxta illud axioma: *opposita juxta se posita, magis elucescunt*. Responderi etiam potest cum Pontio hic, quod si quis scriberet tractatum de ente rationis, & de ejus speciebus, & proprietatibus, tunc dareretur aliqualis scientia de ipso, haberetque obiectum, omnino distinctum ab objecto Metaphysicæ. Sed certè standum est primæ solutioni; quia est realis, non existit.

8 Replicabis tamen: Metaphysica per se agit de ente rationis: ergo nulla est solu-

rio. Prob. antec. : ens rationis opponitur enti reali: ergò cum Metaphysica agat per se de ente reali, etiam per se agit de ente rationis. Prob. consequentia : Physica per se agit de forma, & privatione: Logica de syllogismo demonstrativo, & sophistico, & tandem Theologia de virtutibus, & vitij; sed non alia ratione, nisi quia forma, & privatio : syllogismus demonstrativus, & sophisticus: virtus, & vitium inter se opponuntur: ergò cum non minus opponantur ens reale, & rationis sequitur, quod si Metaphysica per se agit de ente reali, etiam per se debet agere de ente rationis.

9 Resp. negando antec. Ad prob., concesso antec., nego conseq. : ad istius probat., concessa mai., nego min. Ratio est; quia non ideò physica per se tractat de forma, & privatione; quia inter se opponuntur (idem dic de Theologia, respectu vitij, & virtutis; & de Logica, respectu syllogismi demonstrativi, & sophistici); sed quia cognitio, non solum formæ; sed etiam privationis, est necessaria ad cognitionem objecti adequati Physicæ; nam cum tale objectum sit corpus naturale, & privatio non minus sit principium *inferi* istius corporis, quam forma; indè est, quod, ut cognoscatur; quomo-

do tale corpus principiat, æquè benè debet præcognosci: quid sit privatio? Ac quid sit forma?

10 Ad illud de Theologia, dico, quod cum finis ipsius sit tradere normam, qua Deus possit acquiri, & consequenter deperdi: & ad hoc æquè necessaria sit cognitio vitij, ac cognitio virtutis, ideò utrumque per se spectat ad Theologiam, Ad illud de Logica, respondeo similiter; quod cum finis illius sit tradere modum benè discurrendi absque errore, & hoc nequeat consequi, quin cognoscatur modus, quo intellectus possit decipi per sophisticam argumentationem, hinc est, quod ad logicam pertinet per se, tractare de syllogismo sophistico. Cognitio autem entis rationis nunc latenus est necessaria ad cognitionem entis realis. Quare, licet Metaphysica per se agat de ente reali, solum indirectè, & per accidens agit de ente rationis. Undè non est necessarium, quod objectum istius comprehendat sub se directè ens rationis; & sic patet disparitas.

11 Arguitur 2. objectum scientiæ debet habere principia, & passiones de ipso demonstrabiles per talia principia; sed ens reale, ut sic, neutrum habet: ergò non est objectum Metaphysic. Prob. min.: in primis

mis non habet principia; sed aliundè nec passionee: ergò &c. Minor postea probabitur. Prob. nunc mai.: si ens *ut sic* haberet principia, iam esset resolvable in plures conceptus; sed hoc est falsum: quia ens *ut sic* habet conceptum simpliciter simplicem, & omninò irresolubilem: ergò non habet principia. Nunc probat. min., supra posita: si ens *ut sic* haberet passiones de ipso demonstrabiles, ens esset de essentia suarum passionum, quod nequit dici; quia nullum subjectum est de essentia suæ passionis: ergò eas non habet. Prob. antec.: ens est de essentia illius, in quo essentialiter & quidditative includitur; ens essentialiter, & quidditative includitur in suis passionibus: ergò est de essentia ipsarum.

12 Respondeo disting. mai. quoad prim. part.: objectum scientiæ debet habere principia *essendi, vel cognoscendi*, conc. mai.: *semper essendi*, negò mai.: & disting. min. quoad eandem partem; sed ens non habet principia *essendi*, omitto pro nuac minor. (de qua infra, loquendo de realitate entis): non habet principia *cognoscendi*, neg. min.: eisdem terminis distinguitur probatio ipsius. Ad prob. illius minoris: *sed aliundè non habet proprias passiones*, nego mai., cum sua probatione; quia ens; ut

infra videbimus, non includitur quidditative, & formaliter in differentijs ultimis, modis intrinsecis; & proprijs passionibus. Ens ergò habet principia cognoscendi, qualia sunt præmissæ demonstratiæ, in quibus posita definitione, ut medio principali demonstrationis, ista sequatur: quod sufficit ad rationem objecti scientifici. Videte Doct. quæst. 3. Prologi, & Mastrium Disput. 12. Logicæ, quæst. 2. art. ult.

13 Arguitur 3.: Metaphysica est omnium scientiarum perfectissima: ergò ejus objectum non est ens reale *ut sic*. Prob. conseq.: objectum scientiæ perfectissimæ, debet esse perfectissimum; sed ens reale, *ut sic* non est objectum perfectissimum: ergò, &c. Prob. min.: quanto aliquid est magis commune, tanto est minus perfectum; sed ens reale *ut sic* est communissimum: ergò minus perfectum. Resp. negando conseq. Ad probationem distinguo mai.: objectum scientiæ perfectissimæ debet esse perfectissimum, vel *positivè*, vel *permisive*, conc. mai.: *semper positivè*, subdistinguo mai.: objectum principale, conc. mai.: objectum adæquatum, nego mai.: inveris terminis disting. min., & nego consequentiam. Ens ergò formaliter sumptum, est permisive perfectissimum, quatenus

potest contrahi ad Deum, qui est perfectissimum ens. Unde Metaphysica est omnium perfectissima, tum ex parte objecti principalis, scilicet Dei: tum ex parte objecti adæquati, cujus perfectio permissiva mensuratur; juxta perfectionem positivā objecti principalis: ita, quod tanta sit nobilitas permissiva objecti adæquati, quanta est nobilitas positiva objecti principalis.

14 Arguitur deniquè: omnia; quæ continentur sub objecto adæquato alicujus scientiæ; debent tractari in tali scientiâ; sed in Metaphysica non tractantur omnia, quæ continentur sub ente reali *ut sic*: ergo quia non est ejus objectum. Prob. minor: sub ente reali *ut sic* non solum continentur Deus, & creatura; substantia, & accidens, sed etiam entia materialia, & corporea, positivè talia; sed in Metaphys. non tractatur de rebus materialibus, & corporeis; cum istæ pertineant ad Physicam: ergo non omnia, quæ continentur sub ente reali, tractantur in Metaphys. Resp.; omis-
sa mai., distinguendo min.: sed in Metaphys. non tractantur de omnibus, quæ continentur sub ente reali *ut sic*; secundum prædicata particularia, reduplicativè *ut talia*, conc. min.? secundum prædicata communia, & transcendentia ipsorum, nego

min., & conseq. Ad prob. eisdem terminis distinguo min., & nego conseq. Sed quia hæc difficultas variè à varijs resolvitur & deservit pro intelligentia omnium dictorum in hac quæst., & solutione aliorum argumentorum, ideo sit

QUÆST. II.

Quæ res spectent ad considerationem Metaphysicæ?

SUB alijs terminis solet ab Authoribus proponi hæc difficultas: an scilicet Metaphysica consideret, non solum rationes communes, & transcendentales entium; sed etiam rationes específicas, & particulares cujuslibet entis? Pro resolutione ipsius notandum est ex dictis in notabilibus quæst. antec., quod Metaphysica dupliciter considerari valet: primò amplissimè; posset namque ita institui quod comprehenderet sub se omnes alias scientias, & sic accepta, certum est, quod tractaret de omnibus entibus, tam in communi, quam in particulari. In præsentī ergo non sumitur Metaphysica in hac lata acceptione. Secundò sumitur *Meta-*
phy-

physic., prout est contradistincta ab omnibus alijs scientijs, & prout, defacto est instituta à Philos., qui Physicam à Metaphysica discrevit in hoc, quod Physica agit de rebus corporeis, aut materiæ immerfis, Metaphys. verò de incorporeis, & prorsus abstractis à materia. De Metaphysica, sic sumpta, procedit difficultas.

2. Notate 2., quod cum dixerimus ex Philos., Metaphysicam considerare ea, quæ abstrahunt ab omni materia, duplex prout ad præsens attinet est modus abstrahendi à materia: primus est, quo res abstrahit à materia, secundum *conceptum*, vel *considerationem tantum*. Sic abstrahunt à materia conceptus transcendentales, ut *ratio entis*, *ratio substantiæ*, *accidentis absoluti*, vel *respectivi*, & alia similia, quæ sunt communia per indifferentiam ad res materiales, ac immateriales. Secundus modus abstrahendi à materia est tam secundum considerationem, quam secundum esse, vel essentiam. Hoc secundo modo abstrahunt à materia omnia entia, quibus à parte rei repugnat jungi cum materia, ut sunt *Deus*, & *Angeli*. Unde certum est, quod Metaphysica agit de rebus abstrahentibus à materia, sive solum secundum considerationem, sive etiam secundum esse. Sed quomodo tra-

ctet, est difficultas, in qua aliquomodo sunt inter se divisi ipsimet Scriptæ: sed facili negotio reconciliari valent, ut postea videbimus. Nunc sic

3. Conclusio: *Metaphysica solum agit de rebus abstrahentibus à materia; & consequenter non agit de rebus materialibus, quoad suas rationes particulares: bene verò de rebus particularibus rerum, purè spiritualium.* Prob. conclusio quoad omnes suas part. Metaphysica prout nunc instituta à Philos., & prout contradistincta à Physica, solum agit de illis, quæ abstrahunt à materia, vel secundum esse, & considerationem simul, vel secundum considerationem tantum; sed plura sunt entia, quæ non abstrahunt à materia, nec secundum esse, nec secundum considerationem: ergò licet Metaphysica agat de illis, non tamen de istis. Maior est ipsismet Philos. Minor constat; quia materia prima, & formæ materiales secundum rationes particulares ipsarum non abstrahunt à materia.

4. Probat. 2. conclusio, præcipue quoad secundam partem: si Metaphysica consideraret rationes entium, non solum in communi, sed etiam in particulari, sequeretur, quod quævis alia scientia particularis esset superflua; sed hoc est con-

tra divisiones scientiæ, factas à Philos., admissasque à N. Subt. Doct.: ergò &c. Prob. mai.: illa scientia est superflua, quæ nihil peculiare habet considerandum: sed in casu posito nulli alteri scientiæ remaneret aliquid considerandum; etenim Metaphysica totum absolveret: ergò superflueret omnis alia scientia, Prob. conclusio quoad ultimam partem: Metaphysica per se agit de omni ente abstrahente à materia, tam secundum esse, quam secundum considerationem; sed Deus, & Angeli abstrahunt à materia, tam secundum esse, quam secundum considerationem, non solum quoad conceptus communes entis, sed etiam quoad suos conceptus específicos, & individuales: ergò Metaphys. agit de rebus particularibus rerum purè spiritualium. Confirmatur: Deus, & Angeli, non solum quoad rationem entis abstrahunt à materia, sed etiam Deus quoad rationem entis infiniti, & summè necessarij: Angeli quoad rationem entis puri, & immaterialis: ergò secundum has rationes particulares debent considerari à Metaphysica.

Solvuntur Argumenta.

ARG. I. contra secundam partem conclus. (nam contra prim. nihil se offert obijciendum) ex Arist. 4. Metaph. cap. 1., dicente: *Metaphysica speculatur ens, in quantum ens, & species rerum, & species specierum*; sed inter species entis continentur entia materialia, quoad suas rationes particulares: ergò Metaphysica agit de rebus materialibus, quoad suas rationes particulares. Hoc idem videtur docere ipse Philosophus 1. Posteriorum cap. 23. Pro eademque sententia citatur N. S. Doct. ab aliquibus Scotistis pluribus in locis, sed præcipué in 2. dist. 3. quæst. 1. §. *Ad quæstionem, v. Qualitèr, numer. 7.*, ubi tenet: equinitatem, ut equinitas est, ad Metaphysicam spectare, & exprimi per definitionem; sed equinitas, ut equinitas est, est res materialis dicens sua prædicata particularia: ergò ad Metaphysicam spectat, agere de talibus rebus.

6 Resp. ad argumentum ex dictis notabili 1. hujus & antecedentis quæstionis, tum Arist., tum Subt. Doct. variè

locutos fuisse de Metaphysica; nam iam fuisse locutos de ipsa latissimè sumpta: in quo sensu libentè concedimus Metaphysicam, prout sic, tractare de omni specie entis in particulari. Iam accepisse Metaphysicam rigurosè, prout de ipsa nunc loquimur; quæque, licet agat de rebus materialibus, non tamen secundum rationes particulares. Immò N. Doct. in expositione super illam regulam Philos. 4. Metaphys. sic ait: *ponit* (supplè Arist.) *secundam rationem ad probandum, quod Metaphysica omnes partes entis considerat*: quæ sic potest formari: ea, quæ sunt unius rationis ut sic, pertinent ad unam scientiam; sed omnia entia, ut sic, sunt unius generis, & unius rationis generalis: ergò omnia entia, ut sunt entia, pertinent ad unam scientiam, quæ est Metaphysica. Hæc Doct., in quibus contrahit sensum Aristotelis ad entia, ut sunt entia, & non ut sunt materialia. Undè ex præalegata autoritate nihil contra nos; sicut nec ex autoritate Doct., quæ hoc eodem modo exponenda est.

7 Replicabis: illa duplex acceptio Metaphys., à nobis extabilita initio quæstionis, & repetita in solutione argumenti est expressè contra Philos.: ergò est nulla. Prob. antec.: Aristot. 6. Metaphysic. divisit scien-

tiam speculativam in Phisicam, Metaphysicam, & Mathematicam; sed si Metaphysica posset ità institui, quod compleciere-tur reliquas scientias, talis divisio non esset bona: ergò quia illa duplex acceptio Metaphysicæ, &c. Resp. negando antec. Ad prob. distinguo mai.: Arist. divisit divisione necessaria, & ex natura rei deducta, nego mai. divisione voluntaria conc. mai. Illa ergò divisio Philos. est voluntaria, ut diximus in Logica, de divisione entis in decem prædicamenta, quæ quidem alio modo potuit fieri. Communiter ergo docent Authores, divisionem scientiarum in plures scientias totales, ortam fuisse ex libero arbitrio hominum, qui ob confussionem vitandam divisere conclusiones scientificas in varias classes, ne equivocatio sequeretur. non: 8 Arguitur 2. contra ultim. part. conclus. si Metaphysica tractaret de rebus spiritualibus in particulari, posset metaphysicus formare conceptum de Deo, & Angelo pro statu isto; sed hoc est falsum: ergò & quod Metaphysica &c. Resp. distinguendo mai.: si Metaphys. tractaret, &c., posset metaphysicus formare conceptum communem, vel proprium de Deo, & Angelis, conc. mai.: conceptum præcissè proprium, subdisting. mai.: proprium; desumptum ex prædicatis communibus, conc.

concl. mai. : desumptum ex prædicatis proprijs , nego maiorem. Per quod patet ad min. : & negatur conseq. Ex dictis Disput. 9. de Anima , agendo de primò cognito nostri intellectus pro statu isto , constat ; quid sit conceptus communis : quid proprius , sive iste desumatur à proprijs , sive ex communibus? Videte ibi. Sed advertite nunc , quod conceptus proprius , si desumptus ex prædicatis proprijs Dei sub ratione Deitatis , non pertinet , nec ad Metaphysicam , prout in nobis , quæ habetur via sensus , nec prout in se , quæ habetur pro statu isto , sed spectat ad Theologiam , qui est habitus , lumine fidei innixus.

Arguitur denique contra idem : anima separata est pure spiritualis , & omnino abstrahens à materia ; sed hoc non obstante ; ejus tractatus , non ad Metaphysicam , sed ad Physicam attinet : ergò Metaphys. non agit de omnibus spiritualibus , secundum suas rationes particulares. Resp. disting. mai. : anima separata est pure spiritualis , & omninò abstrahens à materia , secundum aliqua prædicata sui , conc. mai. : secundum omnia prædicata sui , nego mai. Explicatur : anima separata , ut est quidditas , à Deo creata , & per se subsistens , modo explicato r. Physic. , inquirendo ; an mate-

ria sit subsistens ? Abstrahit à materia : attamen , ut est ens incompletum , & dicens habitudinem essentialem ad corpus , non abstrahit à materia sed potius ipsam concernit. Undè ; quia partim spectat ad Metaphysicam , & partim ad Physicam , ideò de ipsa seorsim egimus in Libris de Anima.

Ostensis iam rebus quæ metaphysicæ considerationi subiacent in communi , nunc summam dicendum est , quòd in Metaphysica dicturi sumus? Et quamvis Philosophi totam Metaphysicam in duodecim Libros dividant , hunc ordinem Librorum in præsentem servare non intendimus ; sed totum tractatù in quinque Disputationes , hasque in varias quæst. , istasque , si opus fuerit in varias Sectiones secabimus. Prima ergo Disputatione de natura entis realis ut sic , de quæ ejus divisionibus tractabimus : Secunda de ejus passionibus : tertia , de entis possibilitate , ubi de ejus essentia , & existentia ; quarta de entis individuatione ; sive de principio individuationis rerum erit sermo. Disputatione quinta & ultima de natura subsistentiæ dicemus. Quibus finis , si fuerit hic tractatus.

Sic ergò

DISP. I.

DE NATURA

*entis realis ut
sic.*

AB ente reali ut sic initium sumimus, & in meritò quidem; cum ex dictis quest. antec.; hoc sit objectum attributionis Metaphysicæ. De quo varieg. quæstiones exagitantur veniunt in hac Disp. Sit ergò

QUÆST. I.

*Quid sit ens reale, & quotu-
plex? Et de ordine divi-
sionis ipsius.*

NON loquimur in presenti de ente reali participialitèr sumpto, hoc est, prout est participium verbi *sum, es, fui*; quia prout sic solam est id, quo res constituitur extra nihil. Un-

dè solùm convenit enti creato, non vero enti ut sic, præscindenti à creato, & in creato, nam cum Deus non habeat causas sui esse, non potest per existentiam poni extra illas. Sermo igitur in presenti est de ente nominabiliter capto, hoc est, prout est nomen substantivum derivatum à verbo, *sum, es, fui*; quo sensu significat absolute ipsum esse rei, quo aliquid est in se, vel potest esse præscindendo à quacumque temporis differentia. De ente ergò sic sumpto, quærimus: quid sit?

Dico: *est id, cui non repugnat existentia à parte rei.* Hæc definitio communiter admittitur; & ejus bonitas probatur: in primis hæc definitio convenit omni enti reali assignabili; sed alias per ipsam distinguitur ens reale ab ente rationis, negationibus, aut carentijs; quia ista, sicut propriè non sunt entia, sic sunt incapaces existentie; ergo talis definitio est bona. Prob. mai.: omne ens reale assignabile, vel actu existit vel est possibile ad existendum; sed quodcumque dicatur ipsi convenit prædicta definitio: ergò, &c. Prob. min.: in primis, si est ens reale possibile ipsi convenit allata definitio, uti de se patet; sed aliudè convenit omni enti reali, actu existenti: ergò, &c. Prob. minor.: licet existentia

actualis reducat potentiam entis ad actum, non tamen destruit potentiam ad existendum; aliàs enti existenti repugnaret existere quod est chimericum: ergo, &c.

2 Circa secundum, quod inquiritur, est notandum, quod non agimus hic de ente transcendentalissimè sumpto; quia ut sic, primò divideretur in ens reale, & rationis; sed hæc divisio est æquivoci analogi in sua æquivocata analogata; cum non detur aliqua ratio entis univoca enti reali, & rationis. De hoc in hac Disput. quæst. 6. tractabimus. Undè in præsentì solùm loquimur de divisione entis, transcendentalitèr sumpti, quod supra statuimus pro objecto adæquato Metaphysicè, & in Aristotèlica pro objecto adæquato nostri intellectus ex natura potentia. Ens ergò reale sic sumptum sortitur varias divisiones; licèt non satis compertum sit apud Authores, quænam earum sit prima, vel: an omnes sint æquè immediatæ. De hoc ordine postea agemus breviter. Nunc autem sequenti ordine dividimus ens reale ut sic.

4 Primò ergò dividitur ens reale in finitum, & in infinitum. Sub ente infinito comprehenditur Deus, & omnia, quæ sunt in ipso, sive sint essentialia, sive nonionalia, quia hæc

omnia sunt infinita, vel formalitèr, ut prædicata essentialia, & attributalia, vel identicè, & realitèr, ut sunt relationes originis. Sub ente finito comprehenditur creatura, substantia, & accidens, quod etiam intelligendum est de ente finito aut formalitèr, aut realitèr, & identicè; quia, ut postea dicemus, in creatis ultimæ differentie rerum, modi intrinseci, & passionis solùm identicè sunt entia finita realia. Sed notate hic, quod prædicta divisio non est quidditativa, & essentialis; quia datur per finitatem, & infinitatem quæ sunt modi intrinseci, de quorum natura est, supponere res, quorum sunt modi, in suo esse quidditativo constitutas.

5 Secundo dividitur ens, in ens dependens, & independens. Dependens est, quod est ab alio in aliquo genere causæ, qualia sunt omnia entia præter Deum. Independens est, quod in nullo genere causæ ab alio dependet; qualis est solus Deus. Et licèt hæc divisio materiali- tèr sumpta videatur coincidere cum præcedenti, in quantum omne finitum est dependens, & omne infinitum independens, tamen formalitèr non est omnino eadem; quia una per aliam demonstratur; nam Subr. Doct. quodl. 7. §. Ad argumenta, numer. 31., per dependentiam præ-

bit finitatem, & infinitatem per independentiam. Ad hanc divisionem redducuntur divisiones entis in ens *creatum*, & *in creatum*: in *ens causatum*, & *incausatum*: in *ens à se*, & *ab alio*: in *ens per essentiam*, & *per participationem*; aliæque similes.

6. Tertiò dividitur ens in *necessarium*, & *contingens*: necessarium est, quod per quamcumque potentiam non potest non esse, cujusmodi est solus Deus, & quidquid est realitèr in ipso. Contingens est, quod potest esse, & non esse; quia non habet esse ex se, & à se, ut est creatura. Quattò dividitur in *simplex*, & *compositum*: ens simplex est, quod excludit omnem compositionem, tam physicam ex re, & re; quam Metaphysicam ex realitate, & realitate, tamquam ex genere, & differentia. Sic solus Deus est summè simplex; sed hoc intelligendum est de simplicitate, opposita compositioni, non autem opposita distinctioni, ut diximus in Logica agendo de *distinctione formali*, & dicemus quæstionibus sequentibus. Ens compositum est illud, quod constat ex se, & re, tamquam materia, & forma: vel ex realitate, & realitate tamquam ex genere, & differentia, vel est alteri componibile: & tale est omne ens creatum.

7. Quintò dividitur ens, in *ens in actu*, ensque in *potentia*. Primum est, quod actu existit: secundum est quod, licet actu non existat in rerum natura, tamen est in potentia obiectiva, respectu alicujus potentia productivæ. Sextò dividitur in *ens per se*, & *ens per accidens*, ens per se est, quod importat unicam, & veram essentiam, si ve sit una unitate simplicitatis, si ve una unitate compositionis. Ens per accidens est, quod non importat unicam, & veram essentiam, sed plures, ideòque non tam est ens, quam plura entia per se. Quare hæc non admittitur tamquam vera, & propria divisio; quia ens per accidens non participat veram rationem entis. Unde Septimò dividitur ens in *substantiam*, & *accidens*. Substantia hic sumitur, prout est idem, ac ens per se, excludens omnem inherentiam accidentis, si ve actualem, si ve aptitudinalem. Ens accidens sumitur pro accidenti prædicamentali, cujus proprium est inhærere, & facere cum subjecto unum per accidens. Non atem sumitur hic accidens per accidens, quanto prædicabili; nam sic plures sunt substantiæ, quæ sunt accidentia prædicabilia.

8. Octavò solet dividi ens in *unum*, & *multa*; sed hæc in rei veritate non est vera di-

visio, quia solum est quedam assignatio, qua ens ex una parte assignatur cum unitate, & ex alia cum multitudi- ne, & sic ira opponantur unum, & multa, sicut ens, & entia: ex quo solum habet hac divisio quamdam similitudinem divisionis. Non- do dividitur ens, in *absolutum*, & *respectivum*. Primum est, quod non est formaliter, & quidditative ad aliud, ut Deus, ejusque attributa, triaque prima predicamenta, scilicet, substantia, quantitas, & qualitas. Res- pectivum per oppositum est illud, quod est formaliter, & quidditative ad aliud, ut sunt relationes originis, & septem ultima predicamenta. Tandem dividitur ens in *quantum*, & *non quantum*, sed de hac divisione agemus ex professo quaest. sequenti, licet breviter. Nunc pro resolutione ultimae partis hujus quaest.

9 Dubitabis: quem ordinem servent inter se istae divisiones? Loquimur de divisionibus, quae vere, & proprie dicunt rationem entis realis; nam quae non sunt verè, & proprie divisiones entis, uti se habent divisio in ens reale, & rationis; possibile, & impossibile; per se, & per accidens; positivum, & negativum; unum, & multa: cum in ipsis non detur ali- quid commune divisum, non

sunt tam divisiones, quam aequi- voce interpretationes vocis *entis*. In hac difficultate aliqui iudicant, omnes istas divisiones esse aequè primas, & immediatas, ita ut nulla sit prior alia. Alij autem tenent, quod primò dividitur in ens *quantum*: & *quale*: & in quantum, & non quantum. Lis centè est parvi momenti: undè breviter eam resolvemus. Quare

ro. Dico: *ens primò dividitur in Deum, & creaturam*. Prob. 1. ex Subt. Doct. in 1. dist. 19. quaest. 1. §. *Hic primò, v. de secundò*, num. 3., ubi docet, ens quodlibet esse quid, quantum, & quale: ergò prius est quid, quam quantum aut quale. Prob. hæc conseq.: quid est per suam essentiam, vel differentiam: quantum, per modos intrinsecos; quale per passiones; ergò prior est divisio in quid, quam in quantum, aut in quale. Nunc sic; sed divisio entis in Deum, & creaturam spectat ad quid; cum detur per ipsam essentialem differentiam, aut quidditatem; reliquæ verò ad quantum, aut quale; quæ fiunt per modos, aut passiones: ergò ens primò dividitur in Deum & creaturam. Confirm.; quia illa divisio entis debet esse omnium prima, quæ habet omnes conditiones, ut sit omnium prima; sed talis est nostra divisio: er- go

gò est omnium prima. Minor patet ex dictis in probatione ex Doct. ; cum hæc detur per inferiora.

11 Dices tamen 1, ex eodem Doct. 4. Metaphys. quæst. 1. num. 3., ubi docet, ex Philosopho, *quod ens statim, est quid, & quale, quia sunt immediatè partes entis, ità quod non descendat prius in alias partes, quam in istas* : g. quid quantum & quale est, quod immediatè dividit ens, & æquè primò. Confirm. ex eodem Doct. quodlib. 5. in fine ubi docet, primam divisionem entis esse in quantum, & non quantum : ergò non dividitur primo in Deum, & creaturam. Resp. ad prim., quod Subt. Doct. cum Philos. in præalegato loco solum intendit, quod ens immediatè descendat in prædicamenta, ly *immediatè* excludente aliquod medium realitè distinctum; ex quo nihil contra nos. Et quod in hoc sensu loquatur patet ex exemplo, quod apponit de rebus materialibus; nam istæ requirunt unionem materiæ cum forma, tanquam medio, ut sint *quid quantum, aut quale*, secus verò rationes entis. Quænam autem ex his rationibus entis sit prior ibi non statuitur. Ad confirm. Doct. dico, quod nec ibi nec alibi docuit, divisionem entis in quantum esse, & non quatu absolutè omnium primam, sed

solum comparativè ad divisionem entis, in *finitum, & in infinitum*, de quo postea.

12 Dices 2. : divisiones entis omnes sunt æquè primò immediatæ : ergò una non est prior alia. Prob. antec. primò quia in quibusdam divisionibus, & divisum est idem & mēbra dividētia sunt eadem; nam idem est Deus, ac ens infinitum, incausatum, & independens : & per oppositum idem est creatura, ac ens finitum, causatum, & dependens : ergo in quibusdam divisionibus, &c. Prob. idem antec. quia si aliqua divisio esset prima, tunc reliquæ divisiones non essent divisiones entis, sed subdivisiones istius primæ divisionis, sed hoc nequit dici; cum sit contra suppositionem factam; ergò, &c.

13 Resp. negando antec. Ad prob. dist. antec. : in quibusdam divisionibus, divisum est idem, & membra dividētia sunt eadem materialitè, conced. antec. : sunt eadem formalitè, nego antec., & consequ. Rationes ergò dividētes ens, non sunt in omnibus ædem formalitè, sed una est ratio alterius; cum una possit per aliam demonstrari, ut diximus de divisione entis in dependens, & independens. Ad secund. probat. dist. min. : si aliqua divisio esset prima ex parte membrorum dividētiarum materialitè, tunc re-

liquæ &c. ; conc. mai. : si solum est prima ex parte rationum dividendium , nego mai. , mia. , & conseq. Solutio constat ex dictis. Et reliqua , quæ hic objeci possunt parvi sunt momenti , ita ut penè invenire valeas concordēs plures Authores in ordine stabilendi ordinem istarum divisionum.

QUÆST. II.

An divisio entis in quantum , & non quantum sit admittenda , & quomodo ?

FAMOSSA in Scholis facta est hæc difficultas de divisione entis in quantum , & non quantum , quæ sanè fuit ignota Scholasticis , saltim quoad significatum formale terminorum utique ad tempus N. Subt. Doct. qui in opere quodliberali , quodlib. 5. eam validissimis rationibus , nedum ostendit possibilem sed etiam necessariam , pro declarando , & explicando Mystero Sanctissimæ Trinitatis E regione opposita stat Schola Thomistica , Nominalium , & Jesuitarum. Quinimodò , & ipsimet Scotistæ sunt inter se divisi ; nam , licet omnes uno ore fateantur , debere admitti entia non quanta in divinis , qualia sunt relatio-

nes divinæ , ea tamen negant in creatis : sic Vallonius , quem plures alij sequuntur. Per oppositum alij sentiunt , istam divisionem debere admitti , tam in divinis , quam in creatis. Hæc difficultas lato calamo tractatur à Theologis in Materia de Trinitate. Quare hic breviter nonnulla prælivabimus , ne omninò ieiuni accedatis ad Theologiam. Sit ergò :

Conclusio : admittenda est divisio entis quanti ; & non quanti , nedum in divinis , sed etiam in creatis. Est Doct. citat. , & quoad prim. part. omnium Scotist. : quoad secundam verò satis communis. Prob. ergò ratione Doct. : dantur entia quanta (nota , quod hic quantitas sumitur pro quantitate virtutis , seu perfectionis , non verò pro quantitate molis , seu corporæ) ; sed aliundè dantur etiam entia non quanta , tam in divinis , quam in creatis : ergò necessè admittenda est divisio entis , ut sic in quantum , & non quantum. Maior ab omnibus admittitur. Prob. min. in divinis ; nam postea probab. in creatis : dantur relationes originis , ut Paternitas , Filiatio , & Spiratio passiva ; sed istæ non sunt entia quanta , quantitate perfectionis : ergò &c. Hæc min. tribus , aut quatuor rationibus satis efficacibus probatur à Nostr. Doct.

Doct. citat., quæ videri possunt apud ipsum. Sed nunc.

3 Prob. prædicta min. primò sic: si prædictæ relationes essent quantæ quantitate virtutis, & perfectionis, essent formalitèr infinitæ; sed hoc repugnat relationibus originis: ergò &c. Mai. constat; quia omne, quod est in Deo formalitèr perfectum, est formalitèr infinitum. Prob. min.: repugnat plura formalitèr infinita, & simul inter se realitèr distincta; sed relationes originis, ut relationes, sunt plures realitèr distinctæ: ergò repugnat, quod sint formalitèr infinitæ. Minor est de fide. Prob. mai.: quod est formalitèr infinitum debet habere realitèr, hoc est, per identitatem realem, omnem perfectionem simpliciter; sed si essent plura formalitèr infinita, & ab invicem realitèr distincta, neutrum haberet per identitatem omnem perfectionem simpliciter; g. repugnant plura formalitèr infinita, & Mai. constat; quia infinitum formalitèr est id, cui nihil perfectionis deest. Minor etiam patet; quia nihil habet in se realitèr illud: quod realitèr distinguitur ab ipso: ergò, si essent plura, formalitèr infinita, &c.

4 Prob. 2. eadem minor alia ratione Doct.: si relatio-

nes originis essent quantæ quantitate virtutis aliqua perfectio esset in Patre, quæ non esset in Filio; sed hoc est contra SS. Patres, unanimitèr asserentes tantum esse Patrem solum, vel Filium solum, vel Spiritum Sanctum solum, quantum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus simul: ergò ne hoc sequatur, dicendum est, quod non sunt quantæ quantitate virtutis. Prob. sequela mai.: in Patre reperitur Paternitas, & non Filiatio: in Filio Filiatio, & non in Patre: in Spiritu Sancto Spiratio passiva, & non in Patre, nec in Filio: ergò si istæ relationes dicerent aliquam perfectionem, aliqua perfectio esset in Patre quæ non esset in Filio; & consequentèr plus perfectionis esset in tribus Personis, quam in singula. Aliæ variæ rationes videantur in Doct. cit., & in N. Mast. Tom. 1. Theologiæ Disput. 7. de Trinitate quæst. prim.

5 Prob. nunc minor, posita num. 2. hujus, quoad secundam partem, scilicet, quod dentur entia non quanta in creatis: in creatis dantur passionis entis, modi intrinseci, ultimæ differentię individuales, & hypotheticæ; & tandem omnes illæ reales, quæ aliquitates entis appellantur; sed omnia illa non sunt formalitèr entia quanta quantitate virtutis, &

perfectiōnis : ergo etiam in creatis debent admitti entia non quanta. Prob. min. ; quia hæc omnia directè , quidditative rationem formalem entis non includunt , seu non sunt formalitèr entia , sed solùm identicè , ut ex professo videbimus quæst. ultima hujus : ergo nec habent bonitatem , quantitatemve formalem perfectiōnis , sed solùm realitèr , & identicè : ergo non sunt formalitèr entia quanta : ergo sunt entia non quanta.

6 Sed quia circa hoc (meo videri) aliqua æquivocatio latere valet , qua ducti Scotistæ nobis adversantur , ut hæc omninò tollatur , notandum est ex Doct. in 1. dist. 3. quæst. 3. quod divisio entis in *finitum* , & in *infinitum* non est posterior divisione entis in *quantum* , & *non quantum* ; quia ; licet Subt. Doct. dicat , ens prius dividi in quantum , & non quantum , & postea ens quantum subdividi in finitum , & infinitum , hoc non intelligitur ita , quod conceptus entis , communis quanto , & non quanto , sit verè superior ad conceptum entis communis ad finitum , & infinitum , & omninò distinctus ab ipso. Nam in re est idem omninò conceptus , qui , si comparatur ad inferiora : in quibus essentialitèr includitur , & de quibus formalitèr prædicatur , di-

citur ens quantum , & dividitur in finitum , & in infinitum , tamquam superius univocum , & unice dictum de suis inferioribus. Si autem ille conceptus communis comparatur ad illa , quæ tantum identicè continet , & de quibus tantum identicè prædicatur , ut sunt ultimæ differentiæ , &c. ; tunc talis conceptus sic communis abstrahit ab ente quanto , & non quanto.

7 Notate ulterius ex Doct. citato , quod ens reale , transcendentalitèr sumptum , duplicem habet primitatem : una dicitur *communitatis* , sive *predicationis* ; & altera *virtualitatis*. Ens secundum *primitatem communitatis* dividitur in finitum , & in infinitum , in quibus essentialitèr includitur , & de quibus formalitèr , quidditative prædicatur. Ens verò secundum *primitatem virtualitatis* maiorem habet latitudinem ; quia secundum istam primitatem respicit etiam suas passiones , modos intrinsecos , & ultimas differentias rerum de quibus tantum identicè , & realitèr prædicatur. Undè quandò Subt. Doct. quolib. 5. ait , *quod ens prius dividitur in quantum , & non quantum , quam in finitum , & in infinitum* ; explicandus est de primitate virtualitatis , non verò de primitate communitatis , seu predicationis.

8. Ex doctrina ergo contenta in his notabilibus, posunt Scotistæ, qui nobis in hoc puncto adversari videntur, faciliter reconciliari, & adduci in nostram sententiam. Si enim concedant, divisionem entis in quantum, & non quantum esse quidem univocam; sed negent, quod sit univoca univocatione propriè dicta; ita ut conceptus entis communis quanto, & non quanto sit distinctus à conceptu entis communis finitum, & infinito; tunc certè cessabit lis; nam & hoc idem nos dicimus. Ratio est; quia dum superius dividitur in duo, vel plura membra divisione univoca, tunc quodlibet ex membris dividendis, vel excedit, vel exceditur ab alio: ergo si hæc membra, *quantum, & non quantum* dividerent rigurose univocè ens, unum ex his excedit & alterum exceditur: ergo ens *non quantum*; vel excedit, vel exceditur. Nunc sic, sed, sive excedat, sive excedatur, iam erit ens quantum, cum sit proprium enti quanti *excedere, vel excedi*: ergo, ne contradictio sequatur dicendum est, quod hæc divisio, etsi sit univoca, non tamen univocatione

rigurose sump-

ta.

Solvuntur Argumenta.

9. ARGUITUR t. divisio entis in quantum, & non quantum ex terminis repugnat: ergo non est admittenda. Prob. antec.: ex terminis repugnat divisio facta per differentias contradictoriè oppositas; sed quantum, & non quantum sunt differentie, contradictoriè oppositæ: ergo, &c. Respondeo negando antec. Ad probat., concessa mai., nego min. Ratio est; quia, licet unum ex prædictis membris explicetur per negationem, tamen per ly *non quantum* subintelligitur quid positivum, dicens negationem perfectionis formalis. Neque hoc est novum in Philosophia; nam juxta omnes ens bene dividitur in *corporeum, & incorporeum*: in *finitum, & infinitum*: & tamen per ly *incorporeum*, non intelligitur pura negatio, sed quid positivum spirituale, secum ferens negationem corporeitatis, sic ut & per ly *infinitum* intelligitur quid positivum cum negatione annexa finitatis. Sic ergo in præsentibus

10. Arg. 2.: ens quantum est illud, cui deberetur per-

fectio in aliquo genere : ens vero non quantum est , cui nulla debetur perfectio , nec imperfectio ; sed huiusmodi divisio ex terminis repugnat : ergo &c. Prob. min. : maxima imperfectio est dari ens , cui nulla debeat perfectio secundum suam rationem formalem : & aliunde nulla maior perfectio in ente , quam , quod ipsi secundum se omnis imperfectio repugnet ; sed enti non quanto , ut à nobis explicatur , nulla debetur perfectio secundum suam rationem formalem , & ipsi repugnat omnis imperfectio : ergo , &c. Respond. negando min. : & maior probationis quoad utramque part. Vél claritatis gratia eam sic distinguo : maxima imperfectio est dari ens , cui nulla debeat perfectio , si aliqua perfectio foret sibi possibilis , conc. mai. : si non sit possibilis , nego mai. , & concessa min. , nego consequentiam.

11 Argumentum igitur se ipsum destruit ; nam si ens non quantum est illud , cui nulla debetur perfectio , nec imperfectio ; quomodo poterit considerari tale ens , ut perfectum , aut imperfectum ? Pessimè quidem. Imperfectum enim non est , qualicumque carentia perfectionis , sed duntaxat perfectionis debita. Quare , cum enti non quanto nulla debeat perfectio ,

non potest dici imperfectum. Ex quo distinguo supra positam maiorem quoad secundam part. , & aliunde nulla maior perfectio in ente , quam quod ipsi repugnet omnis imperfectio ratione perfectionis formalis talis entis , conc. mai. ; ratione suæ præcisionis , nego mai. Enti ergo non quanto repugnat omnis imperfectio , sed non ratione alicujus perfectionis ipsius ; quia nullam habet ; sed ratione suæ præcisionis ab omni perfectione , & imperfectione.

12 Arguitur 3. : omne ens est quantum : ergo repugnat ens non quantum. Prob. antec. : omne ens , vél est finitum , vél infinitum ; sed repugnat ens , si vél finitum , si vél infinitum , quod non sit quantum ; etenim quantitas alia est finita , & alia infinita : ergo , &c. Prob. mai. : omnis entitas necessariò est finita , vél infinita ; sed omne ens est aliqua entitas : ergo , &c. Resp. negando antec. Ad prob. distinguo maior : omne ens , vél est finitum , vél infinitum , aut formalitèr , & secundum se , aut realitèr identicè , & propter aliud , conc. mai. : præcisè secundum se formalitèr , nego maior : & eisdem terminis distinguitur mai. Itaque plura sunt , quæ formalitèr , & secundum se non sunt entia , & consequentèr , nec ex se formalitèr infinita , aut finita ; benè verò

fi-

finita, aut infinita ratione tertij, cum quo identificantur. Undè, si tertium est finitum, finita sunt: & infinita, si infinitum est tertium.

13 Arguitur 4.: relatio creata est ens quantum; ergò & relatio divina. Concedo antec., & nego conseq. Ratio est; quia relatio creata est accidens constitutum in aliqua determinata specie; constansque genere, & differentiâ: species autem se habent sicut numeri, de quorum natura est excedere vel excedi. Oppositum evenit in relationibus divinis, quæ, licet sint tamquam species, non sunt species: & aliundè, quia sunt incommunicabiles, non possunt cadere sub ente quanto; alioquin essent formalitèr infinitæ, dicerentque perfectionem simpliciter simplicem, quæ repugnat cum incommunicabilitate; quia omnis talis perfectio est communicabilis: ergò infinitas repugnat relationibus divinis, quæ sunt formalitèr incommunicabiles, & consequenter ratio formalis entis quanti.

14 Arguitur 5.: omne non finitum est formalitèr infinitum; sed relationes Divinæ non sunt finitæ: iminò sunt non finitæ: ergò sunt formalitèr infinitæ; & consequenter quantæ. Maior constat; quia infinitam, formalitèr, capium meram negationem finitatis importat: fun-

damentalitèr verò sumptum dicit illam rem, quam denominat infinitam. Confirm.: Essentia Divina est formalitèr infinita; quia ipsi se ipsa repugnat finitas: sed non minus repugnat finitas Essentiæ Divinæ, ac divinis relationibus: ergò si illa est formalitèr infinita, etiam istæ; & consequenter, &c.

15 Resp. negando maior, cum sua probatione imbibita. Ratio est; quia non finitum est negatio extra genus, æqualitèr conveniens enti, & non enti. Infinitas autem dicit negationem in genere, & fundatam in entitate positiva, ad quam sequitur negatio finitatis. Videte dicta in solutione primi argumenti. Ad confirm., concessa mai., nego min. Ratio est; quia relationibus divinis repugnat finitas, propter identitatem realem ipsarum cum Essentiâ: & sic essentiæ divinæ magis repugnat finitas, quam relationibus, juxta illud: *propter quod unumquodque est tale, & illud magis*; sed relationes sunt infinitæ propter Essentiam: ergò hæc est magis infinita illis; & consequenter, cum hæc sit infinita formalitèr, illæ erunt tantum identicè.

16 Arguitur ultimò: omne bonum est perfectum, si-
vè quantum quantitate perfectionis; sed relationes originis, ut

Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva sunt bonæ; etenim non sunt malæ: ergo sunt perfectæ: ergo sunt entia quanta. Hoc argumentum lato calamo discutitur à Nostratibus in Materia de Trinitate. Sed pro nunc breviter cum N. Maffrio respondeo, concessa mai., distinguendo min.: sed relationes originis sunt bonæ identicè, & ratione Essentiæ, conc. min.: sunt bonæ formaliter, & ratione sui, nego min., & conseq. Alia plura argum., quæ hic obijci possent, ex maiori parte Theologica sunt. Quarè meritò ea hic omittimus.

QUÆST. III.

An ens reale ut sic dicat unum conceptum, tam formalem, quam objectivum, à suis inferioribus perfectè præcisum?

HUJUS difficultatis resolutio pendet ex dictis in Logica Disp. de distinctionibus. Ex ibi, alibique dictis, in Animalica maximè, notate 1., quod conceptus est duplex, ut patet ex titulo quæst., formalis scilicet, & objectivus. Conceptus formalis est ipsamet cognitio rei,

sive actus, quo intellectus intelligit rem. Dicitur *conceptus*; quia est filius, seu proles intellectus: ex quo infertur, quod conceptus formalis, qui est actio immanens, semper est vera res positiva intellectui inhærens.

Conceptus objectivus est ipsa res cognita, & mente concepta. Dicitur conceptus per denominationem extrinsecam, desumptam à conceptu formali, quo concipitur res cognita. Dicitur *objectivus*; quia potentie cognoscitivæ obijcitur. Ex quo intetur, quod non tantum entia realia positiva habet conceptum objectivum; nam etiam privationes, negationes, & entia rationis intellectui obijciuntur. Isti duplici conceptui duplex correspondet præcisio, scilicet, formalis, & objectiva, quæ ulteriori non indiget explanatione.

2. Notate 2., quod inferiori entis realis, de quibus est quæstio, sunt *Deus*, & *creatura*; *substantia*, & *accidens*; nam infra quæst. 8. erit specialis difficultas de ultimis differentijs, modis intrinsecis, & passionibus entis. Notate 3., quod, licet plures Thomistæ, contra Nominales, & aliquos Jesuitas nobiscum conveniant in eo, quod ens reale dicat unum conceptum, tam formalem, quam objectivum, à suis inferioribus præcisum, differunt tamen, quod

quod nos dicimus, hunc conceptum præscindere perfectè à suis inferioribus si ipsi autem asserunt, solum esse imperfectè præcissum. Ratio discriminis est; quia inter omnia prædicata, realitèr identificata, admittimus distinctionem formalem à parte rei; ipsi verò solum à distinctione in virtuales; sive rationis ratiocinaria.

3. *Sup* Sensus ergò genuinus quæst. est: an, cum ego concipio hoc prædicatum ens, quod est commune Deo, & creaturæ; substantiæ, & accidenti, habeam pro tunc in meo intellectu unum solum actum, & unum solum objectum: mihi propositum? An verò pro tunc habeam plures actus, pluraque objecta? Si hoc secundum; non dabitur unus conceptus formalis, nec objectivus entis, à suis inferioribus præcissus, adhuc imperfectè. Si autem primum; dabitur talis conceptus: cum discrimine, quod apud Thomistas imperfectè præscindet; apud Scotistas verò perfectè. Undè in præsentì triplex datur sententia. Prima admittit præcisiones formales, & negat absolutè objectivas. Ità Nominales quibus adherent aliqui Jesuitæ. Secunda admittit conceptus, sep præcisiones formales, & objectivas, imperfectè tamen præcidentes ab inferioribus. Sic communis Thom. Tertia tandem docet, il-

los conceptus, seu præcisiones in formales, & objectivas præscindere perfectè à suis inferioribus. Ità omnes Scotistæ cum quibus sit contra primam sententiam.

PRIMA CONCLUSIO.

4. *NS* reale dicit unum conceptum, tam formalem, quam objectivum, à suis inferioribus præcissum; seu quod idem est: dantur præcisiones objectivæ, & repugnant purè formales. Prob. 1. conclusio: præcisio objectiva nihil aliud est, quam cognoscere unam formalitatem, non cognita altera realitèr identificata cum ipsa; sed datur huiusmodi cognitio: ergò datur præcisio objectiva. Probat. unip. animal, & rationale in homine sunt formalitates realitèr identificate; sed animal cognoscitur, non cognitio rationali: ergò potest cognosci una formalitas, altera non cognita. Prob. min.: quæ habent diversas definitiones objectivas, ità quod unum possit definiti, altero non definito, unam illorum potest cognosci, altero non cognito; sed sic se habent animal, & rationale: ergò, &c. Minor constat; quia cognitio definitiva est vera, & propria cognitio.

nitio. Minor est evidens; quia animal objectivè definitur per hoc quod sit vivens sensibile; sed hæc definitio in sensu formali non convenit rationali: ergo, &c.

5 Confirm. 1.: quodlibet potest objectivè concipi, sine eo, quod est extra suam essentiam; sed rationalitas est extra essentiam animalitatis: ergo animalitas potest objectivè concipi, non concepta rationalitate. Maior constat; quia, *sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci, seu concipi.* Minor est Philof. 2. Metaphys. cap. 1. dicentis: *differentia vero nullius generis particeps esse potest*; sed rationalitas est differentia, & animalitas ratio generica: ergo una potest concipi, altera non concepta; & consequenter, &c. Confirm. 2.: dum dico: *homo est animal*: *equus est animal*; vel prædico de utroque aliquid, ipsis commune ex parte objecti: vel de quolibet suam propriam animalitatem? Si primum, est nostra conclusio. Si secundum, infero: ergo prædictæ prædicationes non sunt superioris de inferiori. Prob. consequentia: eo ipso, quod de quolibet prædicetur sua propria animalitas, & non aliquid, utriusque commune, prædicatum non latius patet, quam subjectum: ergo non sunt superioris de inferiori: ergo valebit hæc prædicatio: *est animal*:

ergo homo, quod nullus concedit.

6 Respondent aliqui Jesuitæ ex doctrina Nominalium, quod definitio animalis attingit in recto rationalitatem: attramen, quia animal definitur in ordine ad sensationem, quæ, ipsi, ut animali convenit, ideò definitio animalis, inquirunt, non verificatur absolute de rationali. Ratio ipsorum est; quia rationale importat pro connotato sensationem, quæ ipsi non convenit, ut rationale est. Ad prim. confirm. dicant, differentiam ex parte connotati, seu obliqui, esse extra essentiam generis, non verò ex parte recti. Ad secundam confirm. respondent, istam prædicationem: *homo est animal*, non esse superioris de inferiori ex parte recti; benè verò ex parte obliqui. Hæc solutio meo videri, in puris consistit verbis. Quare. 7 Reijcitur 1.: cognitio, quæ cognosco animal ex parte objecti in recto, nullatenus attingit rationalitatem: ergo nulla est solutio Contrariorum. Prob. antec.: rationalitas ita negatur de animalitate in sensu formali, quod non solum cadat negatio supra connotatum in obliquo, sed etiam supra ipsamet formalitatem in recto: ergo cognitio, quæ cognosco, &c. Prob. antec.: sicut hæc propositio negativa: *sensatio non est*

discursus, est vera; ita & ista: *animalitas non est rationalitas*; ergo rationalitas, &c. Reijcitur 2.: *sensatio*, quæ juxta contrarios est connotatum rationalitatis, radicular in eadem indivisibili formalitate à parte rei; ergo non est maior ratio; cur *sensatio* ducat meum intellectum in claram cognitionem animalitatis, quam in cognitionem claram rationalitatis, quod est contra ipsos. *Prob.* consequentia: eadem indivisibilis formalitas in homine, juxta Contrarios; est principium formale sensationis, & *discursus*: ergo non est maior ratio; cur &c. aut si est, erit; quia animalitas, quæ est principium sensationis, est objectivè distincta à rationalitate, quod est nostrum intentum.

8. *Prob.* 2. *Conclusio* rationis Theologica: dùm quis profert hanc propositionem: *Essentia Divina communicatur Filio*: vel in hoc conceptu *essentia* ingreditur Paternitas cognita, vel non? Si non; inferò: ergo *essentia* divinâ potest objectivè cognosci, non cognita Paternitate; sed hoc est objectivè præcindere: ergo, &c. Si primum; inferò: ergo sicut de *Essentia Divina* verificatur hoc prædicatum *communicatur*, ita etiam verificatur de Paternitate, quod est hæreticum. *Prob.* consequentia: hoc prædicatum *communicatur* af-

firmatur de toto illo, quod se tenet ex parte objecti; sed Paternitas (negata præcisione objectiva) se tenet ex parte objecti istius: *Essentia communicatur*: ergo sicut de *Essentia Divina* &c. Mai. est manifesta. *Minor*, licet apud nos sit falsa, est tamen vera juxta Contrarios; cum, juxta ipsos Paternitas sit eadem indivisibilis formalitas cum *Essentia Divina*.

9. *Confirm.* 1.: natura humana Christi immediatè fuit hypostaticè unita subsistentiæ Verbi Divini, & non immediatè naturæ divinæ: ergo inter naturam divinam, & subsistentiam Verbi Divini ponenda est præcisio ex parte objecti. Consequentia est bona; alioquin sicut natura humana fuit immediatè unita Verbo, ita & immediatè esset unita naturæ divinæ; & sic non solum Filius; sed Pater, & Spiritus S. immediatè Incarnati essent. Quod probo: quidquid convenit immediatè naturæ divinæ est commune toti Trinitati, ut omnes Theologi fatentur: ergo si natura humana fuisset immediatè unita naturæ divinæ, non solum Filius, &c. Hæc confirmatio valdè urget Thomist, negantes distinctionem formalem in divinis.

10. *Confirm.* 2.: si *Essentia Divina* non præcinderet

objectivè à relationibus, possimus naturalitèr cognoscere Trinitatem Personarum; sed hoc nullus dicit: ergò, &c. Prob. mai.: naturalitèr possimus cognoscere Essentiam, & existentiam divinam, sive Deum esse, & existere; sed Essentia, & existentia divina, juxta contraria, non præscindunt objectivè à Trinitate Personarum: ergò, &c. Mai. est omnium. Philof. cum Arist., qui Essentiam Dei à priori demonstravit. His rationibus Theologicis convincitur Ariaga præcisiones objectivas in divinis concedit, & eas negat in creatis: sed an consequenter ipse videat. Aliæ rationes probativæ hujus conclus. in sequenti apponentur, dum contra Thomist. agamus.

Solvuntur Argumenta.

11 **A**RG. I. ex Hurtado Disput. 6. Metaphys. Sect. 4. Subject. 7.; omnia illa, que nos possumus cognitione separare distinguuntur realitèr, & possunt, saltem divinitus, ab invicem separari; sed nos possumus cogitatione separare omnia illa, inrèr quæ ponimus præcisiones objectivas: ergò hæc pos-

sunt separari. Probat. minorem primò ex Div. Basilio Homilia 6. in Exameron, ubi probatur, quod idèò Sol, & lux ejus distinguuntur realitèr, & possunt divinitus separari, quia nos concipimus lucem, non conceptò Sole: ergò omnia illa, &c. Prob. 2. idem antec., ex Div. Anselmo 4. de Incarn. cap. 18. ubi asserit, Deum non posse objectivè dividi adhuc per intellectum: ex quo probat, Omnipotentiam non esse accidens Dei; quia Deus nequit concipi sine Omnipotentia: ergo juxta hos Sanctos Patres, in divinis relegandæ sunt præcisiones objectivæ.

Deindè idemmet Hurtado citatus, sub Sect. 3. fictis coloribus depingit Historiam Petri Tarantasi, postea electi ad summum Pontificatum sub nomine Innoc. V. Hic Doct., ait Hurtado, à Patribus Dominicanis fuit dellatus, & accusatus, eo quod constituebat in divinis diversas formalitates objectivas. Utinam & omnes sic præscindentes (subdit Hurtado) ad juditium deferantur. Tandem concludit, quod Subr. Doct. videns, quod ista sententia male audiebat, eam proposuit sine assertione, & præjuditio melioris sententiæ. Hæc Hurtado. Et miror, quod sicut fictis coloribus depinxit Historiam, eisdem non deliniaverit sententiam con-

tra Petram Tarantium. Sed certè nullo authentico Testimonio eam asserere valebit: sicut nec adhuc probabiliter probare poterit, Subr. Doct. non stare pro præcisionibus objectivis; quamvis cautela, & modestia religiosa pro suo modo semper utilis fuerit. Sed hoc omisso,

13 Pro. solutione argumenti Hurrado notate ex Doct. quæst. 32. Universalium ad ultimum; & in 1. dist. 2. quæst. 7.; & in 3. dist. 3., quod abstractio est duplex: una *præcissiva*, & alia *divisiva*. Præcissiva est illa, qua intellectus absque mendatio cognoscit unum prædicatum alicujus rei, non cognito altero cum ipso realiter identificato in tali re. In hoc sensu dixit Arist. 2. Physic. : *abstractantium non est mendacium*. Hæc abstractio dicitur fieri sine mendatio; quia, licet ego cognoscam, quod homo sit rationalis, nihil pro tunc cogitando de ejus risibilitate in hoc non mentior; nam sicut pro illo signo non affirmo risibilitatem de homine, ita neque ipsam nego, aut aliquid ipsi oppositum affirmo, quod erat necesse, ut mea cognitio esset mendax. Abstractio divisiva per oppositum se habet; nam hæc numquam potest fieri sine mendatio inter prædicata, realiter identificata: nam ista semper fit, negando de sub-

jecto, prædicatum realiter identificatum cum ipso; ut si dicas: *homo non est risibilis*: vel affirmes oppositum; dicendo: *homo est rugibilis*. Hoc notato, facilis est solutio argumenti.

14. Resp. ergo disting. mai.: omnia illa, quæ nos possumus cogitatione *divisiva* separare, distinguuntur realiter &c.; conc. mai.: cogitatione *præcissiva*, nego mai.: & inversis terminis disting. min., & nego consequ. Ad prob. dico, quod Div. Basilius quamoptimè ex abstractione divisiva lucis à Sole, infert distinctionem realem inter Solem, & lucem. Hoc eodem modo resp. ad D. Anselm.; quia Deus non potest objective cognosci per intellectum cognitione divisiva, nec sine Omnipotentia; cum ista particula *sine*, in rigore sumpta, sit divisiva. Innò argumentum, in rigore sumptum, è medio tollit omnem distinctionem rationis, fundatam in præcisionibus formalibus, quas ipsemet arguens cum suis admittit in divinis. Undè ipse tenetur explicare suam maiorem,

15. Arg. 2. ex Arriaga, & Oviedo: implicat, quod duo contradictoria verificentur de eadem realiter entitate; sed hoc verificaretur, si darentur præcisiones objective: ergo non dantur. Prob. min.: animalitas

& rationalitas in homine sunt eadem realitèr entitas; sed data præcisione objectiva, de ipsis verificantur duo contradictoria: ergò &c. Prob. min.: *cognosci*, & *non cognosci* sunt contradictoria; sed data præcisione objectiva inter irrationalitatè, & animalitatem, de ipsis verificantur, *cognosci*, & *non cognosci*: ergò, &c. Confirm.: æquè contradictoriè opponuntur: *cognosci*, & *non cognosci*; ac *produci*, & *non produci*; sed implicat animalitatem produci in hominè sine ejus rationalitate: ergò implicat cognosci, rationalitate non cognita: ergò implicat præcisiones objectivè. Hoc argumentum, plus urget Thomistas, quam nos; & tamen ipsum solvunt.

16 Resp. distinguendo mai.: implicat, quod duo contradictoria verificentur de eadem realitèr entitate, & formalitèr indistincta, conc. mai.: de eadem realitèr entitate, & formalitèr tamen distincta, nego maior. Eisdem terminis distinguitur min., & præmissæ probationis. Quarè, licèt, animalitas, & rationalitas in homine sit eadem entitas realitèr, & identicè; tamen sunt formalitates, formalitèr distinctæ, quarum quælibet se sola potest terminare actum cognoscitivum intellectus. Undè absque contra-

ditione potest cognosci unum, altero non cognito; & sic præcündunt objectivè.

17 Ad confirm. nego mai.: vel claritatis gratia eam distinguo: æquè contradictoriè opponuntur, *quoad veritatem*, cognosci, & non cognosci, ac produci, & non produci, conced. mai.: quòad distinctionem inferendam inter extrema contradictionis, nego mai.; & concessa min., nego conseq. Itaque, licèt omnia contradictoria æquè repugnent quoad veritatem; quia nequeunt esse simul vera; non tamen æquè repugnant, quoad distinctionem inferendam. Ratio ex dictis in Logica de distinctione formali, est; quia qualis fuerit contradictio, talis erit distinctio. Undè, si contradictio est rationis, distinctio ipsam tollens, erit rationis: si formalis, formalis: & si realis, realis erit distinctio.

18 Ad propositum ergò: licèt extrema istius contradictionis: *cognosci*, & *non cognosci*, possent esse res, & res; cum omnis res sit cognoscibilis; non tamen semper sunt præcisè res, sed quampluries sunt, & possunt esse formalitates ejusdem rei, quarum quælibet sufficienter terminat actum cognoscitivum intellectus. Extrema autem istorum contradictoriorum: *produci*, & *non produci*, necessariò sunt

res physicae, vel iam totales, vel iam partiales actione reali physica producibiles. Quare *produci*, & *non produci* maiorem inferunt distinctionem inter sua extrema, quam *cognosci*, & *non cognosci*. Unde hæc propositio: *omnia contradictoria æquè repugnant*, est absolute falsa adhuc in sententia Adversariorum.

19 Quod, ut claritùs fiat, sic insto: Contrarij, si negant præcisiones objectivas, admittunt tamen præcisiones formales; sed ex istis æqualis sequitur contradictio, ac ex illis: ergo, &c. Prob. minor: non minus repugnat, quod idem cognoscatur, & non cognoscatur, quod idem habeat eadem connotata, & ea non habeat: quod idem cognoscatur clarè, & non cognoscatur clarè: quod sit genus, & non sit genus; sed hæc contradictoria sequuntur ex præcipientibus formalitèr: ergo, &c.

Respondeant profe, & erit nostra respon-
sio.



SECUNDA CONCLUSIO:

20 **C**ONCEPTUS *objectivus* *entis realis*, ut sic, præscindit *perfectè*, & *adequatè à Deo*, & *creatura*, *substantia*, & *accidenti*. Est omnium Scotist. cum Doct. in 1. dist. 3. quæst. 2.: & dist. 8. quæst. 3.: contra Thomist. Prob. 1. ex Doct. citato: *intellectus certus de uno conceptu*; & *dubius de diversis, habent unum conceptum objectivum, perfectè*, & *adequatè præcisum à conceptibus illorum plurium, de quibus est dubius*; sed intellectus potest esse certus de aliquo, quod sit ens, & dubitare: an sit Deus, vel creatura: substantia, vel accidens: g. intellectus habebit conceptum objectivum *entis realis, perfectè*, & *adequatè præcisum à suis inferioribus*. Maxima Doct. constat; quia implicat, quod idem conceptus sit simul certus, & dubius; cum certitudo, & dubietas distinguant essentialitèr ærum.

21 Prob. min. ex ipso Doct.: primò; quia Philosophi Gentiles erant certi de eo, quod motor Cœli erat ens: dubitabant tamen: an Deus, vel creatura; substantia, vel accidens. Secundò: aliqui Philoso-

phi antiqui dicebant, ignem esse primum principium: alij aquam; sed tam hi, quam illi erant certi, quod illud, quod statuebant pro primo principio, erat ens, dubitabant tamen: an ens creatum, vel increatum: ergò, &c. Mai. est Philosophi 1. Metaphysic. Prob. min.: illi Philosophi dubitabant: an ignis esset primum ens: vel non: ergò dubitabant: an esset ens creatum, vel increatum. Prob. antec.: si illi philosophi certò scirent, quod ignis esset primum ens; essent certi de aliquo falso; sed hoc est falsum; quia, ut subdit Doctor *falsum non est scibile*: ergò, &c. Deindè: non erant certi, quod ignis non erat primum ens; alias non dixerent oppositum, scilicet, quod aqua erat primum ens: ergò erant dubij circa hoc: ergò habebant unum conceptum certum, adæquatè distinctum ab illis conceptibus, de quibus erant dubij,

non dicit conceptum objectivum perfectè, & adæquatè distinctum à conceptibus istius, & illius Petri in particulari: ergò falsa est Maxima Scoti. Secundò: ponantur in sacco canis terrestris, & canis marinus: & unus illorum moveat sacco: sum certus; quod canis movet: dubito tamen: an terrestris, vel marinus; sed hoc nomen *canis* non dicit conceptum perfectè præcisum ab utroque cane; cum sic nomen æquivocum: ergò, &c. Terriò: sum certus, quod objectum Logicæ est ens; dubito tamen: an ens reale, vel rationis; sed ab ente reali & rationis non datur conceptus perfectè præcisus: ergò, &c. Tandem: sum certus, quod aliquid sit animal: & dubito, an rationale, vel irrationale; sed animal non dicit conceptum objectivum, perfectè præcisum ab istis differentijs: ergò idem, quod priùs.

22 Respondent Contrarij, Maximam Scoti non tenerere. Impugnant ipsam primò sic: ponantur in loco obscuro tres homines; quorum quilibet vocetur Petrus; & unus illorum me, ibi existentem, baculo percutiat: tunc sum certus, quod Petrus me percutit, sed dubito, quis illorum in particulari; sed hoc nomen *Petrus*

23 Masfrus Disp. 2. Metaphysic. quæst. 1. num. 7., & 8. varias Scotist. responsiones ad instantias Thom. refert & impugnat. Ipse verò ait, quod maxima Scoti loquitur de conceptu formali, non de objectivo; instantiæ autem solum istud impugnant. Sed venia Masfrij: instantiæ Thomist., si impugnant procedunt etiam contra
con-

conceptum formalem : ergò non tenet responsio Mastrij. Probat. antec. : ex unitate conceptus formalis probant Scotistæ , inter quos Mastrius , unitatem conceptus objectivi , & ex diversitate conceptus formalis diversitatem conceptus objectivi : ergò quodcumque impugnat conceptum obiectivû , impugnat paritèr conceptum formalem. Consequenter patet ; quia quod impugnat consequens , necessariò connexum cum antecedenti , impugnat etiam antec. Antecedens est clarum ; nam conceptus formalis est cognitio rei ; sed implicat cognitionem non esse alicujus unius rei cognitæ : ergò , &c.

24 Resp. ergò distinguendo mai. primæ instantiæ : Ponantur , &c. : tunc sum certus per conceptum non ultimum , quod Petrus me percussit , conc. mai. : per conceptum ultimum , nego mai. , & distinguo min. : sed hoc nomen *Petrus* non importat conceptum communem , & ultimum istius , & illius Petri , conc. min. : conceptum non ultimum , nego min. , & consequ. Eisdem terminis responderetur ad secundam , & tertiam instantiam. Conceptus ergò ex dictis in Summulis , alius est ultimus , & est , qui formatur de re significata per terminum , vel per vocem : alius non ultimus , qui formatur de termi-

no , vel de voce , significante rem. Quare in prædictis casibus tantum habeo conceptum non ultimum , de quo sum certus ; sed maneo dubius de conceptibus ultimatis , in quo nulla est repugnantia. Propositio Doct. procedit de conceptu ultimo : & sic intellectus , certus de uno conceptu ultimo , & dubius de diversis , habet unum conceptum ultimum de illo , de quo habet certitudinem , omnino distinctum ab illis , de quibus est dubius. Ad ultimam , nego absolutè mai.

25 Prob. 2. Conclusio : conceptus objectivus entis realis ut sic perfectè præscindit à suis inferioribus , si excludit à sua ratione formali omnia , & singula inferiora ; sed ita est : ergò &c. Prob. min. : hæc prædicatio : *Deus est ens* , est vera ; sed ejus prædicatum non posset cum veritate prædicari de Deo , si conceptus objectivus entis non excluderet à sua ratione formali omnia inferiora ; ergò excludit. Prob. min. : prædicatum , quod includit in sua ratione formali aliquid repugnans subjecto , non potest cum veritate prædicari de ipso ; sed si prædicatum istius propositionis : *Deus est ens* non excluderet à sua ratione formali omnia inferiora , includeret sic aliquid repugnans subjecto ipsius : ergò , &c. Maior est

est per se nota. Prob. min.: tam creatura, quam accidens sunt prædicata repugnantia huic subjecto *Deus*, ut de se constat; sed ens, juxta Contrarios, non excludit, immò includit in sua ratione formali omnia inferiora scilicet, *Deum*, & creaturam, substantiam, & accidens ergò si prædicatum, &c.

26 Confirm., & explicatur hæc ratio: quando aliquid repugnat alicui ex una ratione formali, & ipsi ex alia non repugnat, tunc una ratio est omnino distincta ab altera; sed plura repugnant inferioribus entis ex suis rationibus proprijs, quæ ipsis non repugnant ex ratione formali entis: ergò ratio formalis objectiva entis perfectè præscindit à rationibus proprijs inferiorum. Maior constat, quia nihil potest alicui convenire, & repugnare secundum eandem rationem formalem. Prob. min.: creaturæ, ex sua ratione formali, repugnat infinitas: *Deo* finitas; sed non ratione formali entis; cum; tam *Deus*, quam creatura sit ens: ergò ex ratione propria; & consequenter ratio communis est distincta à propria.

27 Omnes ferè Thomistæ unicam evasionem excogitarunt pro hac ratione solvenda. Dicunt enim, quod ens, ut

potè prædicatum transcendentale, essentialitèr imbitur in omnibus suis inferioribus; proptereaque ens actu implicito continet omnia inferiora; estque de essentia ipsorum; sicut & inferiora de essentia entis. Quare non datur, inquit, conceptus entis, quantumcumque abstractus in quo omnia inferiora non reluceant, saltim implicitè. Undè mai. prob. sic distinguunt: ens ut sic præscindit à suis inferioribus *quoad explicitum*, concedunt, *quoad explicitum, & implicitum simul*, negant mai. Istà secundam præcisionem requirunt, ut ens perfectè præscindat. Hæc in summa est eorum responsio. Sed

28 Impugnatur primò (præscindendo ab eo, quod prima eorum propositio sit absolute falsa; quia, ut infra videbimus, ens non includitur essentialitèr in ultimis differentijs, modis intrinsecis, & passionibus). Impugnatur ergò primò sic ex Mast. Disp. 2. Metaph. quæst. 1. num. 20.: quod ens in suo conceptu includat implicitè sua inferiora, est, absolute non includere illa: ergò ens in suo conceptu objectivo perfectè præscindit à suis inferioribus. Pro antec.: ens in suo conceptu objectivo non includit nisi id, quod per conceptum formalem attingitur, & manifestat.

tatur; sed conceptus formalis entis ut sic, non attingit, nec manifestat omnia inferiora entis: ergo, &c.

29 Prob. min. ex eodem Mast. citato, quæst. 3. num. 54.: si conceptus formalis entis, attingeret omnia sua inferiora, vel attingeret omnia conjunctivè, vel disjunctivè, vel attingeret immediatè aliquod individuum entis in particulari, & reliqua per attributionem ad ipsum; sed quodlibet est falsum: ergo, Prob. min.: si attingeret omnia inferiora conjunctivè, istæ propositiones: *Deus est ens: creatura est ens*; essent falsæ; sed hoc non: ergo quia non attingit sua inferiora conjunctivè. Prob. min.: istæ propositiones: *Deus est Deus, & creatura: creatura est creatura, & Deus*; sunt falsæ; sed, si ens significaret conjunctivè omnia inferiora, primæ propositiones facerent hunc sensum: *Deus est Deus, & creatura: creatura ens creatura, & Deus*; ut intuenti patebit: ergo. Quod non significet disjunctivè, probat.; quia tunc propositio: *Deus est ens*, redderet hunc sensum: *Deus est Deus, vel creatura: substantia, vel accidens*; quod est absurdum. Quod tandem non significet immediatè aliquod unum in particulari, & reliqua per attributionem ad ipsum

constat; alioquin hæc propositio: *creatura est ens*, faceret hunc sensum: *creatura est Deus, ad quem omnia attribuuntur*; sed falsitas istius propositionis ad oculum patet: ergo, &c.

30 Impugnatur 2.: continentia implicita inferiorum in ente, non tollit, quod hoc perfectè præscindat ab inferioribus: ergo nulla est solutio. Probatur antec.: hæc continentia implicita, vel ita intelligitur, quod ens simpliciter, & virtualiter contineat inferiora, eo modo, quo causa effectum: vel ita, quod contineat inferiora eo modo, quo totum potentiale continet suas species? Primum est falsum; si secundum; sequitur nostrum intentum: ergo non tenet responsio. Minor quoad prim. part. prob.: quod continet virtualiter aliud continentia primi generis, habet sufficientem virtutem ad ipsum effectivè producendum; sed implicat, juxta omnes, quod ens aut aliquid superius effectivè producat sua inferiora: ergo ens, non continet, &c. Maior constat; quia continentia virtualis, propriè sumpta, spectat ad genus causæ efficientis.

31 Prob. eadem min. quoad secundam partem: quod ens contineat sua inferiora eo modo, quo animal suas species, probat conceptum entis præ-

cindere perfectè: ergò, &c. Probat. antec.: ratio animalis objectivè concepta perfectè præscindit à suis speciebus: ergò & si ens, &c. Prob. consequ. ideò, juxta Thomist., ratio animalis perfectè præscindit à suis inferioribus, quamvis ea contineat, quia intellectus clarè, & distinctè potest concipere ipsam, quin sic concipiat sua inferiora, licèt ista concipiat implicitè, & confusè; sed hoc eodem modo potest concipere rationem entis, quin clarè, & distinctè concipiat sua inferiora, licèt ista implicitè, & confusè cognoscantur: ergò, vel animal non dicit talem conceptum, quod est contra Thomistas: vel ens ipsum dicit. Urgetur: ratio animalis juxta Thomist., non distinguitur ex natura rei à suis inferioribus; sed cum hoc componitur, quod dicat conceptum objectivum, perfectè præcissum ab ipsis: ergò dato, & non concessio, quod ens non distinguitur formalitèr à suis inferioribus, adhuc dicet talem conceptum.

32 Aliqui Thomistæ cum Joanne à Sacto Thoma q. 14. art. 2., respondent negando, quod ens contineat sua inferiora virtualitèr, neque potentialitèr eo modo, quo animal suas species; quia sic nostræ impugnationes valdè urgent. Et

si inquiritur: quæ continentia sit, qua ens continet inferiora: aut quomodò vocanda sic? Respondent, quod est *continentia implicita in actu confusso*; quæ dicit omnia inferiora sine determinatione alicuius in particulari sed pro una comprehenduntur. Sanè hæc solutio multum confussionis habet. Impugnatur sic: conceptus formalis entis aliquid explicare debet; aliàs daretur intellectio sine intelligibili; sed non explicat rationes particulares inferiorum: ergò explicat aliquod prædicatum commune, clarè & distinctè cognitum, in quo inferiora implicitè; & potentialitèr continentur. Min. patet: quia implicat, plura entia inter se confundi, secundum illas rationes, penès quas ab invicem distinguuntur.

33 Nunc sic; sed ista confusio implicita, in qua inferiora in confusio coadunantur, non est actualis, sed potentialis: ergò illa continentia actualis implicita, sive in confusso, est mera confusio terminorum, & prorsus fictitia. Adde, quod si valeret solutio contrariorum, probaret contra ipsos, gradum genericum non præscindere perfectè à suis speciebus; quia hæc doctrina æquè bene potest applicari gradui generico, respectu specierum, ac gradui transcendentali, respectu superiorum

rum inferiorum. Aliæ rationes probativæ adducuntur quæst. sequentibus; quare modo omituntur:

Solvuntur Argumenta.

34 **A**RGUITUR I. : si daretur conceptus objectivus entis, præcisus perfectè ab inferioribus, talis conceptus esset absolutus, vel respectivus, vel ab utroque præscindens; sed neutram horum dici potest: ergò non datur talis conceptus. *Prob. min.*: in primis non est absolutus, nec respectivus; quia si esset absolutus, non conveniret entibus respectivis, & si respectivus, non conveniret absolutis; sed aliàs nequit esse ab utroque præscindens: ergò, &c. *Prob. min.*: non datur medium præscindens ab extremis contradictorijs; sed absolutum, & respectivum sunt talia: ergò. *Prob. min.*: esse ad se; & non esse ad se sunt contradictoria; sed absolutum est ad se, & respectivum non est ad se, sed ad aliud: ergò, &c.

35 Hoc argumentum, quod est N. Aureoli, probat contra argumentum primo, non dari conceptum formalem entis;

quæ iste, vel esset absolutus, vel respectivus, vel utroque præscindens, ut in argumento. Secundò probat contra omnes, non dari conceptum objectivum alicujus generis, perfectè præscidentem à suis speciebus; nam de substantia inquiri: ejus conceptus, vel est corporeus, vel incorporeus, vel ab utroque præscindens? Non primum; aliàs non conveniret entibus incorporeis ut Angelo: neque secundum; alioquin non conveniret entibus corporeis, ut homine: neque tertium; quia inter contradictoria non datur medium; corporeum autem, & incorporeum sunt contradictoria. Idem argumentum fit de reliquis generibus intermedijs, usque ad animal inclusive.

36 *Resp.* ergò directè concessa maiori quoad ultimam partem, negando min. probationis, & etiam minorem probationem. Ratio est; quia absolutum, & respectivum, licet inferant contradictoria, tamen non opponuntur contradictoriè; nam sunt duo extrema positiva. Ad contradictionem autem, ex dictis in Summulis, requiritur affirmatio, & negatio ejusdem, de eodem, secundum idem, quod non convenit extremis positivis. Absolutum ergò, & respectivum opponuntur illo oppositionis genere, quo inter se opponuntur differentiæ specificæ, aliquod commune genus

condividentes, ut sunt rationale, & irrationale, respectu animalis. Undè, sicut animal secundum suum esse objectivum præscindit à rationali, & irrationali, sic ens objectivè sumptum, præscindit à absoluto, & respectivo, ita quod neutrum sit formalitèr, & positivè; utriusque verò permissivè.

37. Arguitur 2. : si daretur conceptus objectivus entis præscindeus perfectè, decem prædicamenta non essent primò diversa; sed hoc est falsum: ergò &c. Prob. mai. : tunc casus converent in ratione communi entis : ergò &c. Resp. negando mai. : & consequentiam probationis. Decem ergò prædicamenta dicuntur *primo diversa*, non quia non conveniunt in ratione superiori, & ipsis communi; sed quia ad ipsa, tamquam ad decem suprema capita in suis respectivè coordinationibus, redduntur omnia, quæ continentur intra ambitum entis realis finiti. Dicuntur ergò *primo diversa*, quatenus in linea substantiæ v. g. incipit prima diversitas generis substantiæ; ita ut omnia collocabilia in hoc prædicamento distinguantur per substantiam, à collocatis in prædicamento quantitatis: & quæ in isto à reliquis prædicamentis per quantitatem distinguantur.

38. Arguitur 3. : prædicatum perfectè præcisum, non

manet inclusum in inferioribus sed ens quantumcumque præscindat, semper manet inclusum in inferioribus: g. nno præscindit perfectè. Prob. min. : quantumcumque ens præscindat, semper manent inferiora cum aliquo *esse*; sed esse, & ens sunt idem: ergò, &c. Confirm. : facta quavis abstractione entis, vel inferiora manent formalitèr entia, vel non? Si primum: ergò quantumcumque præscindat ens, adhuc manet inclusum in inferioribus. Si secundum: ergò ens descendit ad sua inferiora per purum nihil. Prob. hæc conseq. : inter esse formalitèr ens, & nihil non datur medium: ergò, vel inferiora entis manent formalitèr entia: vel ratio entis contrahitur ad ipsa per nihil; quod est impossibile. Hoc argumentum est Achilles Thom.

39. Resp. distinguendo mai. : prædicatum præcisum perfectè non manet formalitèr inclusum in inferioribus, conced. mai. : non manet inclusum realitèr, & identicè, nego maiorem. Et distingo min. : sed ens, quantumcumque præscindat, semper manet inclusum in inferioribus, realitèr, & identicè, conced. min. : præcisè formalitèr, nego minorem. Ad probat. distingo mai. : quantumcumque, &c., semper manent cum aliquo *esse reali, aut formali*, conced. mai. : cum *esse formali* præcisè, sub-

dis-

distinguo: si inferiora sunt genera, vel species, conc. mai.: si sunt differentia ultimæ, passionis, aut modi intrinseci, nego mai. Ad confirm. dico, quod non omnia inferiora entis manent formaliter entia, ut dicemus quæst. 8. hujus; sed ex hoc non infertur, quod ens descendat ad inferiora per purum nihil; nam descendit per id, quod est ens identicè, & realitèr, quod est medium inter ens formalitèr, & purum nihil.

40 Alia argumenta ex varijs sequelis præcisionis perfectæ entis ab inferioribus, possent hic proponi. Primò sequeretur, ens esse univocum Deo, & creaturæ: secundò, dari in Deo compositionem ex actu, & potentia: tertio, dari aliquid prius, & simplicius Deo: quartò, reperiri in Deo aliquid contingens, & participatum: quinto tandem, Deum, & creaturam non distare infinite, nec esse primò diversa. Sed quia de his omnibus singillatim agendum est quæstionibus sequentibus; ideò ab his modo susperfedemus. Sit

ergò

¶¶¶

¶¶¶

¶¶¶

¶

QUÆST. IV.

An conceptus iste objectivus entis realis, ut sic, sit formalitèr ex natura rei distinctus à suis inferioribus?

DIFFICULTAS hæc purè domestica est; nam apud negantes distinctionem formalem Scoticam, locum non habet. Pro cuius resolutione notate 1., quod, quamvis ex dictis notabili 2. quæst. antec., inferiora entis, de quibus in præsentia, sint Deus, & creatura; substantia, & accidens; his tamén præsens inter Scotistas non est de Substantia, & accidenti; nam nullus Scotist. negabit, ens formalitèr præscindere ex natura rei à substantia, & accidenti; tum, quia ens per veras differentias utriusque est verè contrahibile; cum illisque facit compositionem Metaphysicam: tum, quia ens finitum obtinet rationem generis, respectu substantiæ, & accidentis: tum tandem, quia in substantia finita, & accidenti non militant rationes, quæ præcisionem entis ex natura rei Deo; & creaturæ, valde difficilem reddunt.

2. Notate 2. ex Doct. in 1. diff. 8. quæst. 3. §. *Ad primum argumentum*, & *Respondeo*, quod res dupliciter potest intelligi: primo, quoad suam quidditatem, hoc est, præcisè quoad sua prædicata essentialia, quæ ipsi conveniunt in primo modo dicendi per se. Secundo, nedum quoad sua prædicata quidditativa, & essentialia, sed etiam quoad perfectionem gradualem convenientem tali rei in tanto, vel tanto gradu. Quoad res intelligitur primo modo, conceptus, habitus de ipsa, dicitur perfectus *quidditative*, & *essentialiter*; imperfectus tamen *gradualiter*. Quando autem intelligitur secundo modo, tunc conceptus talis rei est perfectus, tam *quidditative*, quam *gradualiter*. Exemplum apponit Doct. in albedine. non est aliud nisi tantum

3. Concipiatur ergo albedo, præcisè, ut albedo est: tunc conceptus albedinis, licet sit perfectus quidditative, & essentialiter, quia concipiuntur prædicata quidditativa ipsius, est tamè imperfectus gradualiter, quia non concipitur sub tot gradibus albedinis. Si verò sub ipsis concipiatur, tunc talis conceptus erit perfectus, tam quidditative, quam gradualiter. Ad præsens ergo: conceptus objectivus entis, sine finitate, aut infinitate, quæ sunt ejus gradus, & modi intrinseci, dicitur perfec-

tus *quidditative*, imperfectus autem *gradualiter*. Notentur hæc bene. Quibus notatis, genuinus sensus difficultatis est: an sicut animal v.g., dicit conceptum objectivum, perfectè præcisum, & ex natura rei distinctum à suis inferioribus: ita conceptus objectivus entis, (qui juxta omnes Scotistas perfectè præscindit à Deo, & creatura) sit formaliter ex natura rei ab ipsis distinctus? Hic enim est Scopus difficultatis: in quaquæ acriter divisa est Acies Scotistarum.

4. Noster Magistrus Disput. 2. Metaphys. quæst. 4. adeò strenuè pro parte negativa dimicat, ut num. 66. promittat, se demonstraturum, sententiam affirmativam est erroneam, à mentequæ Doct; omnino alienam. Pro suis Vexillis adducit Prestantissimos Scotistas, Tatarum, Vallonium, Smising, Liqueium, Bargium, & alios. Huic sententiæ novissimè adhærent Discipuli Villac, Mexia, & Doct. Salmantinus Gonzalez, quamvis iste oppositam etiam probabilem censeat in Nost. Schola. Pro parte affirmativa militat etiam nobilis pars (ne dicam cum aliquibus nobilior) Scotistarum, ut Antonius Andreas, Canonicus, Bonetus, Meuriza, Faber, Merinerus, Columbus, Pontius, & novissimè Dupasquier. Et aliqui ex istis ab Execitru

circa Mastrij tollunt Liqueum in suo commentario Lib. vii. dist. 8. quæst. 3. Et sic alios. 5 Sed quidquid sit de hoc, ingenuè fateor, quod anceps per multos dies permansi sub quo Vexillo militarem. Fateor sanè, utramque part. *pro*, & *contra*, citare N. Magistrum, abundèque satisfacere argumentis ex ejus Authoritatibus deductis. Quarè, stando communi regulæ Philosophorum, problematicus debebam esse. Sed quia re benè inspecta, video, quod pars negativa communiter defenditur ab Authoribus nuperime prælo datis, & qui communiter præ manibus habentur in quibusque Tyrones arma parata habent pro ipsa tuenda, ideò, ne omninò inermes maneant pro tenuitate mearum virium suscepi: relicta parte negativa in sua vera probabilitate.

CONCLUSIO:

6 **C**ONCEPTUS *ob*jectivus *entis* *realis*, *ut* *sic*, *formaliter* *ex* *natura* *rei* *dist*inguitur à *Deo*, & *creatura*: seu quod idem est: *datur* *una* *com*munis *realitas* *entis*, *in* *qua* *Deus*, & *creatura* à *parte* *rei* *con*veniunt. Est juxta Secundam sententiam, & non aliena à men-

te Doct.; ut de cursu quæst. videbimus; quidquid in contra dicat Mastrius. Prob. 1. ratione: implicat, aliqua plura secundum eandem omninò rationem à parte rei rei simul convenire, & differre; sed Deus, & creatura conveniunt à parte rei in ratione formali entis, & differunt in rationibus proprijs: ergò ratio formalis entis, in qua Deus, & creatura à parte rei conveniunt, distinguitur ex natura rei rationibus proprijs, quibus à parte rei differunt: & sic ratio formalis entis distinguitur ex natura rei à rationibus particularibus Dei, & creature. Mai. est Aristot. 3. Metaphys. ubi ait, *quod similitudo, & convenientia fundantur super unitatem: distinctio verò, & diversitas super multitudinem.* Mastrius numer. 87. respondet; quod, licet aliqua plura, nequeant à parte rei *actu*, & *formaliter* convenire: & simul *actu*, & *formaliter* differre, secundum eandem omninò rationem, eodem modo sumptam: non tamen est inconveniens, quod secundum eandem rationem *fundamentaliter*, seu *virtualiter* conveniant, & *actu*, & *formaliter* differant. Undè Deus, & creatura, inquit Mast., secundum idem à parte rei conveniunt, & differunt; sed non eodem modo; nam differunt *actu*, & *formaliter*, &

conveniunt *virtualiter*, sive *fundamentaliter*. Hæc solutio Mastrij, si tenet, valdè debilitat distinctionem formalem. Quare

8 Impugnatur 1.: Deus & creatura à parte rei in ratione formali entis conveniunt eo modo, quo homo, & equus cōveniunt in ratione formali animalis; sed isti conveniunt in tali ratione à parte rei actu, & formalitèr: ergò & Deus, & creatura in ratione formali entis. Minor est Mastrij, & omnium Scotist., admittentium distinctionem formalem inter animalitatem, & rationalitatem hominis. Prob. maior: ideò juxta Mast., Deus, & creatura non convenirent à parte rei in ratione entis, eo modo, quo homo, & equus in ratione animalis; quia convenientia istorum est actualis, & positiva: convenientia autem & similitudo Dei, & creaturæ in ratione entis est solum virtualis; sed vel similitudo Dei, & creaturæ in ratione entis est actualis, & positiva: vel non est talis similitudo hominis, & equi in ratione animalis: ergò, &c. Maior est solutio Mastrij hic num. 88.

9 Prob. min.: ideò convenientia inter hominem, & equum est actualis; quia nullo cogitante intellectu, actu, & positivè conveniunt in ratione sentiendi; sed, nullo cogitante

intellectu, Deus, & creatura conveniunt in ratione entis: ergò vel, &c. Maior est omnium Scotist. Prob. min., nullo cogitante intellectu, hæ prædicationes: *Deus est ens: creatura est ens*, sunt veræ, & formales, & superioris de suo inferiori; sed quando aliquid superius verè, & formalitèr prædicatur de suis inferioribus, inferiora, nullo cogitante intellectu, actu, & positivè conveniunt in illo prædicato superiori: ergò, &c. Maior conitat: alioquin, dum dicitur: *Deus est ens*, prædicatum non latius pateret, quam subjectum: & sic creatura non esset ens; quod est absurdum. Minor patet in omnibus naturis communibus, quæ de suis inferioribus prædicantur.

10 Respondet Mastrij num. 88., quod non est par ratio de naturis communibus, ac de natura entis, respectu suorum inferiorum. Disparitas est; quia homo & equus v.g., non sunt primò diversa in realitate: & sic fundant similitudinem actualem, & positivam à parte rei. Deus verò, & creatura sunt primò diversa in realitate, juxta Doct., infra citandum in argumentis; ideòque non fundant similitudinem actualem, sed solum fundamentalem, & virtualem. Hæc est disparitas Mastrij. Sed de ipsa expressè agemus in solutione argumentorum. Pro nunc

nunc solum noto, quod Mast., tam in ista, quam in prima solutione, duo facit, quæ nobis non placent: primum administrare arma Thomistis, ut distinctionem formalem Scoticam absolute infringant: secundum, committere circulum in suis responsionibus.

11 Primum sic ostendo: ideo probamus distinctionem formalem contra Thomist. inter animalitatem, & rationalitatem in homine; quia homo per animalitatem convenit cum equo, non vero per rationalitatem: sed quis non videt, quod, si vera est solutio Mastrij; poterunt faciliter respondere Thomistæ, quod homo per animalitatem convenit fundamentaliter, & virtualiter cum equo, non vero actu, & formaliter: ergo Mast. sua solutione præbet arma Thomistis ad argumentum Scoticum solvendum, seu ut fert axioma, ut *sagittam in sagittarium convertant.*

12 Quod Mastrius in sua solutione petat principium, sic ostenditur: Inquiro: cur homo, & equus non sunt primo diversa in ratione animalis; bene vero Deus, & creatura in ratione entis? Respondet Mastrius, quia similitudo inter illa est positiva, & actualis, non vero inter ista in ratione entis. Quæro iterum: cur illa similitudo est positiva, & actualis; non

verò hæc? Respondet; quia homo, & equus habent convenientiam actualem à parte reit: Deus autem, & creatura solum habent convenientiam fundamentalem. Sed, si quæretur ratio hujus convenientiæ? Dicit Mast.; quia homo, & equus non sunt primo diversa in ratione animalis; bene vero Deus, & creatura, in ratione entis. En ergo circulum, in quo Mast. petit principium.

13 Noster Meurise impugnat responsionem Mast., à se prævisam, sic: quamvis Deus & creatura solum imperfectè, & fundamentaliter conveniant in ratione entis, si actu, & formaliter differunt, ens distinguitur formaliter ab inferioribus: ergo non tenet responsio. Prob. antec.: quando aliqua plura simul conveniunt, licet imperfectè, differunt tamen perfectè, non habent, convenire, ab eo, à quo habent, formaliter differre; sed istæ rationes formaliter distinguuntur: ergo licet, &c. Prob. antec.: homo, & planta imperfectè conveniunt, & perfectè differunt; quia conveniunt imperfectè in gradu viventis, & perfectè differunt in gradibus discursivi; sed non habent, convenire imperfectè ab illo, per quod perfectè differunt: ergo &c.

14 Prob. 2. Conclus.; ratio entis distinguitur ex natu-

ra rei distinctam à Deo. Consequentia est bona. Prob. antec. si ratio entis non distingueretur sic à Deitate Deus, eo esset Deus, quo est ens; sed hoc est falsum: ergò ratio entis, &c. Maiorem tenetur concedere Mast. Prob. min.: si Deus, eo esset Deus, quo ens; Deus esset formalitèr quælibet creatura; quia quælibet creatura est formalitèr ens; sed hoc est absurdum: ergò, &c. Confirm. 1.: si ratio entis creati non distingueretur ex natura rei à ratione entis simpliciter, sicut de Deo ex natura rei dicitur, quod sit ens simpliciter, ita de ipso diceretur, quod sit ens creatum; sed hoc est dissonum rationi: ergò quia ratio entis distinguitur formalitèr, &c.

15 Confirm. 2.: si Deus eo esset Deus, quo est ens, quid quid Deo repugnat sub ratione Deitatis, ipsi repugnet sub ratione entis (idem dic de creatura); sed hoc est apertè falsum: ergò, &c. Maior constat; quia implicat, aliquid repugnare alicui secundum unam rationem formalem, & ipsi non repugnare secundum eandem. Prob. minor: si maior esset vera, sequeretur, quod, sicut Deo sub ratione Deitatis repugnat finitas, ita quoque ipsi repugnet sub ratione entis; sed hoc est falsum, alioquin creaturæ repugnet finitas; cum ipsa sit

formalitèr ens: ergò si Deus, &c. Idem dic de creatura; nam isti, ut est creatura repugnat infinitas; sed non in quantum est ens; aliàs Deo, qui est formalitèr ens, repugnet infinitas: ergò quia ratio formalis entis distinguitur ex natura rei à rationibus particularibus. Mastrius num. 90. vocat hoc argumentum, non minus evidens, quam molestum.

16 Prob. 3. Conclusio: conceptui reali objectivo necessariò correspondet aliqua realitas objectiva; nam conceptus objectivus est ipsamet res objecta intellectui; sed conceptus objectivus entis, communis Deo, & creaturæ, est realis: ergò ipsi correspondet aliqua realitas communis. Prob. min.: si iste conceptus non esset realis necessariò esset rationis; cum non detur medium; sed implicat, quod sit rationis: ergò est realis. Prob. minor: implicat, quod aliquid rationis prædicetur quidditative, & essentialitèr, aut sit de quidditate Dei, & creaturæ; aliàs Deus, & creatura essent entia rationis; sed ille conceptus objectivus entis prædicatur quidditative, & essentialitèr de Deo, & creatura; estque de quidditate ipsorum, ut nemo negat: ergo, &c.

17 Respondent 1. Dilect. Villac. ex doctrina Mast. instando argumentum; istæ præ-

dicaciones: *Petrus est individuunt: Paulus est individuum: Petreitas est ultima differentia: Pauleitas est ultima differentia*, sunt quidditativæ, non minus, ab istæ: *Deus est ens: creatura est ens*; sed hoc non obstante, nec ratio communis individui; nec ratio communis ultimæ differentiæ important aliquam realitatem communem à parte rei: ergò idem dicendum est de secundis prædicationibus, etsi sint quidditativæ. Solvant hunc nodum, inquirunt Discalciati, & solve-mus suum argumentum. Facile sovitur, negando mai., & suppositum minoris; quia, ut suo loco videbimus, non datur ratio communis individui ut sic, ab omnibus individuis abstracta; nec ratio communis ultimæ differentiæ, abstracta ab omnibus differentijs ultimis. En nodus solutus, & insolutum argumentum.

18 Respondent 2. directè negando min. Ad probationem distinguunt minorem: sed implicat, quod sit rationis ex parte rationis quæ, concedunt minorem: ex parte rationis sub qua negant minorem: & sic distinguunt min. probationis. Volunt dicere, quod, licet ratio quæ prædicatur, sit quid reale; tamen ratio sub qua prædicatur, est formalitèr ens rationis. Nec mirum, subdunt, ut ens rationis se habeat ut ratio sub qua ad

prædicationem entis realis; nam quando homo prædicatur de Petro, unum necessariò constituitur subjectum, & & aliud prædicatum: quæ denominationes sunt quid rationis, necessariæ ramen, ad cognoscendam identitatem inter extrema realia, & ad unum de alio prædicandum. Sic ad litteram Discalc. prope finem questionis.

19 Sed contra: nos non negamus, denominationes subjecti, & prædicati esse secundas intentiones, & entia rationis. Sed modo sic argumentor: ergò, sicut ratio formalis quæ, quæ in istis prædicationibus: *Petrus est homo, Paulus est homo*, prædicatur, est realis, licet ratio formalis sub qua sit formalitèr ens rationis, ita similiter, & in istis: *Deus est ens: creatura est ens*. Inferò amplius: ergò sicut prædicatum primarum propositionem importat realitatem communem, ex natura rei distinctam à Petro, & Paulo, non obstante, quod ratio formalis sub qua sit formalitèr ens rationis; ita & prædicatum istarum: *Deus est ens: creatura est ens*, dicet talem realitatem: vel si hoc prædicatum ens eam non dicit; quia ratio formalis, sub qua prædicatur, est ens rationis; proptèr eandem rationem hoc prædicatum homo eam non importabit; quorum utrumque est contra ipsos.

20 Prob. 4. conclusio ex Doct. dist. 8. quæst. 4. num. 17. , ubi probat, distinctionem ex natura rei inter sapientiam, & bonitatem divinam sic : sapientia infinita non est formalitèr bonitas infinita : ergò, &c. Probat. antec. : si sapientia infinita esset formalitèr bonitas infinita etiam sapientia in communi, esset bonitas in communi, sed hoc est falsum : ergò, &c. Prob. sequela mai. : infinitas non destruit rationem formalem illius, cui additur : ergò, si sapientia infinita, &c. , ergo, sicut sapientia in communi non est formalitèr bonitas in communi ; ita nec sapientia infinita est formalitèr formalitèr bonitas infinita. Hæc Doct. : ex quo sic argumentor : si ens in substantia est idem formalitèr cum substantia, etiam ens in communi esset formalitèr substantia in communi ; quia conjunctio entis cum substantia, non destruit formalitèr rationem substantiæ ; sed hoc est falsum ; alias substantia in communi esset formalitèr accidens ; quia omne accidens est formalitèr ens : ergò, &c.

21 Mastrius hic num. 104. fatetur hoc argumentum ex Doct. aliquam præferre difficultatem, non tamèn concludere ; quia est dispar ratio de sapientia, & bonitate in communi, ac de ente, & substantia in communi. Disparitas est ;

quia bonitas, & sapientia sunt perfectiones ab invicem disparatæ, quarum neutra includit aliam in suo conceptu formali, nec una alteri sub ordinatur. Ens verò, & substantia sempèr, & pro sempèr se habent, ut superius, & inferius : & unum includit aliud in sua ratione formali. Undè falsum est, concludit, quod ens, & substantia in communi distinguuntur formalitèr. Hæc in summa solutio Mastrij.

22 Contra : ideò, parte, ens & substantia in communi non distinguuntur formalitèr ; quia se habent, tamquam superius, & inferius, & unum includit aliud formalitèr ; sed si hæc ratio probat, probat contra Mast. : ergò. Prob. min. : hæc ratio probat, quod humanitas, & animalitas in homine non distinguuntur formalitèr, quod est contra Mastriam : ergò. Prob. antec. : humanitas : & animalitas in homine se habent tamquam superius, & inferius : & humanitas includit animalitatem in suo conceptu formali, licet non è contra : ergò, si ob hoc negat Mast. distinctionem formalem inter ens, & substantiam in communi ; eam negare debet inter humanitatem, & animalitatem. Si dicat, quod substantia, quæ est inferior, includit ens, & ens includit substantiam ; in hominiverò animalitas non includit humanitatem ; quia datur animal, quod non sit homo.

Contra : sicut datur animal, quod non sit homo, ita datur ens, quod non sit substantia ; nam accidens est ens : ergo ita se includunt, & excludunt ens, & substantia, sicut animalitas, & humanitas.

23 *Discalciati Villac.* pro *Mastrio* dicunt, superiora, & inferiora esse in duplici differentia ; quædam dantur à parte rei, & à parte rei distinguuntur, ut *humanitas*, & *animalitas*, & de istis non intelligitur tur solutio. Alia sunt, quæ non sunt à parte rei, sed dantur per intellectum inadæquatè concipientem eandem formalitatem omnino indistinctam, ut communem pluribus : talis est, inquit, conceptus communis individui, & ultimæ differentiæ ut sic : & de istis intelligenda est solutio *Mastr.* Sed ex dictis n. 17., & ex infra dicendis, reicitur hæc solutio ; quia non datur ullus conceptus communis ultimæ differentiæ, nec individui, abstractus cum fundamento in re ab ipsis, ut suo loco constabit : ergo non tenet solutio.

24 Ideo aliter respondent num. 12. ; distinguendo maiorem nostræ probationis : si ens in substantia esset idem formalitè cum substantia, ens in communi esset formalitè substantia in communi, secundum conceptum adæquatum, à parte rei, concedunt : secundum con-

ceptum inadæquatum, & ut stans ; sub præcisione, negant mai. Et sic distinguunt min., & negant consequ. Contra : ergo ens secundum conceptum adæquatum, & à parte rei, est formalitè, & intransitivè substantia : ergo substantia secundum conceptum suum adæquatum, & à parte rei est formalitè accidens ; quod est absurdum. Probat. hæc consequentia : de substantia secundum suum conceptum adæquatum, & à parte rei verificatur omne id, quod habet conceptum adæquatum entis à parte rei ; sed accidens habet talem conceptum, ut nemo ignorat : ergo juxta Contrarios, &c.

25 Probatur 5. Conclusio ex Doct. in 1. dist. 3. quæst. 3. num. 8., ubi postquam statuit ens reale, ut sic, secundum primitatem communitatis, & virtualitatis pro objecto adæquato nostri intellectus ex natura potentia, sic concludit : *& ita patet, quod ens habet primitatem communitatis ad prima intelligibilia, hoc est, ad conceptus quidditativos generum, specierum, individuum, & partium essentialium omnium istorum, & entis increati : ac habet primitatem virtualitatis ad intelligibilia, inclusa in primis intelligibilibus ; hoc est, ad conceptus, qualificativos differentiarum ultimarum, & passionum propriarum.* Hæc Doct. Nunc sic ; sed im-

plicat, quod ens habeat hanc prioritatem communitatis, & virtualitatis ad omnes istos conceptus, quia ipsum sit quid reale, & realitatem importet: ergo ens, commune Deo, & creaturæ, talem realitatem importat.

26 *Mastrius* num. 103. respondet, hanc, & alias auctoritates Doct. hic innuere quidem, conceptum entis esse reale, non tamen in eo rigore, ut præferat realitatem communem ex natura rei distinctam ab inferioribus. Rationem assignat ex *Trombeta* Tract. formalitatum, art. 2., part. 2. §. *Pro declaratione*, ubi docet, quod conceptus entis est realis, tum, quia abstrahitur immediatè à re; tum, quia non habet esse objectivè in intellectu per actum intelligentem, à quo dependeat in esse, & conservari: tum andem, quia non dependet ab actu collativo intellectus. Hæc *Mast.* ex *Trombeta*. Sed sanè hæc responsio est contra ipsum, quod sic

27 Ostendo: omninò repugnat, aliquid immediatè abstractum à re, non habens esse objectivè in intellectu, à quo dependeat in esse, & conservari, nec dependens ab actu collocativo intellectus, quod non dicat realitatem sibi correspondentem; ita, quod si res est communis, realitas quoque sit communis: & si singularis, singularis; sed ens, quod est com-

mane Deo, & creaturæ, juxta *Mastrium*, immediatè abstrahitur à re, & non habet esse objectivè in intellectu; ita, quod ab ipso dependeat in esse, & conservari nec dependet ab actu collativo intellectus: ergo tale ens importat realitatem, ex natura rei communem: vel dicant, quid sit illud positivum, quod habet suam esse extra intellectum, & non est ens reale?

28 *Probatur tandem Conclusio*: objectum scientiæ realis, & communis importat aliquam realitatem, ex natura rei communem; sed ens est objectum scientiæ realis, & communis: ergo dicit realitatem. Maior constat, quia scientia, & objectum abinvicem proportionantur. Minor constat ex quæst. 1. hujus. *Mastrius* positivè non adducit hanc rationem; sed ex ipso pro ipso respondeo, quod scientiæ realis objectum importat realitatem imperfectam, inadæquatam, seu in confuso conceptam; non verò perfectam & distinctè cognitam. Hac pro solutione toties decanta à *Mastrio*, notate ex dictis notabili 2. hujus; quod si per conceptum perfectum, & imperfectum intelligat id, quod ibi notavimus ex Doct.; nihil sibi faveret sua solutio; quia tunc conceptus entis communis, licet sit

gradualitèr imperfectus, est tamen perfectus quidditati, & essentialitèr, quod est nostrum intentum. Undè.

29. Contra solutionem quomodocumque intellectam, sic arguo: illius quod est objectum Metaphysicè, & etiam nostri intellectus non potest haberi conceptus imperfectus, inadæquatus, & confusus ab intellectu nostro: ergò nulla est solutio. Prob. antec.: ens, ut sic, quod concipitur à nostro intellectu, non potest concipi, nisi distinctè, & adæquatè: ergò de ente, &c. Prob. antec.; quod habet conceptum simpliciter simplicem, non potest concipi, nisi distinctè, & adæquatè; sed ens ut sic habet conceptum simpliciter simplicem: ergò, &c. Maior est Doct. in 1. dist. 3. quæst. 2. num. 34. in fine, ubi ait: *ens autem non potest concipi nisi distinctè, quia habet conceptum simpliciter simplicem*: ergò potest concipi distinctè sine alijs: & alij non, sine eo distinctè concepto. Nihil clarius contra communem responsionem Maffrij, de conceptu inadæquato, imperfecto, & confuso entis transcendentalitèr sumpti.

30. Si quis vellent probare istam conclusionem contra Maff., infringereque ejus responsiones ex ipso, ipsum attentè legat hic quæst. 3., ubi pro suo more, subtilitèr impugnat Tho-

mist., negantes præcisiones perfectas entis, maxime à num. 53. Etiam ipsum legat quæst. 5. hujus Disp. 2., agendo de univocatione entis. Sed quia adductæ probationes, sufficere videntur, nunc gradum facimus ad proponenda, & solvenda argumenta, quæ contra nostram Conclusionem militant; quæque in duas classes dividemus: primò quæ ex littera Doct. adducuntur, adducemus: secundò, quæ à ratione, proponemus.

Solvuntur Argumenta ex littera Doct.

31. ARG. 1. ex Doct. in 1. dist. 8. q. 3. §. *Ad argumenta opinionis oppositæ*; ubi respondens secundo argumento Henrici, quo probat, ens non dici univocè de Deo, & creatura; quia *isti sunt primò diversa*, ait: *Ad secundum patebit in secundo articulo, quod Deus, & creatura non sunt primò diversa in conceptibus, tamen sunt primò diversa in realitate; quia in nulla realitate conveniunt. Et quomodo esse possit conceptus communis sine convenientia in re, vel in realitate? In sequenti dicetur.* Hæc Doct. Sed in his expresse

negat realitatem communem entis Deo, & creaturæ: ergo non datur. Hoc est primum fundamentum Scotistarum.

32 Respondeo explicando Doctorem: tamen sunt primò diversa in realitate *transcendentali*, nego maiorem: in realitate *generica*, & *prædicamentali*; subdistinguo: prout genus prædicamentale defacto dispositum est, conc. mai.: prout aliter potuit disponi, ommitto mai., secundum dicta in Logica, agendo de *Anteprædicamentis*: nego absolutè min., & conseq. Subr. ergò Doct. in dist. 8. quæst. 3. inquit: utrum Deus sit in genere? Et resolvit, quod non; quia daretur in Deo ratio positivè finita (scilicèt genus, ut communiter accipitur), intrinsicè perfectibilis per rationem differentialem contrahentem. Ex quo patet, Doct. ibi loqui de genere, positivè finito, & limitato; non autem de genere transcendentali, ab utroque præscindenti, de quoque infra agemus.

33 Replicat Mast., numer. 97., quod hæc solutio est illusio Scoticæ phrasæ, scilicèt; *Deus, & creatura sunt primò diversa*. Ratio est; quia ubicunque loquitur Doct. *de primò diversis*, non assignat aliam primam diversitatem, nisi, vel penès realitatem tantum, vel penès realitatem, & conceptum si-

mùl: g. distinguere, inquit Mast., de una realitate generica, & potentiali, & alia non generica, sed transcendentali, est illusio propositionis Scoticæ. Videamus nunc: an Mast. & quod magis mirandum est ipsemet S. Doct. explicet tuam phrasem, sicut & non explicuimus.

34 Mast. ergò Disput. 6. Physic. quæst. 2. art. 2. concedit realitatem communem univocam materiæ primæ, & formæ substantiali; sed materia & forma sunt entia primò diversa: ergò jam admittit convenientiam in aliqua realitate, inter ea, quæ sunt primò diversa. Mai. est ipsius citati, ubi admittit talem convenientiam in realitate naturæ, ut natura definitur 2. Physic. Minor est Doct. in 2. dist. 12. quæst. 1. num. 16., ubi ait: *dico, quod sunt* (supplè materia, & forma) *omnino alterius rationis, & primò diversa*: quæ verba Mast. Disp. 2. Physic. quæst. 1. numer. 20. sic explicat: sunt primò diversa; quatenus materia quidditative nihil includit actualitatis formalis: nec forma aliquid potentialitatis subjectivæ. Cur ergò sic non explicat primam diversitatem inter Deum, & creaturam?

35 Audiamus Doct.: in 1. dist. 3. quæst. 3. num. 6. ait: *sicut igitur resolutio entium compositorum stat ultimo ad*
fin-

simpliciter simplicia, scilicet, ad actum ultimum, & potentiam ultimam, quæ sunt primò diversa; ita quod nihil unius includat aliud alterius. Et concludit: ergo isti erunt primò diversi (loquitur de conceptu determinabilis entis, & de conceptu ultimæ differentię determinatis) ita quod unum nihil includit alterius. Ex hac autoritate Doct. infertur, quod aliqua sunt primò diversa; quando nihil proprium unius includitur quidditative in altero. Nunc sic; sed cum prima diversitate stat convenientia actualis in aliqua realitate; nam, juxta omnes, substantia, & accidens conveniunt in realitate; cum nihil proprium substantiæ includatur in accidenti: aut è contra: ergo illa frasis Scotica varias explicationes admittit, quæ ipsam non elidunt, sed explicant. De hoc postea.

36 Arguit. 2. ex Doct. in 1. dist. 3. quæst. 2. numer. 20. in fine, ubi respondens Henrico, assententi, non posse abstrahi à Deo conceptum, communem sibi, & creaturis; quia Deus est singularitas quædam; ait: *respondeo: consequentia non valet; Sortes enim; in quantum Sortes, est singularis; & tamen & Sorte plura possunt abstrahi predicata, ideo singularitas alicujus non impedit, quin ab eo, quod singulare est, possit abstrahi aliquis conceptus communis;*

Et licet quidquid est in re, sit singulare in se in existendo, ita quod nihil contrahat aliud ibi ad singularitatem; tamen illud idem potest concipi, ut hoc in re, vel quodammodo indistincte, & ita, ut singulare, vel ut commune: ergo conceptus communis entis non desumitur ab aliqua realitate communi; contracta per aliud ad singularitatem Dei. Probat. consequ. : non datur realitas communis contrahibilis ad singularitatem alicujus, quando quidquid est in isto in re, est singulare ex se in existendo; sed quidquid est in Deo, est sic singulare: ergo, &c.

37 Resp. 1. concedendo totam autoritatem, & negando consequ. Ad prob., concessa mai., distingo min.: sed quidquid est ibi in re, id est, in Deo, tamquam proprium Dei, est singulare in se in existendo, conc. minor.: tamquam commune sibi, & creaturis, nego min., & consequ. Verum est, quod, quidquid est proprium Dei, est singulare ex se; falsum tamen est, quod illa predicata, communia Deo, & creaturis, ut ratio entis, substantiæ, sapientiæ, bonitatis, &c. sint singularia. Hæc responsio est satis genuina, per quam solvuntur aliæ replicæ.

38 Respondeo 2., concessa author., negando consequentiam. Ad probationem, concessa,

cessa mai., nego min.; quia Doctor non concedit absolute hanc propositionem: *quidquid est ibi in re, est singulare in re in existendo*; ut vult Mastrinus: sed solum ipsam admittit permissivè, ut constat ex illis verbis; quia, *licet quidquid, &c.*, ubi ly *licet* non est affirmare, sed permittere. Et hoc sufficiebat Doct. ad respondendum Henrico, ex cujus antec. non infertur consequ. Mastrij; quia, ut ait Doct., licet antecedens esset verum, tamen illud singulare potest concipi quodam modo indistinctè, & sic, ut commune, præcisivè ab eo, quod tale commune importet realitatem à Deo distinctam, discussio namque hujus difficultatis non attinet ad solutionem argumenti.

39 Undè, si authoritas bene pendatur, est pro nobis & contra Mast., quod sic ostendo: ideò, juxta ipsum non datur talis realitas, Deo, & creaturæ communis; quia omnis realitas Dei est infinita; sed hoc non obstat: ergò, &c. Prob. min.: eodem modo, juxta ipsum Mast., obstat infinitas, ac obstat singularitas, propter identitatem formalem utriusque cum ente; sed juxta Doct., in prælegata authoritate, non obstat singularitas, ut à Sorte abstrahantur plura prædicata communia, in quibus cum Petro

conveniat in realitate communi, ab ipsis ex natura rei distinctas: ergò, &c. Maior est Mastrij. Minor Doct., ut constabit, legenti authoritatem. Consequentia infertur.

40 Arguit. 3. ex eodem Doct. dist. 8. quæst. 3. num. 17. ubi ait: *intentioni generis correspondet propria realitas, non sic alij intentioni communi*: ergò, cum conceptus entis sit communis, & ens non sit genus, infert Mast., conceptui entis non correspondet propria realitas; & consequenter hæc est contra Doct. Resp. 1. negando antec.; quia illa Verba notantur in imagine, *tamquam additio*, & sic non faciunt fidem. Resp. 2., quod non adducuntur à Mastrio cum omni moda fidelitate; nam littera sic se habet: *si intentioni generis, &c.*, ubi non absolute, sed conditionatè loquitur. Sed his solutionibus præmissis, authoritas videtur contra Mast., quod sic

41 Ostendo: *Additio sic incipit: sed hæc ratio probat, quod necesse esse nihil commune habet cum alio, quia illa intentio communis est non necesse esse. Undè respondeo: intentio intellectu non includit, nec necessitatem, nec possibilitatem, sed est indifferens: Illud autem in re, quod correspondet intentioni, in hoc est necesse esse, in illo verò possibile.*

Hæc Doct. : ergò dato , quod illa verba sint Doctoris , juxta ipsum , illud , quod correspondet intentioni , est realitas communis , quæ , juxta verba relata , in Deo est necesse esse ; & in creatura possibile esse , & contingens : ergò datur talis realitas , Deo , & creaturæ communis. Vèl dicat Mast. , quod verba : *illud autem in re* , non sùnt Doctoris , quod ipse negat.

42 Replicat Mastrius ; quod licèt hæc verba noentur pro additione , faciunt tamen autoritatem ; quia infrà confirmantur doctrina Doctoris. Fateor talem additionem sic concludere : *sicut dicitur infra, quando respondebitur ad dubium adductum ad solutionem primi argum. principalis.* Sed hoc liquidò constat , prædictam autoritatem non esse Doctoris , alioquin satis impropriè dixisset , *ad dubium adductum* ; cum tale dubium longe infrà esset adducendum ; nam prædicta verba habentur in Doctore hic num. 17. in fine ; dubium verò habetur num. 27. & 28. Sed videamus , quid in solutione illius dubij habetur ; & apparebit fundamentum Mastrii.

43 Doct. ergò num. citato ait : *respondeo, quod quando intelligitur aliqua realitas cum modo intrinseco suo, ille conceptus non est simpliciter simplex, quin possit concipi illa realitas*

absque modo illo : sed tunc est conceptus imperfectus illius rei : potest etiam concipi sub illo modo, & tunc est conceptus perfectus illius rei. Exemplum : si esset albedo sub decimo gradu, &c. Vide dicta notabili 2. hujus deconceptu perfecto, & imperfecto. Doct. ergò sic profèquitur : requiritur igitur distinctio inter illud , à quo accipitur conceptus communis , & illud , à quo accipitur conceptus proprius ; non ut distinctio realitatis , & realitatis , sed ut distinctio realitatis , & modi proprii, & intrinseci ejusdem. Hæc Doctor. Nunc sic ; sed illud , à quo accipitur conceptus communis , est ens : & illud , à quo accipitur conceptus proprius , est infinitas v.g. : ergò cum , juxta Doct. , distinctio inter utrumque sit distinctio realitatis à suo modo intrinseco , illud ens , à quo accipitur conceptus communis , importat realitatem , ex natura rei distinctam à rationibus propriis.

44 Reponit Mast. hic n. 101. , se non sistere in adductis verbis Doct. , sed in sequentibus immediate ; ait enim : *quæ distinctio sufficit, ad habendum conceptum perfectum, vel imperfectum de eodem, quorum imperfectus sit communis, & perfectus sit proprius.* Hic , ait Mast. , docet Doct. , quod conceptus communes desumitur ab ipsa realitate Dei , præcisè inspecta , & con-

ceptus proprius ab eadem realitate Dei, cum suo modo accepta; non autem, quod conceptus communis desumatur à realitate communi perfecta, & conceptus proprius ab alia realitate particulari contrahente. Sanè hæc explicatio Mastrij videtur imperitina. Primò; quia iste conceptus cum suo modo dicitur perfectus, & sine ipso imperfectus, modo explicato num. 2. hujus, & ut explicatur à Doct. hic: ergò non est ad rem.

45 Impugnatur 2.: juxta Mastrium, Disp. 6. Metaphysic. quæst. 10. num. 204. distinctio Deitatis ab infinitate est ex natura rei, licet imperfecta; quia infinitas non est rigorosè conceptibilis sine formalitate illa, quam afficit; sed implicat in terminis distinctio ex natura rei, (quæcumque illa sit) quin unum saltèm extremorum dicat realitatem à parte rei distinctam ab altero extremo, ut fateri tenetur ipsemet Mast.: ergò juxta ipsum sequitur, quod ratio entitatis, seu Deitatis in Deo dicat realitatem, distinctam à ratione infinitatis, quamvis ex parte hujus non concipiatur perfectè. Undè, ut verum fatear, semper mihi valde difficile visum fuit, reconciliare doctrinas hujus sapientissimi Magistri hic, Disput. 2. quæst. 4. num. 91.; & Disp.

6. quæst. 10. num. 204., alteri facile negotium apparebit.

46 Restat modo adducere alia verba Doct. citati sub num. 28., quæ Mast. tacuit, & sic se habent: *Et si dicas: saltem conceptus communis est indeterminatus, & potentialis ad specialem conceptum, ut realitas à realitate; vel: saltem non erit in finitum & potentiale ad aliquid.* (nota solutio) *Concedo, quod conceptus ille communis Deo & creaturæ, est finitus, hoc est, non est de se infinitus positivè, ita quod de se includat infinitatem; quia, si esset infinitus, non esset communis de se finito, & infinito. Neque est de se finitus positivè, ita quod de se includat finitatem; quia tunc non competeret infinito. Sed est de se indifferens ad finitum, & infinitum: & idè est finitus negativè, &c.* En autorit. Doct., quæ expressè stat pro nostra Conclus.

47 Sed adhuc insurgit Mastrius, quod Doct. citat. sub num. 28. ait: *cum dicitur Deus est ens, tunc solum est compositio conceptuum, quæ compositio est signum identitatis significatorum; quia id ipsum in re, quod significatur per conceptum Dei, est id quod significatur per conceptum entis: per conceptum Dei significatur distinctè: per conceptum verò entis indistinctè.* Nihil clarius, concludit Mast-

trius, desiderari potest ex Doct. pro realitate entis impugnanda. Sed in primis resp., quod hæc non est littera Doct., sed *additio*, ut notatur in margine. Secundo resp., quod in tali additione non refertur autoritas adducta à Mastrio, sed circa medium additionis hæc habentur: *& ideo apud intellectum hæc compositio est vera: Deus est ens, quæ compositio est signum illius identitatis*; quæ longè diversa est à littera adducta à Mastrio.

48 Sed nota contra ipsum Mast., quod paucis interpositis in illa additione, habentur hæc verba: *exemplum hujus homo est animal; animal apud intellectum, ut est ibi objectum formale est esse diminutum*. Quæro nunc à Mastrio: an ex eo, quod hæc compositio: *homo est animal*, sit vera apud intellectum, quia est signum identitatis prædicati cum subjecto, sequatur, quod animalitas non dicat realitatem ex natura rei distinctam ab humanitate? Minimè, respondeo. Cur ergò ex hoc, quod ista compositio: *Deus est ens*, sit vera apud intellectum, quia est signum identitatis prædicati cum subjecto, infert Mastrius, quod prædicatum *ens* non dicat realitatem ex natura rei distinctam à Deo? Disparitatem desideramus: vel non concedat Mast. exemplum, sicut negat exemplatum.

49 Arguitur 4. & ultimo ex Doct. in 1. dist. 26. quæst. unica num. 48., ubi concedit posse abstrahi conceptum communem relationis ut sic, à relationibus divinis in particulari: qui conceptus non fundetur in aliqua realitate ipsi communi; quia relationes divinæ sunt primò diversæ; sed juxta Doct., Deus, & creatura sunt primò diversa: ergò quamvis abstrahatur conceptus communis entis à Deo, & creatura, hic non fundatur in aliqua realitate. Resp. pro nunc negando mai.: vel ipsam omitendo, cujus ratio infra assignabitur quæst. propria, loquendo de individuatione rerum. Minor manet explicata à num. 32. hujus. Videte ibi.

Solvuntur Argumenta à ratione.

50 ARGUITUR primò si conceptus communis entis fundaretur in aliqua realitate, communi, Deo, & creaturæ, ab ipsisque distincta formalitèr, daretur in Deo compositio metaphysica ex actu, & potentia; sed hoc non: ergò, &c. Prob. mai.: ex contrahente, & contrahibili sit compositio metaphysica; sed illa reali-

tas, si daretur, esset contrahibilis ad Deum per aliquid contrahens : ergò daretur compositio. Variè respondent Scotistæ huic argumento : sed omisissis eorum responsionibus, respondeo cum Pontio, negando mai. Ad prob. disting. mai. : ex contrahibili, & contrahente, cum dependentia à causa extrinseca efficiente, fit compositio metaphysica, conc. mai. : sine tali dependentia, nego mai. : inversis terminis distinguo min., & conseq.

51 Explicatur: ad compositionem metaphys. requiritur, quod utraque formalitas contrahibilis, & contrahens, sit formalitèr finita; ità quod unio, vel identitas istarum formalitatum sive inter se, sive cum tertio, dependeat à causa extrinseca efficientèr uniente, & causante talem unionem. In Deo autem neutrum reperitur; nam, licèt illa realitas entis non sit ex se formalitèr infinita, non est positivè finita, sed ad utrumque indifferens, ut patet, ex Doct. citato num. 46. Deindè: realitas contrahens (quæcumque ista sit) est formalitèr, & positivè infinita, & simul contractiva illius realitatis communis independentèr à causa extrinseca, efficientèr uniente : undè excluditur à Deo compositio metaphysica; sicut per oppositum probatur in creatis.

52 Mastrius hic quæst. num. 133. sic replicat contra solutionem; independentia in Deo non est ratio diving simpliciter, sicut nec dependentia in creaturis est ratio compositionis : ergò nulla est solutio. Prob. antec. primò ex Doct. in 1. dist. 8. quæst. 1. : ratio, qua Doct. per se, & immediatè probat divinam simplicitatem, est infinitas; sed infinitas non est immediatè independentia, sicut nec finitas dependentia : ergò independentia in Deo, &c. Dicit Mastrius *immediatè*; quia *mediatè*, concedit, quod potest probari simplicitas Dei per ejus independentiam. Probat. 2. idem antec. : si per impossibile daretur ens infinitum dependens, adhuc esset summè simplex : & si daretur ens finitum independens, esset compositum : ergò independentia in Deo, & dependentia in creaturis, non probat compositionem.

53 Resp. negando antec. Ad prob. omisissæ mai., ex Doct., nego min.; quia, cum juxta Mast., summa Dei simplicitas *remotè*, & *mediatè* probetur per independentiam, hoc sufficit, ut salvetur nostra solutio. Sed melius negatur maior, quia ipse Doct. cit. probat summam Dei simplicitatem ex ejus necessitate, & independentia à causa efficiente, ut videri est apud ipsum : ergò male ait Mastrius

Mast., quod impertinenter se habet independentia, vel dependentia, ad probandam Dei simplicitatem, excludendamque compositionem metaphysicam, cum Doct. ipsa utatur. Ad secundam prob. nego antec. quoad utramque partem; quod Mast. quoad nullam prob.

54 Arguitur 2. : si daretur talis realitas contraheretur ad Deum, & creaturam, vel per modos intrinsecos, scilicet per finitatem, & infinitatem: vel per differentias specificas, essentialiter distinctivas Dei, & creaturæ; sed non primum, ut expressè probabimus quæst. 7. hujus: neque secundum: ergo non datur talis realitas. Probat. min. quoad secundam partem: si illa contractio fieret per differentiam specificam, iam Deus constaret genere, & differentia; sed tunc difficultè vitaretur in Deo compositio metaphysica: ergo talis realitas non contrahitur per differentias specificas. Prob. ma., implicat ratio communis contrahibilis per differentiam specificam, quæ non sit formaliter genus, ut docent communiter Peripatetici: ergo. Hæc est potissima difficultas istius materiæ. Pro cuius solutione,

55 Notate, quod Doct. in dist. 8. quæst. 3. quæriturum Deus sit in genere? Resolvit negativè: & num. 26. probat, quod conceptus ille entis, di-

ctus de Deo, & creatura univocè, & in quid, non sit genus, quia non contrahitur per differentias, sed per modos intrinsecos; qui non faciunt compositionem cum illis entitatibus, quas intrinsecè modificant. Hac ergo doctrina faciliter vitatur compositio metaphysica in Deo, & solvitur difficultas. Sed quia Mast., & Pontius, non acquiescunt huic rationi Doct., sed ipsam explicant, ut & nos faciemus quæst. 7., ideò, hac solutione præmissa, ut quisque ea uri valeat, & certè ad mentem Doct.

56 Respondeo ex doctrina Pontij, concessa mai., & omiſſa min., quoad prim. part. negando eam quoad secundam. Ad prob. distingo mai.: si illa contractio fieret per differentiam specificam finitam, & limitatam, iam Deus constaret genere, & differentia, conc. mai.: si fieret per differentiam infinitam, & illimitatam, subdistinguo mai.: constaret genere, & differentia infinitis, nullam involventibus imperfectionem, conc. mai.: involventibus imperfectionem, nego mai.: eisdem terminis distinguitur, & subdistinguitur antec. probationis. Ex dictis ergo in Logica agendo de prædicamentis in communi, constat, quod arbor prædicamentalis substantiæ potuit irà disponi, quod Deus in

in ipsa collocaretur absque ulla imperfectione. Videte ibi dicta; nam est solutio argumenti.

57 Contra insurgit Mastrius ex Doct. in 1. dist. 8. quæst. 3. , ubi ait : quod si daretur conceptus generis in Deo , talis conceptus esse proprie in potentia , & consequenter perfectibilis per aliam realitatem ; sed hoc repugnat Deo : ergo & solutio. Respondet Pontius ; & benè distinguendo maiorem : si daretur conceptus generis finiti in Deo , talis conceptus , &c. , conc. mai. : generis præscindentis à finito , & infinito , nego mai. Doct. ergo , inquit Pontius , in tota illa quæst. loquitur de genere finito , & limitato , sic non mirum , quod semper dicat , *Deum non esse in genere.*

58 Mast. num. 132. , ait , quod hæc solutio est frigida Doct. interpretatio ; quia , dum ibi disputat : an Deus in genere sit ? Loquitur de genere *ut sic* , & secundum rationem formalem generis , non autem de genere finito , & limitato ; quia de hoc nemo dubitat , & in vanum laboraret Scotus. Loquitur ergo de conceptu generis *ut sic* , & probat , Deum , nec esse sub genere , nec genere constare ; quia & hoc probat ex ratione simplicitatis , infinitatis , & necessitatis Dei , cui repugnat talis compositio ; quia

genus , ex ratione generis formalis *ut sic* , dicit realitatem finitam , & potentialem ad aliam. Ità in summa Mast. ; sed ni fallor docet contradictoriè. Quare.

59 Impugnatur : ideò explicatio Pontij , & nostra , est frigida ; quia Doct. in illa quæst. locutus est de genere finito , & limitato ; sed hoc idem expressè docet Mastrius citatus ; nam num. 131. in fine ait : *quia genus ex ratione formali generis dicit realitatem finitam* : ergo , vel non est frigida nostra solutio , vel est sua doctrina. Deinde : in primis verbis ait ; Doctorem loqui de genere *ut sic* , & secundum rationem formalem generis , non autem de finito , & limitato : inferius autem dicit : genus *ut sic* necessariò dicere realitatem finitam , quod est manifesta contradictio ; nam implicat in terminis , quod genus , de quo locutus est Doct. ; necessariò dicat realitatem finitam , & quod non locutus sit de genere finito , & limitato. Sed , juxta Mast. , genus , de quo locutus est Doct. , necessariò dicit realitatem finitam ; & aliàs , non est locutus de genere finito , & limitato : ergo docet contradictoriè.

60 Videamus modò , quomodò Mast. , sicut promissit , evidentissimè probet , genus *ut sic* præferre realitatem

finitam, & limitatam. Genus, ut genus, dicit, esse partem rei, & non totam essentiam: ergo implicat in abjecto; dari genus infinitum. Supponit antec., & probat consequentiam: solum id, quod est finitum potest esse pars alicuius totius: ergo, si genus, ut genus &c. Prob. antec.: nullum infinitum potest habere rationem partis: ergo solum id, &c. Prob. antec.: omne totum est maius sua parte; sed, ex dictis 3. Physic., *infinito nihil est maius*: ergo. Hoc est fundamentum Mastrij. Sed

61. Respondeo, permisso antec., negando conseq. Ad probat. distinguo antec.: solum id, quod est finitum, potest esse pars alicuius totius finiti, conc. antec.: totius infiniti, subdistinguo: potest esse pars strictè sumpta, & prout dicit imperfectionem, conc. antec.: pars latè sumpta, & excludens imperfectionem, nego antec. Ad probationem, concessa mai., distinguo min.: sed infinito nihil est maius, realitèr, omitto antec.: formalitèr, nego antec., & conseq. Genus itaque, non solum ut est positivè finitum, sed & ut præscindit à finito, & infinito, habet rationem partis; diversimodè tamen, nam in primo sensu est pars imperfecta, carens perfectione, & unitur cum alia comparte de-

pendentèr à causa extrinseca, efficientèr uniente: & pars in hoc sensu repugnat in divinis, ubi omnia ununtur perfectissimè, independentèr à causa extrinseca.

62. Si autem sumatur genus, ut præscindit à finito, & infinito, est etiam pars, pro ut pars importat quid inclusum in aliquo toto, simul cum alia totum constituens. Et pars, sic sumpta habet locum in divinis. Quis namque Scotistarum negavit, Personam divinam esse totum constitutum ex Essentia diuina, & personalitate, quæ inter se formalitèr distinguuntur, & se habent per modum partis, excludentis imperfectionem, propter perfectissimam identitatem extremorum, independentèr à causa extrinseca. Deindè: quis Scotista dubitat, Essentiam, Divinam, & Sapientiam, quarum utraque est formalitèr infinita, esse quid maius sola Bonitate divina, formalitèr infinita? Nemo, ni fallor; quin ex hoc sequatur, quod aliquod attributum dicat imperfectionem.

63. Undè, quoties Mastrij asserit: repugnare differentiam infinitam, & genus, quod ex sua ratione formali non dicat positivè quid finitum, toties petit principium: quare, eadem facilitate, qua ab ipso, & ejus sequacibus hoc asseritur, à nobis negatur. Immò, quod

detur in Deo genus in nostro sensu , & explicatione , satis clarè indicat Doct. quæst. 3. citata , num. 24. , ubi respondens ad autoritatem Damasceni , qua aliqui probabant, Deum esse in genere , sic ait :

64 *Ad Damascenum respondeo , licet multa dicat in diversis locis , quæ videntur dicere , Deum esse in genere , unum tamen verbum , quod dicit in Elementario , cap. 8. solvit omnia. Ibi enim dicit sic : substantia , quæ continet super substantialitèr increatam Deitatem , cognoscibilitèr autem , & contentivè omnem creaturam , generalissimum est genus. Non igitur (prosequitur Scotus) substantiam , quæ est generalissimum , continere contentivè Deitatem , sicut continet creaturam , sed super substantialitèr , hoc est , accipiendo illud , quod est perfectionis in substantia , quæ est genus ; & relinquendo illud , quod est imperfectionis. Hæc Doct. , in quibus dicit , quod nos docemus , & satis clarè contra Mast. loquitur.*

65 *Arguitur 3. hæc realitas , communis Deo , & creaturæ , esset quid prius , & independentius Deo ; sed hoc repugnat : ergo &c. Prob. maior : omne constituens est prius , & independentius re constituta*

per ipsum ; sed hæc realitas esset constituens Deum : ergo &c. Resp. distinguendo maiorem : hæc realitas , &c. esset prior , & independentior Deo , ita quod posset objectivè concipi , non concepto Deo , conc. mai. : ita quod posset realiter existere sine Deo , aut quod Deus ab ipsa dependeat , ut à causa realitèr distincta ab ipso Deo , nego mai. : & hac eadem distinctione distinguitur mai. probationis. Illa ergo realitas potest concipi , non concepto Deo , licet Deus non possit concipi sine ipsa : & in hoc sensu potest dici prior , quoad concipi , seu insubstèndi consequentia ; deindè , cum illa realitas nequeat esse in Deo , nec in creatura , sine Deo , malè dicitur independentior Deo.

66 *Replicat Mast. contra solutionem : illa realitas entis esset prior Deo , non solum prioritare conceptus , vel ut alij dicunt prioritare Logica , sed etiam prioritare naturæ : ergo &c. Prob. antec. : illa realitas ita præcedit Deum , sicut ipsum constituit : ergo cum verè à partu rei constituat Deum , verè , & parte rei erit prior Deo , prioritare reali naturæ. Confirmatur : illa realitas communis , ita præcederet Deum , sicut animal præcedit hominem ; sed animal præcedit hominem prio-*

ritate reali naturæ : ergo &c.
 67 Resp. negando antec. ; & antec. probationis, quod non probat Mast. : nam in tantum esset verum , in quantum esset vera hæc propositio universalis : *realitas eo modo , quo constituit rem , ipsam præcedit* ; sed hæc universalis est falsa : ergo & particularis Mastrij. Prob. minor : si universalis est vera, hæc particularis tenet : *personalitates divinæ , & divina Essentia , à qua ex natura rei distinguuntur , sunt realitates à parte rei priores natura divinæ Personis* ; sed hæc particularis est falsa : ergo &c. Prob. maior : omnis realitas eo modo quo constituit rem , ipsam præcedit ; sed Personalitates divinæ , & divina Essentia sunt realitates, quæ à parte rei constituunt divinas Personas : ergo vel universalis Mastrij. est falsa , vel particularis nostra est vera. Maior est Mastrij. : minor omnium Scotist. com ipso Mastrio. Si consequentiam neget , & nos consequentiam ipsius negamus.

68 Si verò Mast. concedat hanc propositionem : *ergo Personalitates divinæ , & divina essentia sunt priores natura divinæ Personis , quas constitunt*. Quæro : vel hæc posterioritas , & dependentia in divinis Personis, relatè ad personalitates , & divinam Essentiam , ipsas à parte

rei constituentes , arguit imperfectionem in Personis : vel non ? Primum non dicit Mast. : aliàs daretur aliqua imperfectio in divinis. Si secundum, infero : ergo sicut hæc posterioritas , & dependentia in Personis, relatè ad Personalitates , & ad Essentiam , ipsas constituentes, non arguit imperfectionem in Personis , ita nec posterioritas, nec dependentia , quæ esset in Deo, relatè ad ens ipsum constituens , diceret imperfectionem in ipso. Desideratur solutio, ut solvatur ejus argumentum. Ad confirm. nego mai. ; nam animal ita præcedit hominem, quod possit esse à parte rei sine ipso : ens autem , nec in Deo, nec in creatura potest esse sine Deo. Unde non est paritas.

69 Arguitur 4. : hæc realitas , communis Deo , & creaturæ , vel esset creata, vel increata : participata , vel im-participata , necesse esse , vel non necesse esse ; sed quodlibet est falsum ; quia si esset creata, non reperiretur in Deo : & si increata, non reperiretur in creatura : idem dic de alijs : ergo non datur. Respondent communiter Scotistæ distinguendo maiorem esse creata , vel increata permissivè , & indifferentè, conc. mai. : formalitèr , & positivè nego mai. Illa ergo realitas entis abstrahit à creato , & increa-

to, & solum dicitur talis, vel talis, juxta taleitatem contractivi: ita, quod, si contractivum est increatum, reddit realitatem increatam: vel creatam, si est creatum, solutio patet exprobatione Subt. Doct.

70 Mastrius hic num. 77., adducit eandem solutionem, sed ait, non absque pudore, Scotistas non percipere vim sui argumenti: Ratio ejus est, quia Doct. in 1. dist. 8. q. 3., utitur simili argumento, ad probandum, conceptum communem entis Deo, & creaturae non esse genericum; scilicet; *quia ille conceptus communis, vel esset necesse esse, vel non?* Si primum, non esset genus; quia nullum genus est necesse esse. Si secundum; sequeretur, quod in Deo esset *aliquid non necesse esse.* Hæc Doctor. Sed hæc argumentatio, ait Mast., non valeret, si nostra solutio esset bona; cum possit applicari argumento Doct.: ergo non tenet. Quoad pudorem Mastrij videte Pontium hic in *additione*, ubi par pari refert, Quoad rationem ex Doct.

71 Resp., quod non facit Mastrio. Ratio est quia, ut supra diximus à num. 54. Doct. loquitur ibi de genere in communi acceptione, prout significat realitatem positivè fini-

tam, & potentialem; que realitas, sic sumpta, non potest conjungi cum illo, quod est necesse esse, cujusmodi est Deus. Et in hoc sensu optimè procedit argumentum Doct.: non autem loquitur ibi de genere, quod permissivè se habet ad finitum, & infinitum: in quo tantum sensu nos asserimus conceptum communem entis posse dici genericum, neque oppositum istius acceptionis generis potest aliquis probare, nisi petendo principium. Videte dicta à num. 54.

71 Arguitur 5., & est replica contra solutionem: nihil potest concipi in Deo à parte rei existens, quod sit extra esse increatum, & imparticipatum positivè, vel negativè: neque in creatura, quod sit extra esse creatum, & participatum: ergo implicat realitas communis entis præcisa à Deo, & creatura. Prob. antec.: ipsa ratio entis, quæ est in Deo, habet essentialitèr divinas proprietates, ut esse Infinitum, Immensum, independens, &c.: & hoc, non solum identicè, ut responderi solet, sed etiam formalitèr: ergo nihil potest, &c. Antec. est Doct. persæpè cit. dist. 8. quæst. 3. ubi ait, quod, *quæcumque realitas essentialis in Deo, quantumcumque præcise sumpta, est formalitèr infinita.*

72 Confirm. 1.: creatura participat à Deo, non solum tale esse, sed etiam rationem entis, secundum quam à Deo producitur: ergo illa ratio communis entis, qua creatura est aliquid, est quid participatum. Antec. est Authoris de Causis, dicentis: *prima realitas rerum creatarum est esse*. Confirm. 2.: totum, quod est in creatura, est intrinsicè finitum, & participatum secundum omnem ejus formalitatem, tam supremam, quam infimam: ergo repugnat realitas communis, præscindens à Deo, & creatura. Confirm. 3.: implicat concipere aliquid in creatura, quod non sit ipsi à Deo communicatum; cum creatura, secundum rationem communem entis terminet actionem productivam Dei: ergo creatura, secundum conceptum communem entis est quid participatum; & consequenter, &c.

73 Confirmatur tandem: etsi detur à parte rei realitas communis entis, præscindens ab alijs realitatibus, minus communibus, nequit præscindere à creato, & increato: ergo nulla realitas communis præscindit à Deo, & creatura. Prob. antec.: sumo illam realitatem, ait Mast., ut præcisam, in homine v. g.; & peto: secundum quam rationem primò, & per se competit ipsi,

esse causam, dependentem, & participatam? Si dicas: secundum humanitatem, vel animalitatem, vel corporeitatem, vel substantiam. Infero: ergo accidens non est ens dependens, & causatum; quia ipsi non conveniunt prædictæ rationes: ergo prima, & adæquata ratio, fundans dependentiam, & participationem, est ipsissima ratio entis ut sic; & consequenter &c. Hæc Mast., ut satis efficaciter, & insolubilia adducit.

74 Resp. tamen negando antec. argum. Et distingo antec. probationis: ratio entis, quæ est in Deo, prout ad Deum contracta, habet essentialitèr divinas proprietates, conc. antec. ratio entis, secundum rationem formalem entis, præcisè sumptam, habet, &c., nego antec. Ad probat. ex Doct. explico antec.: quæcumque realitas Dei est formalitèr infinita, vel ex se positivè, vel saltem permisivè, hoc est, quoad conjunctum infinitare, conc. ant.: ex se positivè secundum suam rationem formalem, nego antec. Doctor ergo ibi solum intendit vitare in Deo compositionem metaphysicam, quæ optimè relegatur per hoc, quod illa realitas communis sit tantum permisivè infinita; quia, ex dictis, ad compositionem metaphysicam requiritur quod unum

saltem extremorum sit positivè finitum, & jungatur alteri cum dependentià à causa extrinseca, quorum neutrum evenit in præsentii.

75 Ad primam confirm. distinguo antec. quoad ultimam part. : & secundum ipsammet rationem entis, à Deo producitur, ità, ut ratio formalis entis in creatura producat conc. antecedens : ità, ut ipsa ratio propter quam produci possit, nego antec.; alias in Deo non esset ratio formalis entis. Hæc ergò ratio formalis est finitas contractiva entis ad esse creaturæ. Per quod patet ad auctoritatem ex Authore de Causis. Ad secundam confirm. dico, quod totum quod est in creatura, est intrinsece finitum prout contractum per finitatem; secùs verò si præscindat à differentijs, & modis intrinsicis creaturæ : & secundum se formalitèr consideretur ratio entis. Videte auctoritatem Doct. numer. 28. hujus. Ad tertiam confirm. distinguo conseq. : ergò creatura secundùm conceptum communem entis est quid participatum, quatenus ratio communis entis habetur à creatura per participationem conc. conseq. quatenus talis ratio, secundùm se sumpta, est quid participatum, nego conseq.

76 Ad ultimam concedo, quod homo v.g. ; non habet esse participatum ab humanitate, animalitate, corporeitate, aut substantia ; propter rationem, assignatam in replica. Sed ex hoc non inferitur, quod homo habet esse participatum à ratione formali entis, sed à finitate, seu differentia finita contractiva entis ut sic, ad esse hominis. Ex quo patet ; quod hæc confirmatio non est tanti momenti ; ut eam facit Mastrius. Et potest benè intari in animali ; quod de se non est positivè rationale, nec irrationale ; benè verò permisivè utrumque.

77 Replicat tamen Mast. ; quod est disparitas de præcisione animalis, & præcisione entis ; nam rationalitas, & irrationalitas sunt differentie specificæ infimæ : finitas verò, & infinitas sunt differentie supremæ, vel modi universalissimi, à quibus non potest abstrahi ulla realitas communis. Hoc sic declarat : licèt animal præscindat à rationali, & irrationali, non tamèn à corporeo : & substantia, licèt præscindat à corporeo, & incorporeo, non tamen ab ente, per se existente similiter, licèt ens finitum ut sic præscindat à perfectitate, & inhærentia, non tamen à finitate, & participatione : ergò ens, inferit Mastrius, quod con-

venit creaturæ, ut sic, secundum suam propriam formalitatem, involvit finitatem, & participationem; & consequenter, &c. Verum, an hæc disparitas optimè probetur à Mast. videndum est in num. 12. hujus; nam persæpè in ipsa suadenda committit circulum. Ad explicationem

78 Resp. conc. antec. quoad suas partes, & negando consequ. ; nam, ut benè advertit Pont., hæc nullam connexionem habet cum antec., ut patet in isto: animal, substantia, infinitum non præscindunt à formalitatibus, quibus intrinsicè, & essentialitèr constituuntur in esse formalitèr tali; ergò ens non præscindit à differentiis, aut modis, quos non includit intrinsicè, & essentialitèr, & quibus latius patet. Mala consequentia. Immò: disparitas Mastrij, si tener, est contra Mastrium; nam ipsè concedit, intellectum posse cum fundamento in re concipere ens sine finititate, & infinitate; sed non concedit, immò negat posse concipi cum fundamento in re sine corporeitate; substantiam sine perfeitate; ens finitum sine finitate: ergo, quantum ad præcisionem, non debet Mastrius admittere paritatem inter illa, & ista.

79 Arg. 6. : Deus, secundum omnes formalitates, in

eo repertas, est essentialitèr singularis: ergò nulla est in Deo realitas communis. Prob. ant., primò ex Doct. in 1. dist. 8. quæst. 3, sub num. 29. ubi ait: *ens autem, ut convenit Deo, scilicet, ens per essentiam, est ipsum esse infinitum, & non aliquid, cui tantum convenit ipsum esse: & ideo ex se est hoc, & ex se infinitum*: ergò. Probat idem antec. ratione: sicut in creaturis unaquæque res est singularis secundum omnes suas rationes per individuationem superadditam naturæ; ita Deus per singularitatem sibi essentialem, & non superadditam, est singularissimus, secundum omnes suas formalitates: ergo, &c.

80 Respondeo distinguendo antec.: Deus; secundum omnes formalitates proprias est essentialitèr singularis, conced. antec.: secundum formalitates, sibi, & creaturæ communes, nego ant. Probatio ex Doct. non est ad rem; nam ibi non loquitur de ente reali ut sic, de quo est quæstio; sed de ente contracto ad Deitatem, ut patet ex illis verbis: *ens autem, ut convenit Deo*, ubi ly *ut* duplicat entitatem Deo convenientem, & ad Deum contractam. Ad probat. à ratione, vel potest distingui antec. quoad secundam part.; vel potest negari. Immò auctoritas, si benè

negatur, probatur. Deum non per singularitatem; sed per infinitatem esse formaliter hoc, & singulare: ergo præcisivè ab infinitate, non est de se hoc, & singulare.

81. Replicat Mast., quod si vera est solutio, sequitur, quod aliqua realitas, quæ est in Deo, possit esse in creatura; sed nequit dici: ergo, &c. Respondetur, concessa sequela negando minorem; quia illa formalitas entis, in se considerata, & quantum est ex parte sui, quæ est in Deo, potuit esse in creatura. Videte, quæ diximus in Logica, agendo de natura communi. Hæc sunt principalia argumenta, & replicæ, quæ tam Mastrius, quam alij, ex ipsomet Mast. pro se adducunt. Et nota, quod quamvis perpè citavimus Mast., non est, quia opposita sententia præcisè Mastrii fit; sed quia ab hoc Sapientissimo Magistro alij Scoticæ fundamenta sumpserunt. Nunc pro Chronide hujus Difficultatis.

82. Arguitur ultimò: potentialitas positiva conceditur enti, ut præcipienti à Deo, & creatura; sed hæc potentialitas sufficit ad compositionem metaphysicam: ergo hæc daretur in Deo. Prob. mai.: quod negatur de ente, posita infinitate, enti conceditur, infinitate præcissa; sed posite infinitate, negatur

de ente potentialitas positiva: ergo, præcissa infinitate, ita conceditur. Prob. maior ab opposito: quod conceditur enti, posita infinitate, de ipso negatur, infinitate præcissa: ergo, quod negatur, &c. Prob. antec.: posita infinitate, enti conceditur, esse imensum, infinitum: &c.; sed hæc omnia negatur de ente, infinitate præcissa: ergo quod conceditur, &c. Hoc argumentum, si probat, probat contra Thomist., & Scotistas Contrarios, non dari conceptum communem entis.

83. Resp. distinguendo mai.: potentialis positiva *permissivè* conceditur enti præcipienti, &c.; conc. mai.: *positive* conceditur, nego mai. Ad probat. distinguo mai.: quod negatur de ente posita infinitate, debet *permissivè* concedi, infinitate præcissa, concedo mai.: debet concedi *positive*, nego mai. Eisdem terminis distinguitur antec. probat., & ejus probatio. Itaque, posita infinitate, ens dicitur positive infinitum, imensum, &c. Si verò ipsum ab infinitate præcindas, tunc solum *permissivè* dicitur finitum, vel infinitum: & consequenter solum *permissivè* poterit ei concedi potentialitas, & hæc non absolute, sed solum per comparisonem ad subjectum capax compositionis metaphysicæ, scilicet creaturam.

84 Replicabis : quod illa realitas entis sit permissivè potentialis , sufficit , ut cum infinitate faciat compositionem metaphysicam : ergò nulla est solutio. Prob. antec. , quod superficies sit permissivè potentialis , ad albedinem , & Cœlum ad motum , sufficit , ut superficies cum albedine , & Cœlum cum motu faciant aliqualem compositionem metaphysicam : ergò similiter : quod illa realitas &c. Antec. quoad primam partem est Doct. quæst. 1. Prologi §. *Ad questionem*. Quoad secundam etiam est ipsius in 2. dist. 2. quæst. 6. , & in 4. dist. 48. quæst. 2. Resp. negando antec. Ad prob. disting. antec. quod superficies sit permissivè , & simul positivè potentialis ad albedinem (idem dic de Cœlo , respectu motus) sufficit , &c. , conc. antec. : quod superficies sit tantum permissivè potentialis , sufficit , &c. nego antec. : immò , & suppositum.

85 Superficies ergo , quando est non alba , non solum est permissivè potentialis ad albedinem , sed etiam positivè , nam tunc stat sub privatione reali albedinis : idem dico de Cœlo in ordine ad motum , si Cœlum quiesceret ; nam utrumque est in potentia physica ad suam respectivè terminum : non sic illa realitas entis , quæ est tantum

permissivè potentialis , & hoc non absolutè , ut dictum , est sed respectivè ad creaturam. Ex quo sequitur , quod nulla in hoc sit paritas. Hęc de realitate entis sufficient. Quæ etsi supra nostrum modum latiori calamo scripta sint , non tamen absque fundamento , & ratione iam tractata num. 5. hujus. Et certè discussio hujus difficultatis valde necessaria est pro intelligentia eorum , quæ à Nostratibus docentur in Theologia , transcendendo de distinctione formali Scotica , quæ ab Scotistis conceditur inter Essentiam Divinam , ejusque attributa : & illam , divinasque relationes. In quibus difficultatibus (ni fallor) Mast. utitur ad tollendam compositionem metaphysicam , ipsissima doctrina , qua & nos ad tollendam compositionem metaphysicam ex realitate entis , rationibusque particularibus Dei. Ipsum attentè legite.

QUÆST. V.

An ens sit univocum Deo , & creatura , substantia , & accidenti ?

NOTATE 1. ex dictis in Logica , agendo de Antepredicamentis , quid sint uni-

voc., & quid eorum gradus? Nam omnia hic ad litteram transferenda sunt. Similiter ibi docuimus, non dari purè analogā, quæ medient inter univocā, & æquivocā. Hæc omnia præ oculis habenda sunt pro resolutione hujus difficultatis; sicut &, quod in præsentī non agimus de ente participialitèr sumpto, sed nominalitèr capto, quod definitum manet quæst. 1. num. 1. hujus.

2. In hac difficultate duplex est sententia. Prima Thomist. cum Div. Thom., assentientium, ens esse purè analogum Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti. Secunda est Scotistarum, qui omnes dicunt, ens esse univocum in quarto gradu univocationis, respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis. Sed hic advertendum est pro infra dicendis, quod iste gradus univocationis permittit secūm quandam speciem analogiæ, quæ tamen non tollit univocationem; alias nec homo, & equus univocarentur in ratione animalis. Et certè hæc difficultas abundè patet ex his, quæ docuimus quæst. 3. & 4. antec.; nam omnes illæ rationes, quibus probatum est, dari conceptum objectivum entis, perfectè præscindentem à Deo, & creatura, & ab ipsis ex natura rei distinctum, probant etiam, hujusmodi concep-

tum esse ipsis univocum. Undè sit. *CONCLUSIO.*

Ens reale ut sic, est univocum Deo, & creatura, substantiæ, & accidenti. Est Doct. infra citandi. Prob. 1. ex definitione univocorum: univoca sunt illa, quorum nomen est commune, & ratio significata per nomen in omnibus est eadem; sed nomen ens est commune Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti, & ratio significata per ipsum in omnibus est eadem: ergò &c. Prob. minor: illa ratio, quæ de pluribus prædicatur essentialitèr, & quiddirativè est eadem in omnibus sed ens essentialitèr prædicatur de Deo, & creatura, nam istæ prædicationes sunt essentielles: *Deus est ens; creatura est ens; substantia est ens; accidens est ens;* ergò, &c. Confirm.: ratio significata per nomen ens, nominalitèr sumptum est non repugnantia ad existendum à parte rei; sed hæc non repugnantia convenit Deo, & creaturæ, &c., ut de se patet: ergò est ipsis univoca.

4. Probatur 2. ex Doct. in 1. dist. 3. quæst. 2. num. 5. si ens non esset univocum Deo, & creaturæ, non possemus aliquid de Deo cognoscere pro statu isto; sed hoc est falsum: et

gò, &c. Prob. mai.: non possumus cognoscere Deum pro statu isto, nisi per aliquid in creatura repertum, juxta illud 1. ad Corinth. : *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur*, sed illud, per quod cognoscitur Deus, non est aliquid proprium creaturæ, ut creaturæ, nec proprium Dei, ut Dei : ergo est quid ipsis commune univocum : ergò cum hoc sit ens sequitur, &c.

5. Eodem modo probatur de substantia, & accidenti ex Doct. citato quæst. 3. sic: substantia non immutat immediatè intellectum nostrum pro statu isto ad intellectionem sui, sed solum accidens sensibile; ergò nullum conceptum quidditativum habere de substantia, nisi mediante conceptu objectivo, abstrahibili à conceptu accidentis. Antequoad prim. part. patet ex Doct. nam, si substantia immutaret immediatè nostrum intellectum pro statu isto, possemus naturalitè cognoscere absentiam substantiæ in Hostia consecrata, quod est absurdum. Quoad secundam partem etiam patet ex dictis in Animastica. Nunc sic; sed nullus conceptus objectivus potest abstrahi à conceptu accidentis ad cognoscendam substantiam, nisi conceptus objectivus entis: ergò iste est univocus substantiæ, & accidenti.

6. Prob. tandè con-
clusio : in mente nulla datur æquivocatio : ergò conceptus formalis mentis est unus, & univocus : ergò & conceptus objectivus entis, correspondens conceptui formali est unus, & univocus in ordine ad sua inferiora. Antec., & prima consequentia tenent. Probat. secunda: conceptus formalis accipit suam unitatem ab unitate conceptus objectivi, per ipsum repræsentatis ergò, si conceptus formalis est unus, & univocus, etiam erit objectivus. Videtè antecedens probatum quæst. 3. hujus conclusio 2., ubi plura alia invenietis pro hac conclusione.

Solvuntur Argumenta.

7. ARG. 1. ex Porphyrio cap. de specie, ubi citat pro se Philosophum, dicentem: *si quis omnia entia vocet æquivocè nuncupabit*: ergò ens est æquivocum ad omnia entia in particulari. Resp. ex Doct. citato, quod talis locus non invenitur in Arist. ; benè verò oppositum. Resp. 2. distinguendo antec.: si quis, &c., æquivocè *physicè* nuncupabit, conc. antec.: æquivocè *metaphysicè*, nego antec.

Omnia ergò entia in particulari: licet univocentur metaphysicè, est in quarto gradu, qui est imperfectior alijs. Undè non univocantur physicè seu in primo gradu, & idèò physicè æquivocantur, in quo nulla contradictio.

8 Arg. 2. ex Aristot.

4. Metaphys. text. 2. ubi ait: *ens autem multis modis dicitur, sed ad unum, & ad unam aliquam naturam; & non æquivocè, quemadmodum sanum.* Nunc sic; sed sanum non dicitur univocè de sanis, sed potius analogè, vèl æquivocè: ergo, &c. Resp. ex Doct. in expositione istius text., disting. mai.: ens multipliciter dicitur multiplicitate suppositorum, conc. mai.: multiplicitate significatorum, nego maior. Aristot. arguebat contra Philosophos antiquos, asserentes; omnia esse unum ens determinatum; & ait: *ens multipliciter dicitur*; ac si dirisset ens continet sub se plura supposita inferiora, determinatè talia, de quibus essentialitèr, & quidditatèr prædicatur. Undè non eodem modo dicitur ens de suis inferioribus, ac sanum de sanis; nam ens cum omni proprietate dicitur de Deo, & creatura, substantia, & accidenti; sanitas vero solum de animali dicitur propriè: impropiè verò de pulsu, & urina.

9 Arguitur 3.: enti simpliciter tali, & enti secun-

dum tali, nihil commune est univocum; sed substantia est ens simpliciter tale, accidens secundum quid: idem dicitur de Deo, & creatura: ergo ens non est univocum istis. Resp. disting. mai.: enti simpliciter tali, & enti secundum quid; prout ly *secundum quid* est distractivum, seu ablativum entitatis, nihil, &c., conc. maiorem: prout ly *secundum quid* est solum diminutivum entitatis, aut perfectionis ipsius, nego mai., min., & conseq. Accidens ergò comparativè ad substantiam dicitur ens secundum quid, quia est minoris perfectionis, quam substantia, sed solitariè sumptum, absolutè dicitur ens. Undè ly *secundum quid* non distrahit ibi entitatem sicut facit in ista propositione: *homo pictus, secundum quid est homo.* Per quod patet ad idem de Deo, & creatura.

10 Arguitur 4.: ens reale ut sic habet essentiam, & quidditatem indivisibilem: ergò non est univocum. Prob. consequentia: omne prædicatum univocum participatur à suis inferioribus eo modo, quo participabile est; sed ens non sic participatur à suis inferioribus: ergò, &c. Prob. min.: ens solum æqualitèr, & indivisibilitèr est participabile; sed participatur inæqualitèr à suis inferioribus: ergò non participatur,

&c.

&c. Prob. min. : illud , quod est in uno prius , & perfectiori modo , quam in alio , inæqualitèr participatur ; sed sic se habet ens respectu Dei , & creaturæ : ergò , &c. Hoc argumentum solum probat , ens non esse univocum Deo , & creaturæ in primò gradu univocationis , quod ultrò fatemur , nam sic solum univocantur inferiora cujuslibet speciei infimæ : non verò suadet , non esse univocum in quarto gradu univocationis , de quoque , ut monui , procedit nostra conclusio.

11 Resp. ergo in forma , concessio antec. , negando conseq. Ad prob. , concessio maior ; nego min. : ad cujus probat. , concessio etiam mai. , nego minorem , & maiorem probationis. Ens ergo , secundum rationem entis , æqualitèr participatur à Deo , & creatura , nam Deus in ratione entis , ut sic , non est nobilior creatura , nec substantia accidenti. Verum tamen est , quod in ratione talis entis , & prout contrahitur à differentijs particularibus , ens inæqualitèr participatur ab inferioribus : ista inæqualitate non se tenente ex parte entis , sed ex parte inferiorum , propter diversitatem istorum in sua perfectione , diversumque modum essendi ipsorum ; ex quo nihil contra nos

12 Arg. 5. : Deus est causa totius existentæ creaturæ , & entitatis ; ita quod dependeat à Deo etiam in ratione entis ; sed unum univocatum nequit dependere ab altero univocato in ratione communi univocater : ergò ratio entis , &c. Prob. minor : unum univocatum nequit esse causa alterius univocati secundum rationem communem univocam : ergò &c. Prob. antec. : implicat , quod aliquid sit causa sui ipsius ; sed hoc eveniret , si unum univocatum esset causa alterius secundum rationem communem univocam ; nam causaret in se ipso illam rationem communem , in qua cum altero univocaretur : ergò , &c. Resp. conc. mai. negando min. Ad probat. nego antec. : & ad istius probationem , concessio mai. nego min. , cum probatione imbibita.

13 Ratio est ; quia ex quo aliqua unicata se habeant , quod unum dependeat ab alio ita , & quod hoc sit causa illius , non tollitur univocatio : nec sequitur , quod aliquid sit causa sui ipsius , aut se ipsum producat ; alias , dum homo generat alium hominem , sibi univocè similem in huminitate , se ipsum produceret , & generaret , quod non concedit Araujo , cuius est argumentum. Undè , sicut homo generans alium hominem , sibi univocè similem

in humanitate, non generat suam humanitatem, ita Deus producens gradum entis creati, in quo cum creatura univocatur, non producit suam propriam entitatem; quia ista ut potè positivè infinita, est improducibilis: producit ergò alium gradum, omninò similem sibi. Immo argumentum tollit omnem causalitatem univocam, quod est contra omnes.

14 Arg. 6.: quæ non habent eundem modum essendi, non univocantur; sed Deus, & creatura non habent eundem modum essendi in ente: ergò non univocantur. Maior patet in exemplo de domo extrà, & de domo in mente. Resp. ad argum., quia est Div. Thomæ I. *contra gentes*, disting. mai. quæ non habent similem modum essendi non univocantur in primò gradu, conc. mai.: in quarto gradu, nego mai., & concessa min., nego consequentiam. Exemplum de Domo extrà, & de domo in mente videatur in Doctore quest. 4. Prologi in fine.

15 Arguitur 7.: nullum univocatum in ratione sui univoci habet aliquid plus, quam aliud univocatum; sed substantia, & accidens sunt univocata in ente: ergò substantia non habet aliquid plus in ratione entis, quam accidens. Discursus est bonus; conclusio falsa: er-

gò una præmissarum. Non maior: ergò minor; sed minor est conclusio Scoti: ergò hæc est falsa. Quod prima consequ. sit falsa, prob. ex 7. *Metaphysic. text. 2., & 3.*, ubi dicitur, quod in definitione accidentis in quantum ens ponitur substantia. Sic arguit Cajetan.. Resp. concessio toto syllogismo, nego, quod conclusio sit falsa. Ad probat. ex 7. *Metaphysic. nego*, quod substantia ponatur in definitione accidentis, in quantum accidens est, sed solum prout accidens est ens; nam accidens definitur: *entis ens*, id est, *ens substantiæ*. Undè, licet accidens respiciat substantiam, sine qua nequit naturalitèr existere, tamen æqualitèr participat cum substantia rationem entis.

16 Arguitur ultimò pro Thomist.: quando aliquis effectus non adæquat virtutem suæ causæ, non est univocus, sed analogus; sed creatura est effectus Dei, & in nihilo adæquat virtutem ipsius: ergò nomen ens non est ipsis univocum sed merè analogum. Iam diximus in *Logica Disput. de Antepredicamentis*, non dari purum analogum, quod non sit, vel univocum, vel equivocum. Resp. nunc negando mai., quæ est absolutè falsa, ut patet ex his instantijs. Primò: quando aliquis effectus, &c.; sed calidum,

dum, ut duo, productum à calore ut octo, est effectus istius, & inadæquatus ipsi: ergò calidum, ut octo, & calidum, ut duo non univocantur in calore ut sic. Maior est Thomist. Minor evidens. Consequentia falsa.

17 Si dicant Thomistæ, quod non loquuntur de causa univoca, ut est calor, sed de æquivoca. Contra: Sol est causa æquivoca, respectu muris, & plantæ; sed Sol, mus, & planta univocantur in ratione corporis, substantiæ, & entis: ergò non tenet responsio. Deindè: ignis, & aurum, à Sole producta, univocantur cum Sole in ratione substantiæ; sed neque ignis, neque aurum adæquant virtutem Solis: ergò, quod effectus adæquet, vel non adæquet virtutem suæ causæ, est omninò impertinens ad univocationem; & consequentèr maior argumenti est falsa.

18 Respondent Complutenses, illam maiorem esse intelligendam in sensu formali, sic: quod, quando effectus in ratione formali effectus, non adæquat virtutem causæ, non potest univocari cum ipsa; quamvis in alia ratione, secundùm quam non est effectus, univocentur cum sua causa. Ad propositum: ignis, & aurum, secundùm formalitatem corporis, & substantiæ, non sunt effectus,

per se à sole producti, sed solum per accidens: & prout sic cum ipso univocantur. Ignis verò, & aurum secundùm formalitates proprias, à sole productas, non adæquant virtutem solis: & sic cum ipso analogicè solum conveniunt. Sed contra: causa per se attingens rationem propriam alicujus effectus etiam per se attingit rationes communes talis effectus; etenim rationes propriæ, & communes identificantur realitèr inter se; sed Sol per se attingit rationem propriam ignis, & auri: ergo per se, & non per accidens attingit rationes communes corporis, & substantiæ in ipsis.

19 Verùm quia tam hoc argumentum Thomist., quam alia plura, quæ hic objicere solent, faciliter solvi possunt, stando in distinctione de univocatione physica, vel pura, seu in primo gradu univocationis, quam nos constantèr negamus enti respectu suorum inferiorum, quamque solum concedimus individuis alicujus speciei infimæ: vel de univocatione metaphysica, seu mixta aliqua analogia, seu in quarto gradu univocationis, de quaque procedit nostra conclusio; idè notandum est, quod ens est hoc ultimo modò univocum; quatenus prius, & perfectiori modo reperitur in Deo; quam in crea-

creatura; & in substantia, quam in accidenti. Hoc tamen, non quod perfectio aliqua se teneat ex parte entis in communi, sed quod talis perfectio proveniat à rationibus contractivis entis ad sua inferiora. Undè, licet ens reale æqualitèr descendat ad omnia sua inferiora, est tamen inæqualitèr participatum ab ipsis. Notate hoc benè.

QUÆST. VI.

An ens sit univocè commune enti reali, & rationis?

NON loquimur de ente transcendentalitèr sumpto, de quo usque nunc; sed de ipso transcendentalissimè, seu communissimè capto. Quodque sic explicari valet: est illud, quod potest existere præcisivè ab eo, quod huiusmodi existere sit à parte rei, aut sit per intellectum. De hoc quærimus: an sit univocum enti reali, & rationis? Aliqui Scotistæ partem affirmativam tenent. Communis Thom., Neutralium, & Scotistarum negativam. Cum quibus sit

2. Conclusio: *non datur ens, quod sit univocum enti reali, & rationis.* Ita Doctor in 1. dist. 29. quæst. unica.

Prob. 1. ex ipso dicente: ei, quod est secundum quid tale, & ei, quod est simpliciter tale, in quantum tale, non est univocum commune illud, quod accipitur in eis secundum quid, & simpliciter; sed ens reale est simpliciter ens, & ens rationis solum est secundum quid ens: ergo non datur ens, quod sit utriusque univocum. Nec valet responsio, quam dedimus argumento 3. quæst. antec.; quia dum dicitur, quod ens rationis sit ens secundum quid, ly secundum quid, est destructivum totius entitatis formæ. Hoc constat ex verbis Doct.; nam per illam reduplicationem: *in quantum tale*, significavit, ens rationis non solum ut sic, sed etiam secundum suam peculiarem rationem, comparatum ad ens reale, dici ens secundum quid, ut excludat instantiam de accidenti, quod dicitur ens secundum quid, non absolutè, sed ut comparatum ad substantiam.

3. Prob. 2. conclusio: quando membra diuidentia comparantur ad aliquod commune prædicatum, ita quod tale prædicatum competat uni simpliciter, & absolutè: alteri verò solum competat, si concipiatur ad modum alterius membri dividèntis, tunc tale prædicatum non est ipsi univocum; sed ratio entis competit simpliciter en-

enti reali , non verò eanti rationis , nisi concipiatur ad modum entis realis : ergo , &c. Maior constat ; quia quando datur aliqua ratio , pluribus univoca , omnia inferiora univocata dicuntur talia per illam rationem communem ; non vero per similitudinem unius ad alterum. Minor patet ex dictis in Logica , agendo de ente rationis , quod consistit in quodam esse objectivo , realiter impossibili , concepto ad modum entis realis.

4 Confirmatur : ideo homo verus , & homo pictus non conveniunt univocè in ratione hominis ; quia homo pictus non dicitur *homo* per ordinem ad aliquam rationem communem humanitatis , in utroque repertam essentialiter , sed solum per ordinem ad hominem verum , ad cuius instar pingitur , sed ens rationis non suscipit denominationem entis à ratione communissima entis , sed solum ab ente reali , ut probatum manet in Logica : ergo sicut non datur ratio communis hominis , univoca vero , & picto , ita &c.

5 Prob. 3. conclusio : si daretur ratio communis entis univoca reali , & rationis , daretur minus ens ente rationis ; hoc est falsum : ergo. Probat. mai. : illa ratio communis ab utroque præscindens , esset mi-

nor ente rationis : ergo , &c. Prob. antec. : quodlibet superius est minus ens quocumque suo inferiori : etenim inferius dicitur rationem superioris , & ultra addit suam propriam perfectionem , ut de se patet ; sed illa ratio communis est quid superius utrique enti , & ens rationis est inferius ipsius : ergo illa ratio communis esset imperfectior ente rationis. Confirmatur 1. : hæc ratio communis reperiretur in ente reali ; nam quodlibet superius reperitur in suo inferiori : ergo in ente reali reperiretur aliquid imperfectius ente rationis , scilicet , hæc ratio communis ; quod est absurdum.

6 Confirm. 2. : hæc ratio communis , ut probatum est , esset minus perfecta ente rationis ; sed aliàs esset perfectior ipso : ergo non datur talis ratio communis. Prob. minor : omne id , quod , vel proximè , vel remotè potest à parte rei existere , est perfectius eo , quod sic existere non potest ; sed illa ratio communis potest existere à parte rei , saltim remotè ; ens verò rationis nullo modo : ergo talis ratio communis esset perfectior. Minor est per se nota. Minor quoad prim. part. est vera ; quia illud ens commune , semel contractum ad ens reale , à parte rei existeret. Quoad secundam part. est certa.

Solvuntur Argu- menta.

7 Arguitur 1. : omnis divisio incipit ab aliquo uno ; sed ens communissimè sumptum dividitur in ens reale , & rationis : ergo incipit ab aliquo uno univoco. Resp. disting. mai. : omnis divisio univoci in sua univocata , incipit , &c. , conc. mai. , æquivoci , in sua æquivocata , subdisting. mai. : incipit ab uno , unitate nominis tantum , conc. mai. : unitate nominis , & rationis significatæ per nomen , nego mai. : distinguo min. , & nego conseq. Divisio ergo entis communissimè sumpti in reale , & rationis est æquivoci in æquivocata , de quorum natura est , habere unitatem nominis tantum , non verò rationis significatæ per nomen , ut dictum manet in Logica.

8 Arg. 2. : omnis comparatio fit in aliquo univoco : sed ens reale , & rationis comparatur ab invicem in ente communissimè sumpto : ergo . &c. Prob. min. : ex dictis in 3. probatione conclus. ens rationis dicitur minus ens , ente reali : ergo &c. Resp. disting. mai. : omnis comparatio , propriè ta-

lis , fit in aliquo univoco , conc. mai. : comparatio abusiva , & impropria , nego maiorem : & distinguo min. eisdem terminis. Ens ergo reale , & rationis comparantur in ratione entis , sicut homo vivus , & mortuus , qui solum abusivè comparantur in ratione communi hominis.

9 Arg. 3. : magis distant inter se Deus , & creatura , quam ens reale , & rationis ; illa enim distant infinitè , hæc verò non ; sed Deus , & creatura invocantur in ratione entis : ergo & ens reale , & rationis. Resp. negando mai. Et maiorem probat. in sensu argumenti. Distantia ergo infinitatis inter Deum , & creaturam non tollit convenientiam realem utriusque in prædicato reali , ipsis univoco ; benè verò distantia inter ens reale & rationis. Quod patet ; quia aliàs , sicut Deus , & creatura , ex dictis in quæst. antec. , univocantur in ratione communi transcendentali entis , sic etiã à fortiori univocarentur in tali ratione , quod nec contrarij dicere audent : ergo quia , quoad univocationem agnoscunt maiorem distantiam inter ens reale , & rationis , quam inter Deum , & creaturam. Quod utiquè est verum.

10 Arg. 4. : omnis multitudo reducitur ad unitatem ;

tem; sed ens reale, & rationis sunt multa: ergo redduntur ad unitatem: ergo hæc unitas erit utrique univoca. Distinguo mai.: omnis multitudo redducitur ad unitatem, quæ sit aliquid illius multitudinis, vel extra illam, conc. mai.: quæ sit præcisè extra illam, nego mai. Non ergo omnis multitudo redducitur ad aliquod unum, quod sit extra illam multitudinem, seu quod nihil ipsius sit. Patet hoc in causa prima, & in causis secundis, quæ faciunt multitudinem; sed hæc non redducitur ad aliquod unum extra talem multitudinem; nam redducitur ad causam primam, quæ est aliquid illius multitudinis. Sic multitudo entis realis, & rationis redducitur ad unitatem entis realis, quæ est intra ipsam multitudinem.

II Arg. ultimò, & est fundamentum Scotist.: nedùm nomen ens, sed & ratio significata per ipsum est eadem in ente reali, & rationis: ergo ens est ipsis univocum. Prob. antec.: ratio significata per nomen *ens*, est, non repugnantia ad existendum; sed hæc est eadem in utroque: ergo, &c. Resp. negando antec. Ad prob. distingo mai.: ratio significata per nomen *ens*, est, non repugnantia ad existendum à parte rei, conc. mai.: ad existen-

dum, præcisivè ab eo, quod existentia sit à parte rei, vel per intellectum, nego mai., min., & conseq., in sensu distinctionis.

12 Respondent Scotistæ contrarij, quod ratio entis, transcendentalissimè sumti, non est formalitèr realis, nec formalitèr rationis, sed solum permissivè: sicut animal non est formalitèr rationale, nec formalitèr irrationale, sed tantum permissivè utrumque. Contra: implicat conceptus entis, qui non sit formalitèr ens reale, vel formalitèr ens rationis: ergo nulla est solutio. Prob. antec.: omni conceptui objectivo entis convenit, non repugnantia ad existendum à parte rei, vel ipsi repugnat talis non repugnantia; sed quodcumque dicatur, implicat conceptus entis, qui non sit formalitèr realis, vel rationis: ergo &c. Prob. min.: si dicatur, quod tali conceptui convenit, non repugnantia ad existendum à parte rei, erit formalitèr ens reale; quia hæc non repugnantia est ratio ipsius; sed aliundè, si ipsi repugnat talis non repugnantia, erit formalitèr ens rationis; nam per ens rationis intelligitur id, cui omnimodè repugnat existere à parte rei: ergo &c.

13 Dubitabis: an detur ens, univocum positivo, &

negativo? Ratio dubitandi est; quia privationes, & negationes verè afficiunt sua objecta à parte rei, ut negatio intellectio- nis in lapide, & privatio visus in oculo. Quarè, extra omnem operationem intellectus, dantur à parte rei hujusmodi privationes, & negationes. Hac ratio- ne plures asserunt, privationes, & negationes verè esse entia realia, licèt cum hoc addito *privativa, & negativa*: & consequenter tenent, ens reale ut sic esse univocum ipsis. Contra quos

14 Dico: *non datur ens reale commune univocum enti positivo, & negativo.* Prob.: ideò daretur tale ens; quia privatio, & negatio sunt entia realia, vel absolutè, vel cum addito dicto; sed utrumque est falsum: ergo. Maior est fundamentum contrariorum. Minor, quoad prim. part. ab omnibus ferè conceditur. Prob. quoad secundam: ens reale ut sic ex suo conceptu formali dicit quid positivum: ergo implicat ens reale negativum. Prob. antec.: positivum, & negativum opponuntur contradictoriè: ergo non solum opponuntur secundum rationem positivi, & negativi, sed etiam tamquam ens reale, & non ens reale, & consequ. &c. Prob. consequ.: oppositio contradictoria petit, quod extrema opponatur, ut pura affirmatio,

& ut pura negatio; sed ita opponuntur positivum, & negativum: ergo, &c. Prob. minor illa opponuntur ut pura affirmatio, & ut pura negatio, quorum unum ità directè opponitur alteri, quod unum tollat, quod alterum ponit; sed positivum directè ponit, quod negativum tollit, & econtra: ergo &c. Confirmatur: negativum directè tollit quiddam positivum ponit: sed in conceptu formali positivi involvitur ratio entis realis ut sic: ergo negativum tollit rationem entis realis ut sic: ergo non datur ens reale ut sic, præscindens à positivo. & negativo.

15 Argumenta, quæ hic objici poterant, ex doctrina conclus. antec. facile solvuntur. Sed ut aliqua specialia facilius solvantur, notate, quod privationes, & negationes reales solum abusivè dicuntur entia realia; quatenus vere afficiunt sua subjecta, independenter à consideratione intellectus; cæterum propriè loquendo sunt *realiter non entia*; quia nullam entitatem positivam important. Qui plura circa hoc voluerit, legat N. Bernique tractatu de Scientia Dei.

QUÆST. VII.

Per quid contrahatur ens ad sua inferiora?

1. **I**nferiora de quibus in præfenti sunt Deus, & creatura, substantia, & accidens; nam de alijs inferioribus quæst. sequenti. Et notate, quod quæst. non habet locum apud negantes præcisiones objectivas perfectas; nam isti dicunt, omnia inferiora entis, concipi saltim confusse in ipsomet conceptu claro, & distincto entis: & sic nulla est ibi contractio. Immo loquendo de Deo, & creatura, qui cum Matris negant realitatem entis ex natura rei distinctam à Deo, & creatura; consequenter, tenent non dari veram contradictionem entis ad Deum, & creaturam, sed solum quandam contractionem imaginariam, ab imperfecto modo concipiendi proveniente.

2. Sensus ergo quæst. est: an ens reale ut sic contrahatur ad Deum, & creaturam per differentias aliquas específicas, nobis pro statu isto ignotas, quas tamen circumloquimur, & quasi à posteriori cognoscimus per finitatem, & in-

finitatem, quæ sunt modi intrinseci Dei, & creaturæ: an verò contrahatur per ipsamet, finitatem, & infinitatem? Similiter: an contrahatur ad substantiam, & accidens per differentias proprias específicas utriusque, nobis pro statu isto ignotas, quasque circumloquimur per *perseitatem*, & *inakitatem*, quæ sunt modi intrinseci utriusque: an verò per istos? Matris cum suis tenet, ens contrahi ad Deum, & creaturam per modos intrinsecos, scilicet, per *finitatem*, & *infinitatem*: ad substantiam, & accidens per veras differentias utriusque. Sed.

3. Pro clariori intelligentia quæstionis, non erit abs re breviter examinare: quid sit modus intrinsecus: in quo discriminetur à differentia: & tandem, quomodo distinguatur à re, cujus est modus? Hæ difficultates lato calamo ab aliquibus examinantur: nos breviter. Quoad primum dico, quod Sabr. Doct. in 1. dist. 8. q. 4. n. 17. sic definit modum intrinsecum: *est qui non variat rationem formalem rei, cujus est modus*. Quæ definitio non melius explicari potest, quam assignando discrimen, & convenientiam inter modum intrinsecum, & differentiam, quæ est secunda difficultas.

4 Modus ergo intrinsecus, & differentia conveniunt in eo, quod neque ille, neque ista variant intrinsicè, & essentialitèr rationem formalem prædicati communis contrahibilis. Pater hoc in rationalitate, quæ est differentia contrativa animalis: & tamen non variat rationem formalem ipsius; quia animal, tam ante, quam post contractionem *est vivens sensibile*. Undè rationalitas cum ipso constituit unam quandam naturam essentialitèr distinctam ab omni eo, quod non est rationale. Quare, licèt differentia cum prædicato communi contracto, constituat novum esse, non tamen destruit prædicatum commune, sed ipsum perficit, & actuat. Similitèr modus intrinsecus non variat rationem formalem rei, cujus est modus, sed solum modificat talem rem, in suo esse specifico, vel individuali constitutam. Ex quo patet discrimen inter utrumque; nam differentia, ut pote gradus quidditativus, constituit novum esse, & quidditatem, à quidditate prædicati communis distinctam, non sic modus intrinsecus; quia iste supponit rem, jam constitutam. Ex quo soluta manet prima, & secunda pars difficultatis,

5 Quoad tertiam fatentur omnes Scotistæ, mo-

dum intrinsecum, non distinguuntur realitèr à re, cujus est modus; aliàs esset modus extrinsecus, qui nihil aliud est, quam *relatio extrinsecus adveniens subjecto, quod afficit, & à quo realitèr distinguitur*. Communior ergo Scotistarum sententia docet, modum intrinsecum distinguunt formalitèr ex natura rei à re, cujus est modus, non distinctione formali absolute tali, sed modali. De hac distinctione modali, infra Disput. 3. His præsuppositis. Sit

6 Conclusio: *ens reale ut sic, contrahitur ad Deum, & creaturam: similiter, ad substantiam, & accidens; per suas proprias respectivè differentias*. Conclus. quoad secund. part. est communis: quoad prim. est contra negantes realitatem entis, & plures ipsam admittentem. Prob. breviter: idè ens contrahitur ad substantiam, & accidens per veras differentias, quia est genus respectu ipsorum; sed etiam est genus, respectu, Dei, & creaturæ, sumpto genere modo explicato in Logica de Antepredicamentis, & quæst. 4. per totam hujus Disput.: ergo ens contrahitur ad Deum, & creaturam per differentias. Confirm.: quod præsupponit rem aliquam in suo esse specifico, & essentiali constitutam non contrahit ad talem rem rationè aliquam communem

essentialiam; sed, juxta omnes Scotistas, modus intrinsecus, supponit rem, cujus est modus, in suo esse specifico, & essentiali constitutam: ergo non contrahit ipsam; & consequenter, &c.

7 Omnia argumenta, quæ contra hanc prim. part. conclus., in qua est difficultas, obijciuntur, non aliud intendunt probare, quam, quod, si ens contraheretur ad Deum, & creaturam per proprias differentias, jam Deus constaret genere, & differentia, & consequenter esset metaphysice compositus. Sed quia hoc abunde manet explicatum in hac Disput. quæst. 4. per totam, maxime à num. 50., modò ab hoc superfedemus. Sit ergo.

QUÆST. ULTIM.

An ens reale ut sic includatur quidditative, & formaliter in differentijs ultimis, modis intrinsecis, & proprijs ejus passionibus?

SENSUS difficultatis, quæ valde conducit pro intelligentia dictorum, & dicen-

dorum, est: an ratio objectiva entis formaliter includatur, non solum in inferioribus, quæ directè respicit, ut sunt genera, species, individua, & partes essentialia ipsorum, ut sunt materiæ, & formæ; sed etiam in modis intrinsecis, differentijs ultimis, & proprijs passionibus; ita ut sicut hæ prædicationes: *Deus est formaliter ens: Petrus est formaliter ens: materia est formaliter ens*, sunt essentialia, & quidditative; sic etiam istæ: *infinitas est formaliter ens: unitas est formaliter ens: rationalitas est formaliter ens*. Si hoc secundum pars affirmativa quæst. est vera; secus si est falsum. Sed, ut melius intelligatur.

2 Notate 1., quod composita ex genere, & differentia, quædam sunt ex materia, & forma physica: quædam verò non. Illa quæ non sunt physicè composita, ut Angeli, & accidentia spiritalia sunt, unius simplicis naturæ in linea physica, licet sint metaphysicè composita. In istis ratio generis, & differentie desumitur ab eadem forma, licet non ab eadem realitate metaphysica, sed à duplici, quarum una est potentialis, & altera perficiens. In physicè compositis cum distinctione est loquendum; nam quædam sunt composita ex materia & una tantum forma physica, ut sunt non viventia. In his ratio

generis, & differentiae desumitur ab eadem indivisibili forma physica; à duplici tamen formalitate metaphysica, ut dictum est de Angelis, & accidentibus. Alia sunt physice composita, quae habent plures formas physicas subordinatas, ut sunt viventia corporea, quibus inest forma corporeitatis. In his ratio generica corporis desumitur à forma corporeitatis, & ratio differentiae, scilicet viventibus; vel animalis desumitur ab anima.

3 Undè differentia alia est ultima, & alia non ultima. Differentia ultima est illa, quae desumitur ab una realitate omninò simplici, & irresolubili in alias. Hoc modo in physice simplicibus, ut Angeli, & accidentia; & in physice compositis ex materia, & tantum forma, ut sunt inanimata, in quibusque ratio generis, & differentiae desumitur ab eadem forma physica, secundum tamen diversas realitates metaphysicas ipsius: in his ergo omnibus differentia, quae in ultima realitate actuali desumitur dicitur, & est differentia ultima. Differentia non ultima est illa, quae desumitur à forma, ulterius resolubilis in plures alias formalitates.

4 Quae in viventibus corporeis, in quibus ratio generica corporis desumitur à distincta forma, à qua desumitur

differentia viventis; vel animati, vivens, vel animatum erit differentia non ultima; & consequenter erit formaliter ens: & tunc rationalitas erit differentia ultima; quia desumeretur ab eadem forma, scilicet, ab Anima; à qua desumitur suum genus, scilicet, vivens sensibile. Si autem in hominè sint tres animae realiter distinctae, tunc vegetabilitas, sensibilitas, & rationalitas essent differentiae non ultimae; quia desumerentur à diversis formis ab illa, à qua desumitur suum genus. Res sanè difficilis explicari, sed hic est clarior modus.

5 Notate 2. cum aliquibus Scotistis, quod differentia alia est ultima ultimate *specificationis*, & alia ultimate *determinationis*. Differentia ultima ultimate specificationis est illa qua res aliqua ultimate essentialiter differt ab omni non ipsa: sic rationalitas in homine & non sensibilitas, est differentia ultima. Differentia ultima ultimate determinationis est illa quae non est ulterius contrahibilis per aliam differentiam, minus communem: hoc modo haecceitas in omnibus rebus sive physice simplicibus, sive physice compositis, ex differentia ultima.

6 Notate 3. quod, dum inquiritur: an ens reale includatur formaliter in differentia

tia ultima. Seu, quod idem est: an differentia ultima sit formalitèr ens? Non est sermo, de differentia pro materiali, seu in concretò sumpta; nam rationale v. g., quod est differentia in concretò, supponit pro habente rationalitatem, & sic est formalitèr ens. Undè quæst. est de differentia in abstracto: an scilicèt rationalitas sit formalitèr ens? Notate 4., quod omnes concedunt, rationem formalem entis includi formalitèr, & quidditativè in omnibus generibus, speciebus, & individuis, nec non in partibus essentialibus individuorum: & solùm dubitant de differentijs ultimis, modis intrinsecis, & passionibus entis, inquirendo: an ista sint formalitèr entia: an solùm identicè, & realitèr ratione identitatis realis cum tertio?

7 Notate tandem, quod licèt Scotistæ conveniant in eo, quod ratio formalis entis non includatur formalitèr in ipsis, dicunt tamen, hoc debere intelligi de ente quidditativo, contrahibili, & determinabili, ut sunt genus, & species; non verò de de ente qualificativo, seu in *qualequid dicto*, ut est quælibet differentia. Undè distinguunt ens in *formalltèr quid*, & in *formalitèr quale*. Ità Nost. Cabellus in annotatione ad quæst. 21. de Anima: Faber Theoremate 95.: Merinerus, Rodri-

quez, & alij Scotistæ in manu-scriptis. De hoc aliqua in fine quæst. Nunc contra Thomist., Nominales, & Jesuitas, sit

CONCLUSIO:

8 *Ens reale; ut sic, non includitur formalitèr, & quidditativè in differentijs ultimis, modis intrinsecis, nec passionibus entis.* Est Doct. in 1. dist. 3. quæst. 3. num. 8., & quæst. 4. num. 6. Prob. 1. ex ipso: si ultima differentia, rationalitèas v.g., contractiva entis, dicit aliquid aliud præter rationem formalem entis, quam formalitèr includit; vel non? Sed quodcumque dicatur tenet nostra Conclusio: ergò, &c. Prob. min.: dato, quod ultima differentia sit formalitèr ens, non possunt negare adversarij, quod includat aliquid aliud præter rationem formalem entis; sed si includit aliquid aliud, tenet conclusio: ergò, &c. Maior constat; quia si differentia ultima nihil includeret præter rationem formalem entis, iam non esset differentia entis, neque ratio distinguendi unum ens ab alio: ergò debent fateri, quod includit aliquid aliud, præter rationem formalem entis.

9 Nunc prob. min. eo

ipso, quod differentia ultima includat aliquid aliud præter rationem formalem entis: vel hoc aliud est formaliter ens, vel non? Primum est inconueniens. Si secundum, est nostrum intentum: ergo quodcumque dicatur, &c. Prob. minor quoad prim. part.: de hoc alio, quod includit præter ens, iterum quaero: vel est formaliter ens, vel non: & sic usque in infinitum; sed inconueniens est dari processum in infinitum: ergo, & quod illud aliud sit formaliter ens. Prob. eadem min. quoad secundam partem: si illa differentia, quæ, juxta contrarios est formaliter ens, nihil aliud includit præter ens: ergo datur differentia, quæ non includat formaliter ens; sed hæc est differentia ultima: ergo differentia ultima non est formaliter ens. Eodem modo prob. de modis, & passionibus.

10 Quod ex sententia Contrariorum inferatur, quamlibet differentiam ultimam includere aliquid aliud, præter rationem entis, sic prob.: ultimæ differentia differunt inter se, & simul faciunt differre illas res, quarum sunt differentia; sed non differunt inter se in ratione formali entis: ergo includunt in se aliquid aliud, per quod inter se differunt. Maior est per nota. Prob. minor:

implicat, quod aliqua plura inter se differant in illa ratione formali, in qua inter se conueniunt; alias contradictoria essent simul vera; sed differentia ultimæ, juxta Contrarios, conueniunt in ratione formali entis: ergo non differunt in ea: ergo tenentur dicere, quod illa ratio, in qua differunt, non sit formaliter ens; alias reddidit idem argumentum. Certè Thomistæ fatentur, hanc rationem esse satis molestam.

11 Confirm. 1.: si ultimæ differentia essent quidditative, & formaliter entia, essent, & non essent ultimæ differentia; sed hoc repugnat: ergo. Prob. mai.: in primis essent ultimæ, ut supponitur; sed aliud non essent ultimæ: ergo, &c. Prob. min.: ultimæ differentia sunt illæ, quæ ita differunt, & faciunt differre, quod nullam habeant rationem conueniendi in linea, in qua sunt ultimæ; sed eo ipso, quod includant rationem formalem entis, in tali ratione conuenirent: ergo non essent ultimæ. Confirmatur 2.: Petrietas, & Pauleitas v.g., sunt differentia ultimæ individuales; sed istæ non includunt formaliter ens: ergo, &c. Prob. minor: si includerent formaliter ens, Petrietas non distingueretur à Pauleitate; nam, vel distingueretur per rationem entis, vel per aliam

rationem contractivam; non primum, quia in ratione entis conveniunt; neque secundum; quia de ista alia ratione queritur: an sit formaliter ens, vel non? Et sic, vel dabitur processus in infinitum, vel deveniendum erit ad aliquam differentiam, quae non sit formaliter ens, quodque est nostrum intentum.

12 Prob. 2. conclusio ex Doct. citato: sicut compositum physicum ex materia; & forma componitur per se actu, & ex per se potentia, sic conceptus compositus per se unus, componitur ex conceptu potenciali, & actuali, sive ex conceptu determinabili, & determinante; sed compositum physicum ita resolvitur in actum, & in potentiam ultimam, quod potentia non includat aliquid illius actus, nec è contra: ergo conceptus compositus per se unum ita resolvitur in conceptum determinabilem, & determinantem, ut conceptus determinans non includat aliquid conceptus determinabilis, nec è contra. Modo sic; sed conceptus determinans est ultima differentia contrahens, & conceptus determinabilis est ens contrahibile: ergo differentia ultima non includit aliquid entis: ergo non est formaliter ens.

13 Prob. 3. de passionibus entis: si unum, passio entis, includeret quidditative, & essentiali-

ter ens, non includeret praecise ens: ergo includeret ens, & aliquid aliud. Antec. contrit; quia implicat, quod aliquid sit passio sui ipsius; alias esset prius, & posterius se ipso; sed si unitas includeret praecise ens, & nihil aliud, idem esset passio sui ipsius: ergo unum includit aliquid aliud praeter ens. De hoc alio reddit argumentum factum de ultimis differentiis. Has, & alias duas rationes probativas de passionibus, adductas à N. Subt. Doct. ex Philos., videte, & attentè considerate in ipso citato; nam magnam vim faciunt; & & quamvis omnes istae rationes adductae aequè probent de modis intrinsicis, ac de ultimis differentiis, & passionibus, tamen.

14 Prob. breviter de modis intrinsicis: sicut modi extrinseci non sunt res, neque entitates, proprie loquendo, sed solum modi rerum, & entitatum, ut fatentur Adversarij; ita priori titulo modi intrinsici non sunt proprie res, nec entitates, sed solum modi rerum, quas modificant: ergo modi intrinsici non essentialiter, & in recto entia. Dixi *potiori titulo*; quia modi extrinseci distinguuntur realiter à rebus, quas modificant, non sic modi intrinsici.

15 Ante argumenta notate, quod, licet modi intrinsici, ultimae differentiae, & passionibus entis non sint forma-

litèr entia; ità ut valeat dice-
re: *bonitas est formalitèr ens: uni-
tas est formalitèr ens: petreitas
est formalitèr ens*, sunt tamen
entia realitèr, & identicè; ità
ut in sensu identico sint verè
præfatæ propositiones, quamvis
falsæ in sensu formali. Ratio
rotius est, quia differentiæ ul-
timæ identificantur realitèr cum
rebus, quas constituunt; passio-
nes cum subjecto, à quo pul-
lulant; & modi intrinseci cum
rebus, quas modificant: ergò
propter identitatem realem ipso-
rum cum entibus, sunt realitèr,
& identice entia.

dum part. & negando conseq.
Ad prob. nego antec. Ratio est;
quìa omne per se intelligibile
latius patet, quam esse forma-
litèr ens; nam, ut sit per se
intelligibile, sufficit, quod sit
realitèr, & identicè ens, seu
ratione tertij, ut docet Doct.
in 1. dist. 3. quæst. 3. §. *Quan-
tum ad secundum articulum*. Et
hoc modo differentiæ ultimæ, &
passiones sunt identicè entia; &
consequentèr per se intelligibi-
les, non sic modi intrinseci;
quìa isti nequeunt intelligi sine
re cujus sunt modi. Undè fal-
sum est primum antec. quoad
tertiam partem.

Solvuntur Argu- menta.

16 **A**RG. 1.: ultimæ
differentiæ, pas-
siones, modique
intrinseci entis sunt per se intel-
ligibiles: ergo sunt formalitèr
entia. Antec. est Doct. pluribus
in locis. Prob. conseq.: omne
intelligibile est formalitèr ens: g.
cum ultimæ differentiæ, &c.,
Scotistæ admittentes divisionem
entis in *quid*, & *quale*: distin-
guunt antec. probat: omne intel-
ligibile est formalitèr ens *quid*,
vèl *quale*, concedunt; *quid* præ-
cisè, negant. Resp. tamen, conc.
antec. quoad prim., & secun-

17 Arguitur 2.: ens
est quid transcendens; sed tran-
scendentia dicit inclusionem con-
ceptus transcendentis de suis in-
ferioribus: ergò includit ultimas
differentias, passiones, & mo-
dos intrinsecos. Respondeo, con-
cessa maiori distinguendo min.:
sed transcendentia dicit inclu-
sionem in suis inferioribus, quæ
directè respicit, conc. min.: quæ
respicit indirectè, & lateralitèr,
subdistinguo minorem: dicit
inclusionem realem, & identi-
cam, conc. min.: formalem, &
quidditativum, nego minor, &
consequentia. Solutio satis constat
ex dictis de differentia in-
feriorum entis.

18 Arg. 3. : illud , cui
convenit definitio entis , est
formaliter ens ; sed definitio en-
tis realis convenit ultimis dif-
ferentijs (idem dic de passio-
nibus , & modis intrinsecis :)
ergo sunt formaliter entia.
Prob. min. : definitio entis real-
is , est , non repugnantia ad
existendum à parte rei ; sed ul-
timæ differentiæ habent non re-
pugnantiam ad existendum à
parte rei : ergo , &c. Resp. ,
concessa mai. , negando mino-
rem. Ad probat. distinguo min. :
sed ultimæ differentiæ habent non
repugnantiam ad existendum à
parte rei : identicè , & ratio-
ne illius cujus sunt differentiæ,
conc. min. : ad existendum à
parte rei secundum suam ratio-
nem formalem , præcisè ins-
pectam , nego min. , & conseq.

19 Replicabis : sed ul-
timæ differentiæ habent non re-
pugnantiam ad existendum à par-
te rei ex sua ratione formali :
ergo nulla est solutio. Probat.
minor : quod est aliquid habet
non repugnantiam ad existen-
dum ex sua ratione formali ;
sed ultimæ differentiæ sunt ali-
quid : ergo. Maior constat ; quia
ens , & aliquid sunt termini
sinonimi. Prob. minor ; quod
non est nihil est aliquid ; sed
differentiæ ultimæ non sunt ni-
hil ; cum sint contractivæ entis :
ergo , &c. Resp. negando min.

Ad probat. distinguo mai. : quod
est aliquid formaliter habet non
repugnantiam , &c. concedo
mai. : quod est aliquid tantum
identicè , nego mai. : inverfis
terminis distinguo min. , & ne-
go conseq. Et distinguo mai.
probat. : quod non est nihil , est
aliquid , vel formaliter , vel
identicè , concedo mai. : præ-
cisè formaliter , nego maiorem.
Itaque inter esse formaliter ens,
& esse formaliter nihil datur
medium , scilicet , *esse identicè
ens.*

20 Arg. 4. , & est
replica contra solutionem : una
istarum propositionum : *diffe-
rentiæ ultimæ sunt formaliter en-
tia : differentiæ ultimæ sunt for-
maliter non entia* : est necessa-
riò vera ; sed secunda est falsa ;
ergo prima est vera ; sed pri-
ma affirmat , differentias ul-
timas esse formaliter entia : er-
go sunt. Prob. maior : ex dua-
bus propositionibus contradicto-
rijs una necessariò est vera , sed
prædictæ propositiones sunt con-
tradictoriæ : ergo. Resp. negan-
do mai. , & minorem proba-
tionis. Ratio est ; quia contra-
dictio propria requirit , quod
id , quod in una propositione
affirmatur de subjecto , negetur
de eodem subjecto in alte-
ra propositione : non sic se ha-
bent prædictæ propositiones ; nam
secunda est affirmativa de præ-
dicato infinito ; quia negatio

non cadit supra copulam , sed supra prædicatum. Si autem negatio in illa secunda propositione poneretur supra copulam, dicendo : *differentiæ ultimæ non sunt formalitèr entia* ; tunc hæc esset vera , & prima falsa.

21 Arg. 5. : inter ens , & non ens non datur medium ; sed differentiæ ultimæ non sunt non entia : ergo sunt entia. Maior constat ; quia inter contradictoria simplicia , sive incomplexa , quæ sunt ens , & non ens non datur medium. Resp. distinguendo mai. : inter ens , & non ens , absolutè enuntiata , non datur medium , conc. mai. : enuntiata cum aliquo syncategoremate , nego mai. Eisdem terminis distinguitur probatio , Inter contradictoria ergo enuntiata cum syncategoremate , necessariò datur medium , ut patet in istis : *homo est per se albus : homo est per se non albus* ; quarum utraque est falsa. Idem de ente relatè ad differentias , si addatur hoc syncategorema *formalitèr* : & sic istæ sunt falsæ : *ultima differentia est formalitèr ens : ultima differentia non est formalitèr ens*. Hæc doctrina expressè habetur in Doct. quæst. 21. de Anima , num. 13. circa medium. Vide ibi.

22 Arg. 6. : quod est alicui ratio essendi ens , est formalitèr ens ; sed ultima diffe-

rentia , rationalitas v. g. , est alteri ratio essendi ens : ergo est formalitèr ens. Idem dic de modo intrinseco. Resp. distinguendo maiorem : sed ultima differentia est alteri ratio essendi *tale ens* , conc. min. : ratio essendi *absolutè ens* , nego min. Ultimæ ergo differentiæ non sunt rationes formales , quibus constituta per ipsam sunt formalitèr entia , sed solùm *talia entia*. Quarè , dum quis dicit *tale ens* , duo dicit : & *ens* , quod habetur ab ipso ante , & *talitatem* entis , quæ habetur à differentia. Patet hoc ; nam , *rationalitas v. g.* , non est ratio formalis , qua homo est *animal* ; quia talis ratio formalis est ipsummet animal ; benè verò est ratio formalis , qua homo sit *tale animal* , scilicet , *rationale*. Idem dic de omnibus differentiis ultimis.

23 Arg. 7. : illa sunt formalitèr entia , in quibus reperiuntur passiones entis ; sed istæ reperiuntur in differentiis ultimis &c. : ergo. Prob. minor : omnis ultima differentia est una , vera , & bona ; sed unitas , veritas , & bonitas sunt passiones entis : ergo &c. Confirm. : ipsamet unitas , quæ est passio entis , est vera , & bona : ergo unitas habet passionem entis : ergo est formalitèr ens ; & consequentèr , &c. Resp. negando min. Ad prob. distinguo

quo min. omnis ultima differentia est una, vera, & bona identicè, & realitèr, conc. mai. formalitèr, nego mai. Eodem modo responderetur ad confirmationem. Differentia ergo, & passionis entis sunt entia eo modo, quo rationem entis participant; sed quia istam non participant, nisi per identitatem realem, quam habent cum tertio, ideò solùm identicè, & nuncupativè dicuntur, & sunt entia.

24 Replicabis: illud est formalitèr unum, quod habet suam peculiarem existentiam; sed ultima differentia habet suam peculiarem existentiam: ergo est formalitèr una; & consequentèr formalitèr ens. Probat. minor: quod habet suam peculiarem essentiam, habet quoque peculiarem existentiam; sed ultimæ differentię habent suam peculiarem essentiam: ergo & existentiam. Minor constat; quia omnis ultima differentia est formalitas metaphysica, dicens suam essentiam, & existentiam. Scotistæ, negantes cum Mastro, gradus metaphysicos habere suam propriam existentiam, faciliè respondent, negando minorem, & maiorem probationis. Sed quia nos, ex dicendis infra, agendo de essentia, & existentia, contrarium dicemus, ideò

25 Resp. distinguendo mai.: illud est formalitèr unum, quod habet suam peculiarem existentiam physicam, sive ista sit completa, sive non, conc. mai.: quod habet peculiarem existentiam metaphysicam tantum; sub-distinguo mai.: si illud sumatur in concreto, conc. mai.: si sumatur in abstracto, nego mai. Eisdem terminis explicatur minor, & probatio. Itaque, si existentia sumatur in eo rigore, in quo solùm convenienter termino producibili, vel creabili, sic non convenit gradibus metaphysicis; benè verò si sumatur magis amplè, hoc est, pro existentia proportionabili essentię metaphysicę: sed sic sumpta existentia, non constituit rem formalitèr unam. De hoc amplius loco citato.

26 Arg. 8.: omnis substantia est formalitèr, & quidditivè ens; sed ultima differentia, v. g. rationalitas, est substantia: ergo, &c. Prob. min. ex Aristot. 1. Physic. cap. 6. ubi ait: *ex non substantia, non fit substantia*; sed ex rationalitate fit substantia: ergo est substantia. Minor constat; quia ex rationalitate, & animalitate fit homo, qui est substantia. Resp., concessa mai., distinguendo minorem: sed differentia ultima est substantia identicè, conc. min.: formalitèr, nego min. Ad probat. explico mai.:

ex non substantia, nec formaliter, nec identicè, non fit substantia, conc. mai.: ex non substanti formaliter, identicè tamen tali, nego mai. Sensus ergo Aristot. est, quod ex illo, quod non est substantia, nec formaliter, nec identicè, non fit substantia; benè verò ex illo, quod identicè est substantia. Undè rationalitas est differentia substantialis, quamvis non fit formaliter substantia.

27 Arg. 9.: quod est superius respectu aliquorum, includitur formaliter in ipsis; sed ens est superius ad suas passiones, & ultimas differentias: ergo. Respondeo negando min. quoad prim. part.; quia ens, & quælibet passio ipsius convertuntur ab invicem, quæ conversio non convenit superiori, & inferiori: non enim valet: *est animal: ergo homo*, & sic ens non est superius ad suas passiones. Et distinguo ipsam, quoad secundam: sed ens est superius ad ultimas differentias: & istas tantum lateraliter, & indirectè respicit, conc. minorem: & ipsas respicit directè, nego min. Solutio patet ex multoties dictis, maximè in Logica, agendo de ponibilibus in prædicamento.

28 Arg. 10.: Aristot. 3. Metaphys. text. 10. docet, ens non esse genus. Cujus ra-

tio est hæc: ens includitur essentialiter in omnibus differentiis, & modis, quibus contrahitur; sed repugnat, quod genus ita includatur in suis contractivis, ut patet ex 6. Topycorum, cap. 3.; ergo ens non est genus. Nunc sic; sed, si hæc ratio Aristot. concludit, probat, quod ens includitur essentialiter in differentiis, & modis contractivis ipsius: ergo, &c. Resp. ex Doct. in 1. dist. 3. quæst. 3., quod autoritates Philosophi in illo loco parvi ponderis sunt. Ratio est, quia in toto illo Libro nihil assertivè docet, sed tantum hinc indè ad utramque partem problematis disputivè procedit, ut in sequentibus postea suam mentem apperiat. Immo Doct. in expositione istius Libri tertij appellat sophisticam.

29 Arg. 11.: per ens formaliter sumptum, nihil aliud intelligitur nisi id, quod existit, vel existere potest, sive hoc ipsi conveniat ex sua ratione formali, sive per identitatem cum aliquo tertio; sed differentie ultime aliquatè existunt: ergo sunt formaliter entia. Potest negari maior; quia per ens, formaliter sumptum intelligitur id, quod ex sua ratione formali est ens, & non tantum per identitatem cum alio, ut sunt ultimæ differentie. Sed respondeo disting. consequens: ergo dif-

Differentiæ ultimæ sunt formalitèr entia, prout ly *formaliter* significat, rationem formalem entis ipsi convenire, non ex sua ratione formali, sed ratione tertij, omitto conseq. : prout ly *formaliter* significat, rationem formalem entis convenire differentijs ex sua ratione formali, nego consequentiam. Ex præmissis ergo solum infertur hæc consequentia : ergo *differentiæ sunt aliqualitèr entia* ; quæ vera est, sed non ad rem.

30 Arguitur deniquè : omne prædicatum univocum includitur essentialitèr in suis univocatis ; sed ens est prædicatum univocum, non solum respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis ; sed etiam respectu differentiarum, modorum, & passionum entis : ergo ens includitur essentialitèr in istis ; & sic sunt essentialitèr entia. Resp. dist. mai. : omne prædicatum univocum, & *univocè dictum*, includitur, &c., conc. mai. : prædicatum univocum, *sed non univocè dictum* nego mai. ; & distingo minorem : sed ens est prædicatum univocum, *sed non univocè dictum de omnibus*, conc. min. : est univocum, & *univocè dictum*, nego min., & conseq.

31 Explicatur solutio : aliqd ergo est prædicatum uni-

vocum, & aliud univocè prædicari ; nam omne, quod prædicatur univocè, est univocum prædicatum ; sed non omne univocum prædicatum prædicatur univocè. Ratio est ; quia quod prædicatur univocè, quidditativè, & essentialitèr includitur in illis, de quibus prædicatur. Ita prædicatur ens de ente increato, de decem generibus, de omnibus speciebus, de individuis, & de partibus essentialibus physicis istorum. Illud verò, quod tantum est univocum prædicatum, non includitur quidditativè in univocatis : sic album v.g., est prædicatum univocum respectu nivis, & lactis ; sed de nullo istorum prædicatur essentialitèr, sed solum accidentalitèr.

32 Undè illud, quod nos, Scotistæ, appellamus *prædicatum univocum*, & *univocè dictum* ; ab alijs appellatur *univocum essentialè* ; quia prædicatur de subjectis, non solum secundum nomen, & rationem, significatam per nomen, sed etiam quidditativè, & essentialitèr, ut genus de suis speciebus : & species de suis individuis. Et quod nos vocamus *prædicatum univocum*, *sed non univocè dictum* ; appellatur ab alijs *univocum accidentale* ; quia, licèt de suis subjectis prædicetur secundum idem nomen, & secundum eandem rationem non tamen præ-

prædicatur essentialitèr, sed accidentalitèr, ut patet in exemplo de nive, & lacte. Circa hanc divisionem, sic, vel sic explicatam, videatur expressè Doct. in 1. dist. 3. quæst. 3. per totam. Undè non est audiendus Nost. Faber Theoremate 95. cap. 4.

33 Pro complemento quæst., inquires: quodnam ferendum sit iudicium de illa divisione entis *in ens quid*, & *ens quale*? Per hanc divisionem entis, quam defendunt plures Scotistæ, ut dixi num. 7. hujus, solvunt omnia argumenta hujus quæst., dicendo, quod ens *quale* includitur in ultimis differentijs, passionibus, & modis intrinsicis: non autem *ens quid*. Nunc autem quæritur: quid de hac divisione sentiamus? Dico, quod, si per ens quale intelligent Scotistæ aliquam formalitatem ex natura rei distinctam ab ipsamer differentia, & in ipsa realitèr inclusam; tunc talis divisio est omninò inutilis. Ratio est; nam tunc ex integro reddunt rationes probativæ conclusionis. Inquiritur enim: an

ultima differentia secundùm illam formalitatem entis qualis, quam includit, includat essentialitèr aliud ens quale; & sic usque infinitum: an verò standùm sit in aliqua differentia; quæ non includat ens quale? Et tunc hæc erit ultima differentia, de qua procedit quæstio: ad nihilumque valebit eorum divisio.

34 Si autem intelligent per ens quale ipsammer formalitatem ultimæ differentia, formalitèr, & intransitivè sumptam, & ulterius irresolubilem in alias formalitates; tunc benè dicunt; nam certum est quod differentia prædicatur *in quale essentialè*, sicut & proprium *in quale necessarium*, ad distinctionem generis, & speciei, quæ prædicantur *in quid*. Attamen tunc quæstio inter Scotistas esse merè de nomine; quia idem formalitèr significaretur per ens *quale*, ac significatur per ultimam differentiam: & quod de ista dicitur diceretur de illo. Undè in hoc ampliùs non est immemorandum.

DISP. II.

DE PASSIO-

nibus en-

tis.

HABITA notitia de ratione communissima entis, de illius unitate, prædicatione. & inclusione, nunc ordo doctrinæ postulat, ut de ejus proprietatibus, & passionibus agamus. Sed prius quam de ipsis in particulari descendamus, aliqua de passionibus entis in communi dubia proponemus. Sit ergo

QUÆST. I.

Resoluntur dubia de passionibus entis in communi.

DUBITABIS. 1. : an ens reales ut sic, habeat passiones veras, & reales? Quamvis om-

nes tenentes, metaphysicam esse scientiam, ex consequenti doceant, ens habere passiones de ipso demonstrabiles, median- tibus istis primis principijs: *quodlibet est, vel non est: impossibile est, idem simul esse, & non esse: omne, quod est, quando est, necessariò est*; non tamen conveniunt in explicanda natura passionum. Nam quiddam dicunt, ens habere passiones, sed non veras, sed tantum rationis, ita ut nihil superaddant enti, nisi quid rationis. Sic quamplures Thomistæ, à quibus parum differunt Recentiores, post Suarezium. Sed.

Dico: *ens reale, ut sic, habet passiones reales, & positivas.* Est omnium Scotistarum. Prob.: in primis ens habet passiones veras; sed alias ite sunt reales, & positivæ: ergo, &c. Præmissæ sunt probandæ. Prob. min.: ens reale ut sic, est objectum adæquatum Metaphysicæ, ex dictis in prima q. processuali hujus: ergo habet veras passiones. Prob. conseq.: secunda conditio: requisita ad objectum adæquatum alicujus scientiæ, est, quod habeat passiones de ipso demonstrabiles per ejus *quodlibet*, hoc est, per definitionem: ergo, si ens reale ut sic est objectivum Metaph. habet veras passiones, de ipso demonstrabiles. Nunc prob. minor supra posita quoq. prim. part.: si

passiones entis non essent reales, Metaphysica demonstrativè ostendens passiones de ente, tamquam de suo subjecto, non esset scientia realis; sed hoc contra omnes, qui concedant, Metaphys. esse scientiam: ergò passiones entis sunt reales.

3 Prob. tandem eadem minor quoad ultimam partem, scilicèt, quod passiones entis sint positivè: passiones entis important aliquam perfectionem secundariam, consequentem ad perfectionem primariam, ut patet in omni proprietate, quæ est de intrinseca ratione sui subjecti in secundo modo dicendi per se; sed perfectio, etiam si sit secundaria, non consistit in negativo, sed potiùs in positivo: ergò passiones entis sunt positivæ. Hoc ampliùs explicabitur infra quæst. 2., inquirendo: an unitas, quæ est passio entis, consistat in positivo, vel in negativo?

4 Dices 1. contra secundam partem conclusionis: passiones entis sunt extra essentiam entis, ut patet in qualibet passione, respectu sui subjecti: ergò passiones entis non sunt reales, Prob. consequ. : si essent reales, essent entia realia; sed ens reale non est extra essentiam entis realis: ergò, &c. Resp. ex dictis quæst. ultima. Disput. antec., negando con-

seq. Ad probationem distinguo mai.: si essent reales essent entia realia, realitèr, & identicè, conc. mai.: formalitèr, nego maiorem. Et distingo minorem: sed ens reale, formalitèr tale, non est extra essentiam entis realis, conc. min.: ens reale, identicè tale, nego min., & consequ. Solutio constat ex dictis loco citato.

5 Dices 2. contra idem: quod est quasi tale, non est tale, sed iuxta Avicenam 1. Metaphys., passiones entis sunt quasi tales: ergò non sunt tales: ergò nec reales. Maior constat; quia particula quasi est distrahens. Resp. distinguendo mai.: quod est quasi tale, sumpto ly quasi distractivè, non est tale, conc. mai.: sumpto ly quasi confirmativè, nego maiorem: distingo minorem, & nego consequ. Particula ergò quasi interdum est distractiva, ut in illo Ecclesiastici cap. 24. : ego quasi vitis fructificavi; interdum est confirmativa, ut in illo Ioann. 1. : vidimàs gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, id est, verè Unigeniti à Patre. Videatur Calepinus verbo quasi, ubi testatur, Authores profanos usurpasse ly quasi pro ly verè. Argumenta contra tertiam partem conclus. solventur quæst. sequenti.

6 Dubitabis 2. : quot sunt passiones entis? Notate, quod

passiones entis, aliæ sunt simpliciter, aliæ verò disjunctivæ; ut actus, & potentia; necessarium, & contingens; idem: & diversum. De istis passionibus disjunctis, seu complexis non agimus in præsentibus; nam de actu, & potentia sufficienter actum est in physica, maximè in lynea physica; nam de potentia logica, & objectiva, actuque entitativo, seu existentia- li dicemus Disput. sequenti. De necessario, & contingenti sufficienter actum est in Animastica, tractando de radice libertatis creatæ. Similiter de eodem, & diverso egimus in proemialibus Logicæ: & quamvis ibi promissimus tractare hic exposuimus de identitate, & distinctione; tamen tum, quia ibi dicta sufficiunt pro captu Tyrorum; tum, quia in varijs partibus cursus egimus, & agemus de distinctione formali, merito ab hac proluxa Disput. abstinemus. Undè in præsentibus dubio solum agimus de passionibus simplicibus entis.

7 8 Dico, quod sunt tres, scilicet: unitas, veritas, & bonitas. Prob.: breviter: habent enim omnes conditiones requisitas ad esse tales; nam addunt aliquid supra ens, quod non est de essentia entis: nec ipsum perficiunt intra lyneam formalis entis. Deindè conse-

quantur ens per emanationem; nam ab ipso pullulant. Et tandem, adæquatè conveniunt omni enti; cum ipsoque convertuntur: ergo habent omnes conditiones, &c. Aliqui addunt res, & aliquid, ut passiones entis; sed in rei veritate, re bene inspecta, hi termini ens, res, & aliquid sunt termini synonymi, exprimentes eandem rationem formalem.

8 Si quæras: quem ordinem fervent inter se istæ passiones? Aliqui hunc ordinem absolutè negant in emanando; sed dicunt, quod æquè primò fluunt ab ente. Sed dato, quod aliquis ordo fervetur, ita quod una prius fluat ab altera. Dico, quod unitas est prima, veritas secunda, & bonitas tertia. Prob.: veritas dicit ordinem ad intellectum; bonitas ad voluntatem: ergò sicut intellectus est prior voluntate, ita veritas erit prior bonitate. Deindè: unitas &c. Res est parvi momenti.

9 Dubit. 3.: quomodo istæ passiones entis distinguantur ab ipso ente? Absolutè negantes distinctionem formalem ex natura rei, ex consequenti dicunt, ens distinguendum solum per rationem à suis passionibus. Scotistæ autem, qui uno ore eam admittunt (si Hererem excipias) quamvis admittant distinctionem formalem ex

natura rei inter ens, suasque passiones simplices, in ea explicanda aliquomodo differunt. Mastrius enim hic Disput. 4. quæst. 1. num. 8. tenet, quod distinctio entis realis à passionibus non est ex natura rei formalis in eorogore, quod dici solet in Schola nostra, ribilitatem distingui ab humanitate; sed est distinctio ex natura rei virtualis. Discalziati Villacastin tenent, hanc distinctionem esse quidem formalem, & actualem, sed non ex natura rei, nisi fundamentaliter.

Sanè nescio, quofundamento stant hanc distinctionem formalem, non actualem, sed virtualem, aut fundamentalem; nam sic loquentes, absdubio deserunt Scoticam Aciem, & arma Thomistis parant. Unicum fundamentum ipsorum potest esse; quia hæ passiones sunt transcendentales, de quorum natura est; juxta ipsos, non dicere realitatem transcendentalem ex natura rei distinctam à suis inferioribus. Sed hæc doctrina abundè rejecta est à nobis Disp. 1. quæst. 4. per totam. Aliud fundamentum assignant ex doctrina Doct. in 2. dist. 16. quæst. unica num. 18., ubi passiones entis vocat, *quasi passiones*, ex quo inferunt Mastrius, & Villac.: passiones entis juxta Doct. non sunt absolutè passiones, sed

quasi passiones: ergò quia non ita propriè distinguuntur inter se & ab ente: sicut aliæ passiones prædicamentales, propriè tales, distinguuntur inter se, & à suis subjectis.

Fateor sanè, sic se explicare Doctorem, vocandum, verum, & bonum *quasi passiones entis*. Sed nota, quod in hac quæstione expressè loquitur de distinctione intellectus, & voluntatis inter se, & ab anima; & sic prosequitur: *sic ergò possumus accipere de intellectu, & voluntate, quæ non sunt partes essentielles animæ, sed sunt univocè contenta in anima, quasi passiones in suo subjecto*. Nunc ergò inquirò à Mastrio: an hoc argumentum teneat: intellectus & voluntas sunt quasi passiones animæ: ergò non distinguuntur distinctione reali formali, & actuali ab anima? Non valet, respondebit. Cur ergò, juxta ipsum, valet hoc? unum, verum, & bonum sunt quasi passiones entis: ergò non distinguuntur distinctione reali formali, & actuali ab ente. Nam antecedens ubique est Doct., & consequentia eodem modo inferitur, vel non inferitur. Sed rogo Lectorem, ut attentè legat Doct. citat. sub num. 17, & iudicium feret pro nobis, contra Mastrium. Quare sit.

12. *Conclusio: passiones entis supra assignatae, distinguuntur formaliter ex natura rei ab ipso.* Est Doct. citat. in 2. dist.

16. Prob. 1.: ens reale in communi est objectum adæquatum Metaphysicæ; sed unitas transcendentalis, quæ est passio talis entis, non est objectum adæquatum Metaphysicæ (idem dic de reliquis passionibus): ergò aliqua distinctio à parte rei datur inter ens, & unitatem; sed non realis stricta, ut farentur Adversarij: ergò realis formalis. Minor est vera. Maior est evidens; nam, quod non est formaliter ens, non est objectum adæquatum Metaphysicæ; sed unitas transcendentalis non est formaliter ens, ex dictis quæst. ultima Disput. antec.: ergò &c. Prima consequentia tenet ex via contradictionis. Subsumpta est Adversariorum. Consequentia est legitima.

13. *Conclusio: intellectus divinus non concipit rem aliter, ac est in se: sed intellectus divinus aliter concipit ens verum, aliter ens unum, & aliter ens bonum: ergò intellectus divinus cognoscit aliquam veram distinctionem inter unitatem, veritatem, & bonitatem entis.* Prob. minor: intellectus divinus concipit ens unum, ut quid indivisum in se: ens verum ut quid conforme intellectui vero: & ens bonum, ut quid con-

veniens voluntati: ergò aliter concipit, &c. Antec. constat, quia intellectus divinus concipit res, ut sunt in se; sed unum est indivisum in se: verum est conforme intellectui: & bonum conveniens voluntati: ergò &c. Nunc sic; sed intellectus divinus non concipit aliter, & aliter ratione præcisam entis; quia conceptus istius est simpliciter simplex: ergò intellectus divinus concipit unitatem, veritatem, & bonitatem, ut aliquid distinctum à ratione communi entis: ergo concipit illas ut distinctas formalitates, pullulantes, tamquam veras passiones à ratione formali entis.

14. Argumenta, quæ hic objici poterant, solvuntur: tum ex dictis in Logica de distinctione formali: tum in Anamastica de distinctione potentiarum anime inter se, & ab ipsa anima. Sed commodius proponuntur, & solvenrur Disput. sequenti quæst. 5. Conclus. 2.; ubi expressò probabimus, quod essentia, & existentia distinguuntur formaliter ex natura rei; nam si existentia, quæ est modus intrinsecus, distinguitur formaliter ab essentia à fortiori passionibus, quæ non sunt eadem intimæ, distingui debent formaliter.

QUÆST. II.

Au unitas, passio entis consistit formalitèr in positivo, vel in negativo?

NON loquimur de unitate ulla, contracta ad aliquam speciem entis, nam prout sic, non est passio entis realis ut sic; cum non æquè convertatur cum ipso, nec æqualem habeat latitudinem. Nec loquimur de unitate illa formali, minori numerali, explicata in Logica. Loquimur ergo de unitate entitativa, quæ constituit aliquid realitèr in esse unius, & simul fundat distinctionem realem unius ab alio. Ex quo infertur, quod ens, ut formalitèr distinctum ab unitate: non est unum, nisi tantum radicalitèr, & exigitive, nam, quod sit formalitèr unum, provenit ab unitate, ipsi superaddita: sicut homo, ut distinctus à risibilitate, non est formalitèr risibilis, sed radicalitèr, & exigitive. Sic ergo ens, pro priori ad unitatem, non est distinctum ab ullo alio, nisi tantum exigitive, & radicalitèr.

Ex quibus infertur, quod unitas, de qua est quæst. est unitas realis entitativa: & transcendentalis, adæquatè convertible cum ente reali, in tota sua latitudine sumpto. Quo præsupposito, ratio dubitandi oritur ex ipsamet definitione unius, quod sic communiter definitur: *unum est indivisum in se, & divisum à quolibet alio.* Vél in abstracto sic: *unitas est indivisio entis in se, & divisio ipsius à quolibet alio.* Ratione istius duplicis negationis: *indivisionis in se, & divisionis ipsius à quolibet alio*, dubitatur: an unitas consistat formalitèr in positivo: an verò in negativo? Sit

3 Conclusio: *unitas consistit formalitèr in positivo, licet in obliquo importet negationem.* Ità Doct. in 2. dist. 3. quæst. 2. §. *Conceditur igitur; contra plures Thomistas.* Prob. 1. Conclusio: nihil negativum identificatur realitèr cum aliquo positivo; sed unitas identificatur realitèr cum ente, quod est quid positivum: ergo unitas non consistit in negativo: ergo in positivo. Minor est vera; quia subjectum, & propria passio identificantur realitèr. Maior etiam constat; quia quæ sunt alterius, & alterius omnino rationis, non identificantur realitèr. Sed talia sunt positivum, & negativum: ergo non identificantur realitèr.

4. Probatur 2. Conclusio: omnis negatio necessaria, & inseparabiliter conveniens subjecto, sequitur ad aliquid positivum, in tali subjecto repertum; sed negatio divisionis in se necessario, & inseparabiliter convenit enti: ergo convenit ipsi ratione alicujus positivi: ergo cum conveniant in ratione unitatis, sequitur quod unitas sit quid positivum; maior constat; quia idem negatio *inhibitatis* necessario, & indispensabiliter convenit homini; quia homo habet formalitatem positivam; scilicet, risibilitatem, ad quam sequitur negatio *inhibitatis*. Minor etiam constat; quia omne unum eo quo est unum, habet in se negationem divisionis. Nunc sic; sed illud positivum, ad quod sequitur negatio divisionis in ente non est formalitas positiva ipsiusmet entis ut sic: ergo est formalitas unitatis. Prob. subsumpta: prius est, quod ens, ut in se sit non repugnans, quam quod sit unum: ergo illud positivum, &c. Antec. patet; quia prius est aliquid habere suam essentiam, quam aliquam passionem sui; sed essentia entis ut sic est, habere non repugnantiam ad existendum; & esse unum est passio ipsius: ergo prius est, &c.

5. Confirm.: illa negatio, qua unum dicitur indivisum in se oritur immediate ab illa formalitate, quæ immediate excludit divisionem; sed formalitas entis non est immediate exclusiva divisionis: ergo talis negatio non oritur immediate à formalitate entis: ergo à formalitate unitatis. Prob. minor: quod est immediate compatibile cum divisione, aut cum multitudine, non est immediate exclusivum divisionis; sed tale est ens ut sic: ergo, &c. Minor constat; quia ratio formalis entis æquæ immediate salvatur in multitudine ac in unitate; cum ens soleat dividi in unum; & multa. Quod autem unitas dicat in obliquo negationem divisionis (quæ est secunda pars conclusionis satis constat ex dictis; quia unitas excludit divisionem, inducitque negationem divisionis in ente, sed non in recto, ut probatum manet: ergo connotative, & in obliquo. Circa istam negationem, quam secum fert unitas

6. Notandum est, quod in unitate plures sunt negationes; nam alia est negatio identitatis cum alio; & per istam non explicatur unitas. Alia est negatio multitudinis; & ista non ponitur in definitione unitatis. Alia tandem est negatio divisionis, & est duplex: alia

ne-

negatio divisionis à se: & alia negatio divisionis in se. Prima est, qua Petrus v.g., dicitur indivisus à se ipso; quatenus ipsi repugnat dividi in plures Petros: ista negatio non est explicativa unitatis de qua est quæstio. Unde sola negatio divisionis in se, est quæ ponitur pro conceptu unitatis, supra definitæ, & explicatæ per negationem. Ratio est; quia negatio divisionis in se convenit omni enti, sive simplici, sive composito; sive actuali, sive potentiali: ergo sola negatio divisionis in se &c. Prob. antecedens; Angelus, qui est ens physice simplex, nec est actu divisus; nec potestativè divisibilis physice: Petrus, qui est ens actuale compositum non est actu divisus, estó sit divisibilis in corpus, & animam: animal, quod est unum potentiale, non est actu divisum, licet possit dividi in suas species: ergo negatio divisionis in se, &c. Reliquæ ergo negationes assignatæ consequuntur ad negationem divisionis in se.

Solvuntur Argumenta.

7 Arguitur 1. : quod est unum est indivisum; sed

indivisum dicit formalitèr, & in recto negationem divisionis: ergo & unum; & consequenter, &c. Resp. distinguendo maiorem; quod est unum est indivisum, consecutivè, & secundariò, conc. mai.: formalitèr, & primariò, nego mai.; & concessa minor, nego consequentem. Unitas ergo, licet ex parte modi significandi, hoc est secundum id, per quod à nobis explicatur, significet negationem, quia nos non possumus faciliùs explicare unitatem, quam per negationem; tamen ex parte rei significatæ, & secundum id, quod importat in re, quid positivum est. Paritas habetur in pluribus prædicatis divinis; nam Immensitas, Infinitas, &c. quid positivum sunt, & tamen per negationes explicantur.

8 Arg. 2. ex Arriaga: plura semper dicunt plus, quam unum; sed hoc esset falsum, si unitas consisteret in positivo: ergo &c. Maior, ait Arriaga, est per se nota. Prob. minor: si unitas consisteret in positivo, pluralitas consisteret in carentia illius positivi, sed plus dicit, quod consistit in positivo, quam quod consistit in carentia positivi: ergo si unitas, &c. Resp. disting. mai.: plura semper dicunt plus materialitèr, conc. mai.: formalitèr nego mai. Per quod patet ad reli-

liquas propositiones argumenti. Pluralitas ergo pro materiali sumpta, plus dicit quam unitas, quatenus pluralitas sic sumpta continet plures unitates in se divisas. Pluralitas verò pro formali, non solum dicit minus, quam unitas, sed absolutè nihil; quia sic sumpta dicit carentiam unionis, seu continuationis, quæ carentia est mera negatio. Undè inter pluralitatem pro formali, & unitatem, non potest fieri comparatio secundum magis, & minus.

9 Ex solutione inferitur 1., quod multitudo transcendentalis formalitèr sumpta, consistit in negativo; nam, si unitas formalitèr sumpta, consistit in positivo, ejus non esse debet consistere in negativo; sed non esse unitatis formalitèr sumptæ, est multitudo, formalitèr capta: ergo hæc consistit in negativo formalitèr. Undè, quando Aristot. 10. Metaphys. Text. 9. docet, unum, & multa opponi contrariè, loquitur de multitudine pro materiali, & prout includit plures unitates. Inferitur 2., quod partes continui sunt plures, quamvis habeant unitatem continuitatis. Similitèr materia, & forma in lapide sunt duo entia, etsi habeant unitatem unionis.

10 Arg. 3., unitas realis est non divisio realis; sed non divisio realis est quid negativum: ergo & unitas realis. Prob. minor: si non divisio realis esset quid positivum, aliquid positivum diceretur de Chimera, sed hoc est falsum: ergo. Prob. mai.: ex istis propositionibus contradictorijs: *Chimera realitèr est divisa: Chimera realitèr non est divisa*, una est necessariò vera; sed non potest dici, quod Chimera sit realitèr divisa: ergo debet dici, quod realitèr non est divisa: ergo si non divisio realis est quid positivum, de Chimera aliquid positivum dicitur. Argumentum Arriagæ sanè satis futile, ut sui advertunt.

11 Resp. tamèn distinguendo maiorem: unitas realis est non divisio realis explicativè, seu consecutivè, conc. mai.: formalitèr & constitutivè, nego mai., & mai. probationis, cum probatione imbibita. Ratio est; quia istæ propositiones: *Chimera est realitèr divisa: realitèr est non divisa*, non sunt contradictoriæ: & sic neutra est concedenda; quia utraque est falsa. Ratio est; quia licet inter contradictoria, absolutè enuntiata, non detur medium, ut: *homo est animal: homo non est animal*; tamen, si enuntientur cum aliquo syn-

cathegoremate , inter ipsa dabitur medium , ut patet in istis ; *homo per se est albus : per se est non albus* , quarum utraque est falsa propter illud syncathegorema *per se*. Sic propositiones argumenti propter syncathegorema *realitèr* , sunt falsæ ; quia *realitèr* loquende , Chimera nihil est à parte rei.

12 Alia argumenta , quæ probant , unitatem non esse quid superadditum enti , sed potius omne ens præcisivé ab illo modo superaddito esse unum , & consequentèr ens , & unum non distingui formalitèr ; facile solvuntur , advertendo , quod quælibet entitas , præcisé ut entitas est , nihil dicit præter sua prædicata quidditativa in primo modo dicendi per se , inter quæ non connumeratur unitas , quæ tantùm convenit rei in secundo modo. Etsi quæras : an hæc unitas sit una ? & an conveniat enti per aliam unitatem superadditam , & sic usque in infinitum ? Dico , quod unitas , quæ est passio entis , est una *ut qua* , hoc est , est ratio formalis , cur aliquid sit unum ; non tamen est una *ut qua* ; quia juxta dicta in Logica , & in Physica , quod est *quo* , ita est *quo* , quod nequeat esse quod.

QUÆST. III.

Quid sit veritas , secunda passio entis : & in quo formalitèr consistat ?

1 **E**X dictis in fine Logicæ magnæ constat , quod veritas in cognoscendo , consistit formalitèr in relatione conformatis actus intellectus ad objectum. Undè de ista hic non agimus , sed de veritate in essendo , quæ est passio entis. De qua Dico primo , quod veritas transcendentalis in essendo consistit in cognoscibilitate , seu in conformitate sicuti est. Probatur : veritas in cognoscendo consistit in conformitate intellectus cum objecto , quod repræsentat : ergo a pari , veritas in essendo consistit in conformitate objecti , seu in cognoscibilitate , sicuti est. Consequentia patet , quia veritas ut sic univocè convenit veritati in essendo , & in cognoscendo , seu veritati rei per cognitionem. Et si quæras : an ista conformitas sit actualis : an verò aptitudinalis ?

2 Dico secundò : quod est aptitudinalis. Prob. : licèt nullus esset intellectus , actu in-

intelligens, adhuc quaelibet res, quantum est ex parte sui est manifestativa sui ipsius, & in se vera: ergo veritas rei melius explicatur per conformitatem aptitudinalem, quam per actuale. Advertite tamen, quod neque conformitas actualis neque aptitudinalis est ratio formalis constitutiva veritatis, quæ est passio entis. Ratio est; quia utraque conformitas est relativa; veritas autem, quæ est passio entis, nec est formaliter relativa, nec formaliter absoluta, sed potius ad utrumque indifferens, non minus ac ipsum ens, cuius est passio. Recte tamen explicatur veritas per conformitatem aptitudinalem, tamquam per quid nobis magis notum, sicut diximus in Logica de constitutivo quantitatis, & qualitatis.

3. Argues contra primam conclus. : conceptus quidditativus entis præcisivè à veritate, est cognoscibilis, & conformabilis cum cognitione; sed cognitio vera conformatur cum objecto sicut est; ergo conceptus quidditativus entis est in se cognoscibilis præcisivè à veritate: & sic veritas non consistit in conformitate, sicut est. Resp. distinguendo mai. : conceptus quidditativus, &c. est cognoscibilis, & conformabilis exigivè, & radicaliter, conc.

mai. : formaliter, & proximè, nego mai., & utramque consequentiam. Undè ratio entis, cognita præcisivè à veritate, ipsi superaddita, solum radicaliter est vera; quia quod sit formaliter vera habetur à veritate entis superaddita, & ab ipso ex natura rei distincta.

4. Arg. 2. contra idem: veritas transcendentalis, ut à nobis explicatur, convenit enti rationis: ergo malè explicatur per cognoscibilitatem aptitudinalem rei sicuti est in se. Prob. antec. : ens rationis est cognoscibile sicuti est, non minus, ac ens reale: ergo &c. Respond. disting. ant. : veritas transcendentalis convenit metaphoricè, & æquivocè enti rationis, conc. antec. : propriè, & univocè, nego antec. Itaque sicut ens reale, & rationis, ex dictis Disput. antec., non conveniunt univocè, ita neque veritas convenit ipsis univocè, sed solum æquivocè. Quare, cum ens rationis, ex dictis in Logica, nullam habeat entitatem, nisi concipiatur ad modum entis realis, ita neque propriam sortitur intelligibilitatem, nec conformitatem cum intellectu, nisi in quantum concipitur ad modum entis realis, ad cuius instar fabricatur ab intellectu.

5 Inquires : in quo consistit falsitas , opposita veritati transcendentali ? Dico, quod consistit in eo , quod res aliqua careat identitate cum illo, quod apparet esse. Explicatur : idè auricalcum v. g., dicitur aurum falsum ; quia caret identitate cum illo , quod apparet esse , hoc est , cum vero auro , quod non est , nec potest esse. Probat : veritas transcendentalis consistit in eo, quod res fundet , vel possit fundare cognitionem , qua cognoscatur , sicuti est : ergo falsitas transcendentalis consistit in eo, quod res fundet , vel fundare possit cognitionem illius , quod non est , nec esse potest ; & consequenter in eo , quod careat identitate &c. Consequentia patet ; quia opposita oppositis rebus constituuntur.

6 Notate tamen hic , quod falsitas transcendentalis non reperitur in omni ente reali, sicut reperitur veritas , solum autem reperitur in aliquo determinato genere istius , vel illius entis , ut in auricalco , in quo est negatio veri auri ; & in homine peccato , in quo est negatio hominis veri ; & sic in alijs similibus rebus. Undè , quamvis falsitas inter passiones entis anumeretur , non tamen est talis vera passio.

QUÆST. IV.

Quid , & quotuplex sit bonitas , tertia passio entis ?

1 **B**onitas in communi solet dividi in naturalem , seu physicam , moralem , & meritoriam. Bonitas moralis consistit in eo , quod operatio physica , liberè elicita à Petro v. g. elicatur conformiter ad regulas moris. Bonitas vero meritoria super addit bonitati morali rationem formalem meriti , quod nihil aliud est , quam quod illa operatio moralitèr bona. elicita à Petro , reddatur digna premio ex vi pacti inniti à Deo , cum bonè operantibus. De his bonitatibus in Theologia , sicut & de bono honesto , utili , & delectabili , Tract. de Actibus humanis , & de merito. Nunc autem

2 Bonitas naturalis, seu physica, transcendentalitèr sumpta (de qua est quæstio), alia est essentialis , & primaria , & alia quasi accidentalis , & secundaria. Prima est perfectio intrinseca entis , considerati in suo esse quidditativo , & essentiali. Itaque , dicet ens possit concipi sine tali bonitate , non tamen

men conceptu perfecto perfectione graduale, benè autem perfecto perfectione quidditative, juxta dicta Disp. 1. quæst. 4. num. 2. Undè ista bonitas essentialis est modus intrinsecus cujuslibet entis, quatenus quodlibet ens habet suam peculiarem perfectionem intrinsecam. Bonitas accidentalis, & secundaria consistit in appetibilitate, seu convenientia cum appetitu. Sed quanam sit hæc convenientia? est difficultas. Sit

3. Conclusio: bonitas, passio entis, consistit in appetibilitate, seu in conformitate aptitudinali ad appetitum rationalem, hoc est ad voluntatem, quæ ex Libris de Anima, est appetitus cum ratione liber. Ità Doct. in 4. dist. 48. quæst. 1. num. 7. Prob.: ità se habet bonitas ad appetitum, sicut veritas ad intellectum; sed veritas consistit in aliquo addito supra ens, scilicet in conformitate rei cum intellectu: ergo & bonitas consistit in aliquo superaddito enti, scilicet, in conformitate ad appetitum; sed ista conformitas nihil aliud est, nisi appetibilitas, seu convenientia ad appetitum rationalem: ergo in ista &c.

4. Argues contra hoc: eo ipso, quod aliquid sit bonum, est appetibile, & appetitui rationali conveniens; sed ens, ut est prius suis passio-

nibus, est bonum: ergo & appetibile: ergo bonitas non consistit in aliquo superaddito enti. Resp. disting. mai.: eo ipso, quod aliquid sit bonum, bonitate secundaria, & accidentali, est appetibile, conc. mai.: bonitate primaria, subdisting.: est appetibile, radicalitèr, & exigitivè. conc. mai., proximè, & formalitèr, nego mai. & disting. min.: sed ens, ut est prius suis passionibus, est bonum bonitate primaria, conc. min. bonitate secundaria, nego min. Appetibilitas ergo primaria, in qua consistit bonitas, passio entis, sequitur ab bonitatem essentialem, tamquam radicatum ad radicem: & sic solum potest explicari à nobis, per ordinem ad aliud, ut diximus quæst. antec. num. 2. de veritate.

5. Quæres 1.: an datur in rebus malitia transcendentalis, opposita, tam bonitati primariæ, quam secundariæ? Resp. negativè. Prob.: si daretur talis malitia transcendentalis, haberet in rebus aliquod fundamentum, sed nullum potest habere: ergo non datur. Prob. minor: posita malitia essentiali, tollitur bonitas essentialis, cui directè opponitur: & posita malitia secundaria, auferretur bonitas secundaria; sed ablata bonitate, sive primaria, sive secundaria, necessario auferretur res, quæ erat

fundamentum : ergo. Minor constat ; quia ablata perfectione intrinseca, aut etiam propria passione rei, necessarium aufertur ipsa res ; bonitas essentialis est perfectio intrinseca rei, & secundaria est ejus passio : ergo, &c. Ex quo inferitur omnino reale esse bonum.

6. Notate tamen, quod loquendo de malitia accidentali, quae unice consistit in defectu alicujus boni accidentalis, ad integritatem rei pertinentis, talis malitia admittenda est in rebus ; ut patet in claudis, coecis, surdis, &c. Sed advertite hic, quod privationes in tantum dantur à parte rei, in quantum dantur subjecta, quae ca-

rent formis, sibi debitis ; nam ideò coecitas datur à parte rei v. g., quia datur oculus, in quo non est visus ; & ideò datur tenebra, quia datur aër, qui est subjectum, in quo non est lux. Undè in hoc sensu intelligendum est illud dictum : *privationes dantur à parte rei.*

7. Quaeres 2. : in quo formalitèr consistat malum morale, oppositum bonitati morali, explicatè num. 1, hujus ? Hæc difficultas plenè planèque Theologica est, spectans ad Tractat. de Actibus humanis, & Materiam de peccatis : quare ab ipsa superfedemus, sicut, & ab alijs, videndis hic in N. Mastrio Disp. 5. per totam.



DISPUT. III.

DE POSSI-
bilitate, &
existentia
entis.

INter passiones complexas, & disjunctas entis enumerantur actus, & potentia, ut diximus quæst. 1. Disp. antec.: & quamvis de isto in linea physica sufficienter actum sit; restat tamen nunc tractare de potentia logica, & obiectiva, sicut & de actu entitativo, seu existentiâli. Erga quæ, certè graves sunt difficultates. Undè, ut claritate possibili procedamus, Sic

QUÆST. I.

*Proponuntur aliqua dubia
præambula.*

I Dubitabitur 1.: quid sit potentia logica: & quid potentia obiectiva? Potentiâ logica est sola non re-

pugnantia in propositione inter subjectum, & prædicatum in ordine ad intellectum. Vel, ut ait Doct. in 1. dist. 7. quæst. 1. num. 7.: *est illa, quæ dicit modum compositionis, factæ ab intellectu, cujus termini, si ponantur, non includunt contradictionem.* De hac potentia logica loquutus est Aristot. 5. Metaphys. cap. de potentia. dicens: *illud est possibile, cujus contrarium non est de necessitate verum.* Ut intelligatis prædictam definitionem, & naturam potentie logicæ.

2. Notate 1., quod si per impossibile Deus non esset, existeret tamen aliquis intellectus, antequàm mundus fuisset creatus, qui hanc propositionem proferret: *Mundus poterit esse: tunc Mundus esset possibilis logicè; quia ejus termini non includunt contradictionem, et enim prædicatum non repugnaret subjecto.* Quarè possibile logicum semper est quid complexum, ut: *homo est rationalis? Anti-Christus est futurus &c.* Undè sensus genuinus potentie, seu possibilitatis logicæ est iste: *illud complexum, ex cujus positione, nulla sequitur contradictio est logicè possibile.* Quod sic explicat Philosophus 9. Metaphys. Text. 7.: *est illud, cui se illius insit actus, cujus potentiam habere dicitur, nihil impossibile erit.*

3 Notate 2. quod licet potentia logica bene explicetur per hanc conditionalem *si*, dicendo: si hoc complexum existeret, nulla inde sequeretur contradictio, aliter tamen debet hoc intelligi de complexis formatis in materia necessaria, ac de formatis in materia contingenti. Ratio est; quia quando dicitur: *homo est existens*, non solum exprimitur, quod ex positione hominis non sequatur contradictio, sed etiam, quod in quocumque instanti, in quo sit, aut ponatur, necessariò erit animal rationale vivens, istę namque propositiones sunt æternę veritatis. Non sic de formatis in materia contingenti; quia istis solum significatur, quod prædicatum non repugnet subjecto, non autem, quod ipsi necessariò conveniat. Totum patet in ista: *homo est albus*, nam non repugnat, quod ponatur cum albedine, non tamen ex eo, quod ponatur homo, necessariò erit albus. Explicata sic potentia logica.

4 Potentia objectiva, etsi explicata sit 1. Physic., modo tamen sic definitur: *est illa, per quam aliquid, quod potest esse terminus potentie activę alicujus agentis, dicitur possibile*. Ità Doct. in 2. dist. 12. quęst. 1. num. 10. Sic Mundus ante sui creationem fuit in potentia objectiva: quatenus fuit terminus possibi-

liter producibilis per potentiam activam agentis infiniti. Unde omnis effectus, contentus in virtute suę causę solum, dicitur esse in potentia objectiva. Ex quo inferitur, quod potentia objectiva nihil reale possit in rebus objective possibilibus; nam talis potentia unice desumitur à denominatione extrinseca, sumpta à potentia activa agentis, potentis rem producere.

5 Dubitabis 2.: in quo differant potentia logica, & objectiva? Resp. quod differunt in quatuor. Primo in eo, quod potentia logica, tantum reperitur in complexis; *ut alter mundus est possibilis*. Objectiva vero reperitur in simplicibus, sive in incomplexis; nam res nondum existens, concipitur objective potens ad existendum. Secundò differunt in eo, quod potentia logica est quid superius ad potentiam objectivam, illa namque est fundamentum istius. Tertio differunt in eo, quod semper valet argumentario affirmativa à potentia objectiva ad logicam, dicendo: *terminus est possibilis objective: ergo & logicę*; non tamen e contra, alias valeret: *Deus est logicę possibilis: ergo & objective*: quę argumentatio est falsa, quia Deus nequit esse terminus potentie activę alicujus agentis, ut fide, & ratione constat.

6. Quartò tandem differunt in eo, quod potentia objectiva destruitur per actum entitativum, sive existentialem, non verò logica: nam ego ante mei productionem eram logicè, & objectivè possibilis; dum verò actu productus sum, non amplius dicor, objectivè possibilis, benè tamen possibilis logicè; alioquin mihi, actu existenti, repugnaret actu existere, quod est manifesta contradictio. Sed ut hæc ultima differentia melius percipiatur.

7. Dubitabis 3.: an actus destruat potentiam? Potentia, ut ad præsens attinet, alia est activa, alia passiva, seu subjectiva, alia objectiva, alia tandem logica. De singulis dicam. Potentia activa, quæ nihil aliud est nisi principium, & virtus agendi, non destruitur per actum, immò per actum exercetur, & perficitur. Constat; nam ex eo, quod ego ambulem, non deperdo potentiam ambulandi. Dico 2.: potentia logica est etiam compatibilis cum actu; nam valet: homo ratiocinat: ergò potest ratiocinare. Dico 3.: potentia passiva, seu subjectiva, de qua dictum est 1. Physic., loquendo de potentia susceptiva materiæ, non destruitur, sed potius perficitur per actum formalem physicum, ipsi correspondentem.

8. Dices tamen contra hoc: in aqua datur potentia passiva, receptiva caloris, qui est actus accidentalis talis potentia; sed calor destruit potentiam passivam aquæ: ergò actus formalis destruit potentiam passivam. Prob. min.: quod destruit aquam, destruit ejus potentiam passivam; sed calor destruit aquam: ergò, &c. Resp. negando utramque min.: tum, quia calor non destruit aquam, nec ejus potentiam effective, sed ad summum dispositivè; tum, quia calor non destruit immediatè, & pro unico instanti potentiam passivam aquæ, sed paulatim destruit gradus frigoris in aqua, ut postea suum introducat effectum. Circa hoc videre 2. Physic.: an accidens possit immediatè producere substantiam?

9. Dico 4., & ultimò, quod potentia objectiva destruitur per actum entitativum, ita quod actus entitativus, & potentia objectiva, nec divinitus possunt simul esse in eodem subjecto, nec pro unico instanti. Prob. breviter: implicat adhuc divinitus, quod res aliqua pro eodem instanti simul existat actu à parte rei, & non existat à parte rei: sed quod est in potentia objectiva, non existit actu à parte rei: ergò, &c. De his omnibus satis abundè actum est

1. Physic. : undè ea , ibi videntur vos , remitto.

QUÆST. II.

A quo oritur possibilitas rerum?

NON est quæstio de possibilitate objectiva ; nam ista , in omnium ferè sententia , oritur primariò ab omnipotentia , seu à Voluntate Divina. Probat. hoc : potentia objectiva rei consistit in eo , quod res objiciatur potentiaæ activæ agentis , potentis talem rem producere ; sed prima potentia activa cujuscumque rei producibilis est Omnipotent. : ergò ab ista oritur prima possibilis objectiva rerum. Dixi *prima* ; quia possibilitas objectiva secundaria , & à causa prima dependens , desumitur suo modo à causa secunda. Undè , difficultas est de potentia , seu de possibilitate logica. Pro cujus resolutione.

2. Notate 1. , quod res posibles , possibilitate logica , habent hujusmodi possibilitatem formalitèr , & intrinsecè ex suis prædicatis quidditativis. Probat. hoc : si res diceretur possibilis

ex eo præcisè , quod cognosceretur ab intellectu divino , etiam chimera diceretur possibilis sed hoc non : ergò , &c. Prob. maior : intellectus divinus æquè cognoscit possible , ac chimeram , ex dictis in Logica , agendo de ente rationis : ergò si res , &c. Confirm. ex Doct. in 1. dist. 36. quæst. unica num. 14. , ubi probat , homini ab æterno non repugnare , quod existat à parte rei , bene autem chimera ; quia homo , formalitèr qua homo est , non includit intrinsecè repugnantiam ad existere ; bene verò chimera : ergò , juxta Doct. possibilitas intrinseca rerum formalitèr , & intrinsecè attenditur penès rationes formales intrinsecas ipsarum rerum.

3. Notate 2. , quod possibilitas logica creaturam extrinsecè , & initiativè sumitur ab intellectu divino. Prob. : potentia logica est modus compositionis , factæ ab intellectu judicante , prædicatum convenire , vel non repugnare subjecto ita quod , si nullus daretur intellectus , nec divinus , nec creatus , qui ita posset judicare , non daretur potentia logica ; sed primus absolutè intellectus , qui potest ita judicare , est divinus : ergo potentia logica creaturarum aliquomodo desumitur ab intellectu divino ; sed non formalitèr , & intrinsecè.

ut manet probatum: ergo extrinsecè, & principiatiuè. Confirm. 1.: creaturæ possibiles non habent aliquod esse intelligibile proprium, & formale; priusquam actu producantur ab intellectu divino, licèt habeant esse virtuale, aut eminentiale in essentia divina: quod nihil aliud est, quam Essentiam Divinam habere virtutem productivam ipsorum per suam potentiam executivam: ergo intellectus divinus tribuit creaturis possibili- bus primum suum esse proprium, & formale.

4 Confirm. 2. ex Doct. in 2. dist. 1. quæst. 1. §. *Quantum ad hoc*, ubi productionem creaturarum in esse possibili comparat productioni secundarum intentionum, in nostro intellectu; sed secundæ intentiones ex dictis de ente rationis, non habent esse intelligibile prius in intellectu nostro, quam actu intelligantur: ergo nec creaturæ possibiles habent prius esse intelligibile proprium, & formale, quam cognoscantur ab intellectu divino. His ergo suppositis totus nervus difficultatis est: an tota possibilitas logica creaturarum principiatiuè, & in genere causæ efficientis desumatur ab intellectu divino, ita quod nullo modo conveniat ipsis ex sua ratione formali?

CONCLUSIO:

5 *Possibilitas logica creaturarum extrinsecè, & principiatiuè, seu in genere causæ efficientis, desumitur unice ab intellectu divino.* Est contra Pontium, & Herreram. Prob. 1. ex Doct. in 1. distinct. 43. quæst. unica num. 3., ubi ait: *reducendo quasi ad primum principium extrinsecum, intellectus divinus erit illud, à quo est prima ratio possibilitatis in lapide: lapis productus in esse intelligibili per intellectum divinum; habet ista (supple non repugnare esse, & non esse ex se necessarium) ex se formalitè, & quasi principiatiuè per intellectum divinum; igitur lapis est ex se formalitè possibilis, & quasi principiatiuè per intellectum divinum.* Hæc Doct.: ergo, juxta Doct. possibilitas logica creaturarum, licèt formalitè, & intrinsecè habeatur ex suis rationibus formalibus, tamèn principiatiuè desumitur ab intellectu divino, ipsas producente in primo esse intelligibili.

6 Prob. 2. conclus. ex ipso Doct. cit. num. 5. ubi ait: *per ipsam potentiam sub ratione, qua est Omnipotentia, non habet objectum, quod sit primò possibile, sed per intellectum divinum producentem in primo instanti illud*

in esse intelligibili : : & tunc res producta ab intellectu divino in esse tali, scilicet intelligibili, in primo instanti naturæ, habet se ipsa esse possibile in secundo instanti naturæ; quia se ipsa formaliter non repugnat sibi esse, & se ipsa formaliter repugnat sibi esse necessarium ex se, in quibus duobus stat tota ratio possibilis: ergo creaturæ habent possibilitatum logicam formaliter, & intrinsecè ex se ipsis; extrinsecè verè, & principiativè, unicè ab intellectu divino.

7. Respondet Pontius, Doct. debere intelligi de esse proximo possibilium, quod ipse concedit haberi à Deo, non autem de esse remoto; quia possibilia, independentè ab intellectu divino, habent hoc esse remotum. Sed contra, & simul probatur conclus. ratione: implicat, quod creatura secundum aliquid sui esse sit ita necessaria, & indefectibilis, ac est Deus; sed hoc sequeretur, si creatura haberet possibilitatem, adhuc remotam à se ipsa, & independentè à Deo: ergo eam non habet. Prob. minor: nulla est maior necessitas, aut indefectibilitas quam aliquid esse ex se, & independentè ab alio; sed si vera esset solutio Pontij, creatura ex se, & independentè ab alio haberet aliquod prædicatum intrinsecum sui; nam haberet possibilem remotam; quæ quidem

possibilitas est prædicatum essenziale rei: ergo esset æquè necessaria, ac indefectibilis, ac ipse Deus.

Solvuntur Argumenta.

8. ARG. I. objectum scientiæ speculative non fit per talem scientiam, sed prius præsupponitur ad ipsam, sed scientia, qua Deus ab æterno cognoscit creaturas posibles, est speculativa: ergo Deus per talem scientiam non tribuit creaturis possibilitatem: ergo se ipsis habent talem possibilitatem, & non ab intellectu divino. Minor constat; quia scientia, qua Deus ab æterno novit possibilia, est scientia simplicis intelligentiæ, quæ juxta Theologos, est speculativa. Resp. disting. mai. objectum primarium scientiæ speculative, non fit per talem scientiam, conc. mai.: objectum secundarium, quale est omnis creatura, nego mai., & concessa min., nego conseq.

9. Objectum ergo primarium intellectus divini, quale est Essentia Divina, præsupponitur cognitioni divinæ; nam tale objectum prius est in me-

moria, quam in intelligentia; non sic objectum secundarium; quia istud non est prius intelligibile formalitèr; quam intellectum. Ratio est; quia si creatura esset ex se possibilis, possibilitatemque non reciperet ab intellectu divino, non esset objectum secundarium ipsius, sed potius primum, quia eque primò, ac Essentia Divina diceret habitudinem, & respectum intelligibilitatis passivæ ad intellectum divinum. Nec facit, quod scientia speculativa non sit productiva, nam licet non sit productiva in esse actualis existentiae bene verò in esse cognito, & diminuto, de quo quest. ferti.

10 Pontius Disp. 69. pagina 906. sic replicat contra solutionem: quod creaturæ possibiles sint objectum secundarium intellectus divini, non probat, quod recipiant suum esse, nec quidem possibile ab intellectu divino: ergò nulla est solutio. Prob. antec.: datur objectum secundarium intellectus divini, quod nullum esse adhuc possibile recipit ab intellectu divino: ergò, &c. Prob. antec.: ipsemet intellectus divinus est objectum secundarium sui ipsius sicut & reliqua attributa divina; sed nullum attributum divinum recipit suum esse adhuc possibile, ab intellectu divino, & multo minus ipse intellectus po-

test recipere tale esse à se ipso: ergò, &c.

11 Resp. breviter distinguendo antec.: quod creaturæ possibiles sint objectum secundarium, utcumque intellectus divini &c. conc.: quod sint objectum secundarium creaturæ, nego antec. Ad probationem distinguo antec.: datur objectum secundarium increatum, &c., conc. antec.: creatum: nego antec. Per quod patet ad illud de intellectu divino, & reliquis attributis Dei, quæ omnia sunt objectum increatum, & sic non possunt suum esse recipere ab ipsomet intellectu divino.

12 Arguitur 2.: scientia divina, seu actus divini intellectus prius natura terminatur ad objectum primum, quam secundarium; sed creaturæ in illo priori naturæ in quo intellectus divinus terminatur ad suum objectum primum, scilicet ad essentiam; sunt logicè possibiles: ergò habent talem possibilitatem quasi effectivè à se ipsis, independentèr ab intellectu divino. Probatur min.: creaturæ pro illo priori naturæ, non sunt logicè impossibiles: ergò sunt logicè possibiles. Prob. antec.: si creaturæ pro illo priori naturæ essent logicè impossibiles, nec divinitus possent reddi possibiles; quia impossibile nequit fieri possibile: ergò, &c.

Ref-

13 Resp. concessa maior, negando min. Ad cuius probat., conc. antec., & nego consequentiam. Ratio est; quia creaturæ in illo priori signo, nec sunt logicè possibilis, nec logicè impossibilis: non impossibilis; quia postea redduntur possibilis: neque possibilis; quia in illo priori signo nullum esse proprium, & formale habent in Deo, neque cognitum, neque possibile, neque intelligibile, quod sit ullo modo distinctum ab esse divino, in quo virtualiter continentur, tamquam effectus in virtute suæ causæ. Undè, sicut esse caloris in Sole v. g., non est aliquod esse proprium, & formale ipsius caloris, distinctum ab esse solis potentis calorem producere, sed potius ipsum esse formale Solis; ita esse lapidis v. g., vel alterius cuiuscumque possibilis, pro illo priori, in quo intellectus divinus terminatur ad suum objectum primum, non est aliquod esse formale, & proprium ipsiusmet lapidis, distinctum ab esse divino, in cuius virtute productiva continentur.

14 Arg. 3. : si Deus per impossibile non cognosceret creaturas ab æterno, & elivade posset eas, tamquam causa naturalis producere in tempore, creaturæ haberent esse possibile

ab æterno: ergò possibilitas creaturarum non desumitur ab intellectu divino. Consequentia patet; quia supponitur, intellectum divinum ipsas non cognosceret ab æterno. Respond. disting. antec. : si Deus per impossibile non cognosceret creaturas ab æterno; & aliundè posset &c., creaturæ haberent esse possibile objectivum ab æterno, conc. ant. : esse possibile logicum, nego antec., & consequentiam.

15 Replicabis: creaturæ in prædicto casu haberent esse possibile logicum: ergò nulla est solutio. Prob. antec.: per nos haberent esse possibile objectivum; ergò & logicum. Probat. conseq.: implicat, posse esse aliquod inferius sine suo superiori, aut fundatum, sine suo fundamento; ex dictis quæst. 1. hujus dubio 2. potentia logica est superior ad objectivam, & ista in illa fundatur: ergò si creaturæ in prædicto casu haberent esse possibile objectivum, etiam & logicum. Resp. negando antec. Ad probat.; concessio antec., nego conseq. Ad prob. distingo mai.: implicat aliquod inferius siue suo superiori, aut fundatum sine fundamento, nulla, facta suppositione impossibili conc. mai.: ista supposita, nego maiorem; & concessa min., & nego consequentiam.

16 Undè, in illa hypothese impossibile, quod Deus non

non cognosceret creaturas ab æterno, ipsas tamen posset producere in tempore, creaturæ essent objective possibiles, & non logicè. Nec obstat, quod potentia objectiva fundetur in logica; quia sicut argumentum supponit, Deum esse Omnipotentem, & non omni scientem; ita ex hoc impossibile sequitur aliud, scilicet, dari potentiam objectivum sine logica. Quarè; sicut arguens vult auferre à Deo omni=scientiam, non ablata Omnipotentia per locum ab intrinsecò; quia supponit, Deum posse producere creaturas in tempore, & illas ab æterno non cognoscere, ita & nos dicimus quod ablata possibilitate logica, causata per scientiam divini intellectus, non auferretur per locum ab intrinsecò possibilitas objectiva habita in rebus per divinam Omnipotentiam.

17 Arguitur 4.: si creaturæ non haberent aliquod esse possibile à se ipsis, & independentè ab intellectu divino; non esset ratio, cur potius homo esset possibilis, quam Chimera; sed hoc est falsum: ergò, &c. Prob. maior: ideò homo est possibilis, & non Chimera; quia homo terminat per modum objecti secundarij actum divini intellectus; sed etiam Chimera ipsum terminat: ergò non est maior ratio &c. Respon-

deo negando mai. Ad probat. disting. mai.: ideò homo, præcisè quia terminat, &c., nego mai.: ideò quia terminat per modum objecti secundarij possibiliter producibilis, conc. maior. Et distincta min, nego consequ.

18 Itaque, inter hominem, & Chimeram in casu argumenti hoc est discrimen, quod licet utrumque terminet actum divini intellectus, diversimodè tamen terminant; nam homo terminat per suam rationem intrinsecam, & in genere causæ formalis, formaliter possibilis. Quia tamen ista possibilitas formalis, & intrinseca, quæ convenit homini ex se formaliter, non est omninò prima in omni genere causæ, sed solum in genere causæ formalis, ideò necessariò reducenda est ad aliquod primum principium extrinsecum, quod unicè est intellectus divinus, qui est prima ratio productiva possibilium in genere causæ quasi efficientis. Dico quasi; quia intellectus solum producit possibilia in esse cognito, diminuto, seu intelligibili.

19 Chimera autem ita terminat actum divini intellectus, quod immediatè cognoscat Deus illa plura possibilia, quæ sunt extrema cujuscumque Chimerae, esse adinvicem repugnantia in aliquo uno. Unico ver-

bo possibilia se ipsis formaliter, & in genere causæ formalis sunt talia; principiatiuè verò, & extrinsecè, hoc est, effectiue, dicuntur possibilia per intellectum diuinum, ad quem tamquam ad primum principium extrinsecum, reducitur illa possibilitas intrinseca, & formalis, quam habent creature à se ipsis. Notate hoc benè; quia hæc est germana mens Doct., quidquid dicat Pontius.

20 Arg. denique: ideò creature haberent possibilitatem logicam ab intellectu diuino, & non à se ipsis; quia alias non saluaretur in ipsis ratio formalis creature; sed ex quo habeant esse ab intellectu diuino, non saluatur in ipsis ratio creature: ergò nostra ratio est nulla. Probat. min.: Verbum Diuinum habet esse ab intellectu diuino; sed Verbum Diuinum non est creatura: ergò ex quo, &c. Insto argumentum: Spiritus Sanctus habet esse à voluntate, sicut Filius ab intellectu; sed Spiritus Sanctus non est creatura: ergo ex quo creatura recipiat esse in tempore à voluntate diuina, non saluatur in ipsa ratio creature. Mala consequentia.

21 Resp. concessa maior, negando minorem: & concessis præmissis, nego consequ. Ergo enim magna disparitas inter

Personas diuinas productas, & creaturas. In primis Verbum Diuinum ex dictis in Animastica, habet esse per dictionem, & non per intellectionem, per quam creature recipiant primum esse cognitum, intelligibile. Spiritus Sanctus habet esse per spirationem activam, & non per volitionem, à qua creature accipiunt suum esse actuale existentie, iuxta illud: *omnia (quæcumque voluit fecit.* Deindè: Personæ diuinæ accipiunt eandem numero naturam cum producente; quare nulla est ibi dependentia. Oppositum evenit in creaturis. Tandem: Personæ diuinæ accipiunt esse prorsus necessarium, & infinitum; creature verò tantum esse possibile, cum contingentia ad existere, vel non existere actu. Quare nulla est paritas.

22 Pro resolutione aliorum, & intelligentia dictorum notate 1., quod potentia logica rerum semper attenditur penes ordinem ad intellectum, iudicantem, aliqua duo extrema esse abinvicem compossibilia in aliquo uno. Oppositum evenit in impossibilitate *logica*. Potentia verò objectiva semper attenditur penes ordinem ad potentiam activam agentis, potentis rem producere. Impossibilitas *objectiva* attenditur ex repugnantia termini, & non ex defectu virtutis in agente. Undè sicut prima

ma possibilitas objectiva rerum desumitur à prima voluntate, quæ est formaliter Omnipotentia divina, ità prima possibilitas logica desumitur à primo intellectu, id est, divino.

23 Notate 2., quod licet ista possibilitas logica formaliter, & intrinsecè conveniat rebus secundum suas rationes formales, tamen originativè recurrendum est ad illud primum principium, à quo recipiunt, quasi effectivè, primum suum esse, à quo habent, ab invicem non repugnet secundum suas rationes formales, & intrinsecas. Si dicas cum Pontio, quod ratio creaturæ optimè salvatur per hoc, quod dependeat à Deo quoad existentiam, licet non dependeat quoad essentiam. Contra 1.; quia essentia, & existentia creaturæ non distinguuntur realiter, teste Pontio. Contra 2.: si Deus: ergò, per impossibile esset independens quoad essentiam, & quoad existentiam dependens, Deus non esset Deus: ergò à pari, si creatura esset independens quoad essentiam, ut vult Pontius, licet dependeret quoad existentiam, creatura non esset creatura.

QUÆST. III.

An creaturæ in statu possibilitatis habuerint aliquod esse actuale ab æterno?

1 **NOTATE**, quod creatura potest primò considerari secundum esse virtuale, seu eminentiale, quod habet in Essentia Divina: & hoc primum esse est omnino indistinctum ab ipso Deo; est namque ipsa creatrix essentia. Secundo quoad esse essentia: quod esse explicatur per definitionem, & præscindit ab esse existentia. Tertio, quoad esse existentie, qua creatura ponitur extra causas. Quarto tandem quoad esse cognitum, possibile, & objectivum, quod habet creatura in intellectu divino, sicut cognitum in cognoscente. Omnes concedunt, illud primum esse actu ab æterno; quia tale esse est Deus, ut causa. Similiter concedunt, esse existentia actuale creaturæ esse in tempore productum. Quarè lis est de secundò, & quartò esse, quamque per varias conclusiones resolvam.

2 **Prima Conclusio:**
creaturæ in statu possibilitatis

non habuerunt ab æterno aliquod esse actuale essentia, quod sit proprium ipsarum & distinctum ab intellectu divino. Conclusio est communis inter Thomistas, Scotistas, & Neutrales, qui ultimi, ut de fide eam tenent, ut definitam in Concilio Constantiensi contra Henricum, & alios paucos antiquos. Prob. 1. ex Doct. in 1. dist. 36. quest. unic.: si vera esset opinio Henrici, nulla creatura posset propriè creari, & annihilari; sed hoc est falsum: ergo &c. Prob. mai.: creatio, propriè talis, est productio totius entis ex nihilo, & annihilatio, reductio totius entis in nihilum; sed si creaturæ ab æterno habuissent verum esse actuale essentia, id, quod produceretur à Deo, non produceretur ex nihilo, nec, si desineret esse, redderet in nihilum; quia semper præsupponeretur esse actuale essentia: ergo &c. Nec valet dicere, rem creati ex nihilo existentia, non verò ex nihilo essentia; quia tunc non esset creatio strictè sumpta, & totalis, de qua procedit probatio, sed solum partialis.

3. Prob. 2. conclusio ex Doct. citat.: ideo creaturæ haberent esse actuale essentia ab æterno, quia sunt objectum scientia simplicis intelligentia; sed hæc ratio non probat: ergo &c. Prob. minor: Deus non

nunus novit ab æterno essentias rerum, ac earum existentias; sed ex quo Deus noverit ab æterno existentias rerum, non sequitur; ipsas habuisse aliquod esse actuale ab æterno, ut concedunt Adversarij: ergo, ex quo creaturæ, secundum esse essentia cognoscantur ab æterno à Deo, non sequitur, &c. Maior constat ex illo Divi August. 5. super Genes. cap. 7. *non aliter novit Deus facta, quam fienda.* Quare, sicut non sequitur: Deus per scientiam visionis cognoscit ab æterno existentias rerum: ergo res habet ab æterno esse actuale existentia; ita nec sequitur: Deus per scientiam simplicis intelligentia cognoscit ab æterno essentias rerum: ergo res habent ab æterno aliquod esse actuale essentia.

Solvuntur Argumenta.

4. Arguitur 1.: essentia creaturæ, antequàm existat terminat actu cognoscitivum simplicis intelligentia; sed ut terminet huiusmodi actum, & ut fundet relationem ad intellectum cognoscentem, requirit aliquod esse actuale, non existentia: ergo essentia. Confir-

matur : scientia , & objectum debent proportionari ; sed scientia , qua Deus ab æterno cognoscit creaturam possibilem , est realis , & actualis : ergo & creatura cognita est ab æterno realis , & actualis. Hoc argumentum patitur instantiam in existentia rerum , terminante ab æterno scientiam visionis , quin ab æterno habeat esse actuale existentia.

5 Resp. directè disting. mai. : essentia creaturæ , antequàm existat in se , & in suo esse formali , & proprio , terminat actum , scientiæ , conc. mai. : antequàm existat in alio eminentiori , in quo eminentialitèr , & virtualitèr contineatur , nego mai. : eisdem terminis disting. min. , & nego conseq. Itaque Deus cognoscit ab æterno creaturas posibles , non in se ipsis , ita ut habeant aliquod esse per quod moveant intellectum divinum aut terminent primario ejus actum ; sed ipsas cognoscit per modum objecti secundarij , & purè terminativi , quatenus virtualitèr continentur in objecto primario motivo , scilicèt , essentia divina. Deus ab æterno cognoscit , creaturas posibles esse nihil ; & solum posse esse aliquid , in quantum ipse Deus communicabit eis illud esse reale , quod communicare potest , & eis non repugnat se-

cundum quod fundant possibilis relationem cogniti ad cognoscentem , terminantque actum divini intellectus.

6 Participatur hoc in intellectu creato , cui multoties objicitur aliquod esse reale objecti , non existentis in effectu , sed in virtute suæ causæ , ut dum concipit rosam in hyeme existentem : sic paritèr in presenti , servatis servandis. Per quod patet ad confirmat. , quæ nihil aliud probat , nisi quod aliquod esse reale , scilicèt , esse cogniti , non repugnat creaturæ ab æterno. Vel distingue maiorem : scientia , & objectum primarium debent proportionari , conc. mai. : scientia , & objectum secundarium , nego mai. Scientia ergo divina dicitur realis , realitate se tenente ex parte objecti primarij , quod est essentia : non verò realitate se tenente ex parte objecti secundarij creati.

7 Arg. 2. : si creatura non haberet ab æterno esse actualis essentiæ , ab æterno esset nihil ; sed hoc est falsum : ergo &c. Mai. constat ; quia inter esse actuale , vel essentiæ , vel existentie , & nihil , non datur medium. Prob. minor : si creatura esset ab æterno nihil , unum nihil esset maius alio nihilo ; sed hoc est falsum , quia quod est nihil dicit negationem

totius esse ; ergo , &c. Prob. mai. : Chimera ab æterno est nihil ; sed chimera est magis nihil , quam illa creatura , quæ ab æterno est nihil : ergo , &c. Prob. min. : illud est maius nihil , cui ab æterno repugnat existere à parte rei , quam illud , cui sic non repugnat existere ; sed chimera repugnat ab æterno à parte rei existere , non autem illi creature possibili , quæ ab æterno nihil est : ergo chimera esset maius nihil &c.

8 Resp. ex Doct. disting. mai. : si creatura non haberet ab æterno esse actuale essentialis , esset nihil actû , & participialiter , conc. mai. : esset nihil in potentia , & nominaliter , nego mai. , & eisdem terminis distinguitur maior probationis minoris , & probatio maioris. Itaque verum est , quod inter esse actuale essentialis , & essentialis , & nihil , tam actû , quam potentia , non datur medium , tamen inter esse essentialis , & essentialis actuale & nihil mediat ens potentiale , & nominaliter : undè , licet creatura ab æterno sit nihil actû , tam actualitate essendi , quam existendi , non est nihil in potentia , & nominaliter , quia non repugnat ipsi , existere pro aliqua differentia temporis. Oppotum evenit in Chimera.

9 Arguitur 3. quod est non ens , nequit converti in ens , aut nihil in aliquid ; sed si creatura esset ab æterno nihil , seu non ens quoad essentialis , dum postea ponatur existens , non ens convertitur in ens , & nihil in aliquid : ergo , &c. Resp. disting. mai. : quod est formaliter , & in recto non ens , nequit converti in ens , conc. mai. : quod solum concomitantè , & in obliquo est non ens , nequit , &c. , nego mai. Per quod patet ad min. Creatura ergo possibilis ab æterno , non est formaliter , & in recto negatio , seu purum nihil , sed potius quid positivum , & reale , potentiale tamen , ad quod sequitur negatio actualitatis essentialis. Undè non ens actuale incipit existere actû in tempore ; non autem verificatur , quod nihil transeat in aliquid.

10 Arguitur 4. : illa , quæ directè ponuntur in prædicamento substantiæ , sunt entia realia ; sed essentialis rerum , ut præscindunt ab essentialis ponuntur directè in prædicamento : ergo sunt entia realia : ergo cum essentialis rerum sint ab æterno , ab æterno quoque erunt entia realia. Resp. disting. mai. : illa , quæ , &c. , sunt entia realia , nominaliter sumpta , conc. mai. : verbaliter , & participialiter capta , nego mai. , & concessa min. , distinguo utrumque consequens eis-

eisdem terminis. Res ergo posita in prædicamento, præscindunt ab existentia; sed ex hoc tantum sequitur, quod antequam actu participant existentiam sunt entia realia, nominaliter sumpta, hoc est, quod ipsis non repugnet ex suis rationibus formalibus à parte rei existere.

11 Arguit. 5. : sicut se habet ens ad non ens, ita possibile ad impossibile: ergo eadem proportione, sicut se habet ens ad possibile, ita se habet non ens ad impossibile. Nunc sic; sed omne ens est possibile: ergo omne non ens est impossibile: ergo si creatura esset ab æterno non ens, ab æterno esset impossibilis. Resp. ex Doct. concessio antec., negando conseq. Conc. subsumptam, & disting. primum concessio: ergo omne non ens simpliciter, & absolute est impossibile, concedo conseq.: omne non ens solum actu, nego conseq. Eodem modo distinguitur secundum consequens. Creatura ab æterno, etsi sit non ens actu, est tamen ens reale nominaliter, & in potentia, quod sufficit, ut non dicatur absolute nihil, ut per sepe dictum est.

12 Arguit. ultimo: propositiones necessarier primi & secundi modi dicendi perse, sunt æternæ veritatis ante existentias

ipsarum rerum: ergo & ipse essentia rerum, de quibus verificantur tales propositiones, sunt actualiter ab æterno, antequam res ipse existant. Antec. est doctrina communis. Conseq. patet; quia omnis veritas realis, quæ sit ab æterno, fundatur in aliquo esse reali ab æterno; alias daretur relatio realis sine suo fundamento. Resp. disting. ant.: propositiones necessarier, &c., sunt æternæ veritatis, quoad habitudinem, & connexionem essentialem prædicati cum subiecto, conc. antec.: quoad actualitatem essentia, vel existentie utriusque, nego antec., & conseq.

13 Pro solutione istius, & aliorum similium advertite, quod propositiones necessarier, & æternæ veritatis sunt illæ, inter quorum extrema impossibile est, quod non resurgat relatio, semel, quod termini talium propositionum, subjectum scilicet, & prædicatum supponantur; & per intellectum, sive creatum, sive increatum apprehendantur. Unde ab æterno fuit verum dicere: *homo est animal*; non, quia animal ab æterno existeret, sed quia pro quocumque æternitatis instanti, hæc conditionalis est vera: *si homo hic, & nunc existeret, animal esset*. Nec ex hoc inferas, veritatem istarum propositionum non esse absolutam, sed con-

ditionalem ; quia, licet explicetur per hanc conditionem : *si extrema existerent*, tamen veritas eorum est absoluta ; quia fundatur in esse possibili extremorum, quod convenit rebus ab æterno, modo jam explicato.

14 Secunda Conclusio : *creaturæ ab æterno sunt vera entia realia, & positiva*. Est communis. Prob. : ens in actu, & ens in potentia, non solum sunt ejusdem generis, & speciei, sed etiam idem numero ; sed Petrus, nunc existens, est verum ens reale & positivum : ergo & Petrus in statu possibilitatis ens tale est. Confirmatur ex definitione entis nominaliter sumpti ; nam est, quod existit, vel cui non repugnat existere à parte rei ; sed, quamvis creaturæ possibles actualiter ab æterno non existant, ipsis tamen non repugnat existere, aliàs, ex impossibili ab æterno fieret possibile in tempore : ergo creaturæ ab æterno, &c.

15 Dices 1. : homo in æternitate est tam nihil, quam chimera ; sed hæc non est ab æterno ens reale positivum : ergo. Maior est Doct. in 1. dist. 87., num. 14. Resp. disting. mai. : homo in æternitate est tam nihil participialiter, seu in actu existentie, quam chimera, conc. mai. : simpliciter, &

absolutè, nego mai. Audi Doctorem citat. : *homini in æternitate inest, non esse aliquid, & chimerae, non esse aliquid ; sed homini non repugnat affirmatio, quæ est, esse aliquid : Chimera autem repugnat*. Vide dicta quæst. antec. argumento 4.

16 Dices 2. : si creatura ab æterno esset ens reale positivum, possemus cognoscere : *quid sit res* ; ignorando : *an sit*. Sed hoc est contra Aristot., qui docet, quod præcognitio : *an sit*, est prior, cognitione : *quid sit* : ergo &c. Resp. disting. mai. : si creatura, &c, possemus cognoscere : *quid sit res*, ignorando : *an sit, actu existens*, conced. mai. : ignorando : *an sit possibiliis*, nego mai. Quarè, dum dicitur, quod præcognitio : *an sit*, sit prior cognitione : *quid sit*, hoc non intelligitur de esse actuali essentie, aut existentie ; sed solum de esse possibili objectivo. Videte dicta in præmissilibus Logicæ, inquirendo : *an Logica sit scientia ?*

17 Dices tandem : hoc prædicatum possibile minuit vim significati istius prædicati *ens* : ergo de creatura possibili non potest dici, quod sit simpliciter ens reale. Antec. constat, quia prædicatum, quod non convenit absolutè subjecto, sed cum aliquo addito, minuit vim ta-

lis prædiciti ; sed hoc prædicatum *ens reale* convenit creaturæ cum hoc addito *possibile* : ergo, &c. Resp. negando antec., & maiorem probationis ; nam in hac probatione : *creatura est ens reale possibile*, salvatur in prædicato tota, & integra ratio entis, & solum minuitur ratio significandi copulæ *est*, quæ absolutè sumpta, significat, rem actu existere. Et sic in tali propositione, salvatur indemnis ratio formalis entis, nominalitèr sumpti, licèt non participialitèr.

Tertia, & ultima Conclusio :

18 *Creaturae possibles habuerunt ab æterno quoddam esse actuale, secundum quid sumptum, quod Subt. Doct. vocat, esse diminutum, seu cognitum.* Thomistæ quam plures, post Cayet. ætiter censurant hanc conclusionem Doct., tamquam coincidentem cum sententia Uviclesij. Hic modus arguendi, non est novus in Cayetano, sed factis familiaris, cum sententias, sibi oppositas, maximè Scotistas non rationibus rejicere valet. Circa hoc videantur, nedum nostræ Scholæ Authores, sed Vazquezius Disput. 70. primæ partis, cap. 2. : & Disput. 101, cap. 3. Et Suarez Disput. 31. Metaphys. Sect. 2., qui Subt. Doct. ab hac calumnia Cayetanica extrenuè vindicant. Nos à censura in censuram ferendam abstinemus.

19 Prob. conclus. ratione : intellectus divinus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit ab æterno creaturas possibles, quoad suam possibilitatem : ergo creaturæ possibles ab æterno denominantur cognitæ : ergo habent ab æterno esse actuale cogniti, seu intellecti. Prob. hæc conseq. : implicat in terminis, quod aliquid dicatur ab æterno cognoscens, quin dicatur aliquid ab æterno cognitum : ergo cum intellectus divinus dicatur ab æterno cognoscens, istæ dicuntur cognitæ. Confirm. : implicat, quod oculus videat parietem, quis paries sit visus ab oculo : ergo à pari de creaturis, respectu cognitionis : ergo habent ab æterno esse actuale cogniti, quod est esse diminutum, & secundum quid omnino distinctum ab esse actuali essentiæ, & existentia, quod recipiunt in tempore à voluntate divina.

20 Arguitur 1. ex Cayetano : Deus nihil producit ad extra nisi liberè ; sed creatura haberet ab æterno aliquod esse actuale diminutum, seu cognitum, non liberè, sed necessariò produceretur : ergo &c. Resp. concedendo mai. : immo & minorem ; quia sicut non est inconveniens, quod Deus naturali necessitate intelligat ab

æterno creaturas posibles, ita non est inconveniens, quod ipsas producat ab æterno in esse actuali cogniti, quod non est simpliciter producere ad extra; nam hæc productio pertinet ad voluntatem Dei, minimè verò ad intellectum. Creatio igitur, sive productio ab æterno per voluntatem terminatur ad verum esse reale essentia, & existentia, quod absolute repugnat creature ut duximus 8. Physic.

21. Arg. 2. : hæc productio in esse cognito, & diminuto est periculosa: ergo est relegendæ. Prob. antec. : periculosum est, dicere, Deum non posse esse sine hoc esse cognito, & diminuto; sed si tale esse cognitum est ab æterno, Deus non posset esse sine ipso: ergo, &c. Quæro à Cayet. : est periculosum dicere: quod Deus non potest esse sine possibiliibus? Deinde: est periculosum, quod Deus non possit esse sine essentijs rerum? Ad utrumque respondebit negativè; quia Deus connectitur essentialiter metaphys. cum possibiliibus: & essentia rerum, juxta ipsos, sunt ab æterno. Ex quo resp. negando antec., & mai. probationis; quia sicut non est periculosum, asserere, quod Deus ab æterno cognovit possible, & quod Deus non possit esse sine scientia simplicis intelligentia, sal-

tim quoad entitatem talis scientia; ita non est periculosum, dicere, quod possible sunt ab æterno producta in esse actuali cogniti, quæ productio nihil esse actuale physicum ponit in creaturis.

22. Notate hic, quod esse cognitum, & diminutum, quod Subr. Doct. tribuit creature possibile ab æterno, non est esse reale simpliciter, nec est purum ens rationis, nec est medium inter ens reale simpliciter, & ens rationis, ut vult Pontius, juxta Mastrium; sed est quædam denominatio extrinseca, & realis, præbens fundamentum intellectui, ut concipiat illud esse cognitum per modum alicujus intrinseci in subiecto denominato, juxta dicta de nominationibus extrinsecis in Logica Disput. de ente rationis. Undè illud esse cognitum creaturarum est quoddam esse pure objectivum, reale tamen, & possibile, valetque appellari *ens rationis*, non formale, sed fundamentale, & derelictum. Videatur Doct. in 1. dist. 36. quæst. unica per totam.



QUÆST. IV.

*An Omnipotentia sit essentialiter
connexa cum pos-
sibilitibus ?*

PRO solutione diffi-
cultatis, quæ Theo-
logica est, notate
1., quod ad hoc, ut causa di-
eatur absolutè, & simpliciter
potens producere effectum requi-
ritur potentia activa intrinseca in
causa, & possibilitas passiva ad
produci in effectu. Hac de cau-
sa Deus non dicitur simplici-
tèr, & absolutè potens produ-
cere chimeram; quia, licèt in
Deo, quantum ex parte sui est,
sit virtus activa ad ipsam pro-
ducendam; quia tamen chime-
ra se ipsa repugnat formalitèr,
ideò non datur causa absolutè
potens ipsam producere.

Notate 2., quod nul-
la causa est perse, & essentia-
liter connexa cum aliquo effec-
tu in particulari, nam quocum-
que effectu in particulari repug-
nantè, adhuc manet in causa
eadem virtus productiva, ac
anteà, Quarè, licèt causa, ut
causa est, essentialitèr connec-
tatur cum effectu, indeterminatè,
& vagè sumpto, cum

nullo tamen determinatè capto.
Ex quo inferitur, quod si om-
nes effectus alicujus causæ, col-
lectivè sumpti, repugnarent, re-
pugnaret quoque causa formalitèr,
ut talis, proptèr ratio-
nem transcendentalem, quam
causa sic sumpta dicit ad om-
nes suos effectus collectivè cap-
tos, tamquàm ad terminum
adequatum ipsius. Dixi: *causa,
formalitèr ut talis*; quia entita-
tivè, & materialitèr capta, sub-
sisteret, repugnante omni ejus
effectu.

3. Notate tandèm, quod
Omnipotentia divina potest con-
siderari, primò *fundamentalitèr*,
seu quoad entitatem, & suffi-
cientiam, seu in actu primo
proximo, quod idem est: &
sic significat perfectionem abso-
lutam, & intrinsecam. Secun-
dò potest considerari formalitèr,
seu in actu secundo, producen-
te possibilia, vel quoad efficien-
tiam, & denominationem. In
hoc secundo sensu importat Om-
nipotentia quandam relationem
rationis, terminatam ad possi-
bilia. Undè Omnipotentia in
primo signo, naturæ intelligi-
tur, non cointellectis possibili-
bus. In secundo verò signo in-
telligitur resultatè relationem ra-
tionis ad possibilia terminatam.
His ergo notatis, sit

CONCLUSIO.

4. *Omnipotentia non connectitur essentialiter cum possibilibus: immò istis repugnantibus, adhuc staret completè, & adequate virtus Omnipotentiae.* Est contra Thomistas, & aliquos Iesuitas, expressa tamen Subt. Doct. in 1. dist. 18. quest. unic. & dist. 30. quest. 2.; alijsque in locis. Prob. 1.: si lapis redderetur impossibilis v. g., adhuc in Deo remaneret potentia productiva lapidis: ergo destructo quocumque possibili, &c. Prob. antec.: non ideò Chimera dicitur de facto impossibilis; quia Deo deficiat potentia ad illam producendam; sed quia Chimerae deest potentia passiva ad produci: ergo defectus potentiae passivae in lapide ad produci, non arguit in Deo defectum potentiae activae: ergo si lapis redderetur impossibilis, &c.

5. Prob. 2. conclusio. si Omnipotentia connecteretur essentialiter cum possibilitate cuiuscumque creaturae, deficiente possibilitate, formica v. g., deficeret Omnipotentia; sed hoc est absurdum: ergo. Prob. minor: absurdum est, quod illud, quod est magis necessarium coexigat ad sui existentiam illud, quod est minus necessarium; sed Deus quoad omnia

sua intrinseca est magis necessarius, quam formica, aut quaevis alia creatura possibilis: ergo, &c. Nec valet, si dicas: pro Thomistis, quòd deficiente formica, deficeret Omnipotentia à posteriori, sed non à priori. Nam

6. Contra: implicat, quod creatura aliqua, secundum aliquod sui esse, habeat aequalem necessitatem cum Deo; sed si deficiente possibilitate possibilem deficeret Omnipotentia, adhuc à posteriori, creatura secundum aliquod sui esse, scilicet, esse possibile, haberet aequalem necessitatem cum Deo: ergo ex defectu possibilem non inferatur à posteriori defectus Omnipotentiae. Prob. min.: creatura, secundum esse possibile, est aequalis necessitatis cum Deo, si est aequè impossibile, deficiente possibilitate talis creaturae, ac deficere Deum; sed eo ipso, quod ex defectu possibilitatis creaturae inferatur à posteriori defectus Omnipotentiae, aequè impossibile est deficere possibilitatem creaturae, ac deficere Deum: ergo, &c.

7. Prob. tandem conclusio: Omnipotentia non est inseparabilis à possibilitate creaturarum: ergo, etsi haec deficeret, non illa. Prob. antec.: inseparabilitas aliquorum provenit,

nit, vel ex identitate reali ipsorum, vel ex dependentia unius ab altero, vel ex eo, quod ambo sint simul natura, ab invicem essentialiter correlata; sed Omnipotentia non identificatur realiter cum possibilibus, nec ab ipsis dependet, nec ambo sunt simul natura, & ab invicem correlata: ergo, &c. Minor quoad primam, & secundam partem, est vera. Probat quoad ultimam: si Omnipotentia, &abilia essent simul natura, & ab invicem correlata, vel respecerent se per relationem predicamentalem, vel per transcendentalem; sed non se respiciunt mutuo per relationem predicamentalem, nec per transcendentalem: ergo, &c. Prob. minor quoad primam partem: si se respecerent mutuo per relationem predicamentalem, iam daretur in Deo aliquod accidens; etenim relatio predicamentalis est accidens; sed Deus est incapax accidentis: ergo, &c.

8 Prob. eadem minor quoad secundam partem: relatio transcendentis ordinatur ad terminum, ut ad suum specificativum; sed implicat, aliquid divinum specificari ab ullo creato, cujusmodi sunt omnia possibilia: ergo. Confirm.: illa, quae correlativè se habent, in quantum talia, sunt equalis necessitatis; sed creatura, ut possi-

bilis, non est equalis necessitatis cum Deo, ut est Omnipotens: ergo Deus, ut Omnipotens, non se habet correlativè ad possibilia, in quantum talia. Probat. maior: illa sunt equalis necessitatis, quae sunt ita connexa, quod, posita, se ponunt; premissa, se pereunt; sed sic se habent correlativa: ergo, &c.

9 Respondent aliqui, quod, licet Omnipotentia non connectatur essentialiter cum Petro v.g., ut possibili, quia Petrus, ut possibilis, dicit ordinem ad existentiam, quae ipsi contingentèr advenit, connectitur tamen essentialiter cum possibilitate Petri possibilis. Sed contra: possibilitas Petri habet connexionem essentialem cum Petro possibili, sicut existentia Petri cum Petro: ergo si Omnipotentia non connectitur essentialiter cum Petro possibile, neque connectitur cum possibilitate Petri possibilis. Præterea: si Petrus possibilis haberet necessariam possibilitatem, iam subjectum istius possibilitatis, scilicet, Petrus, esset necessariò possibilis: ergo Petrus non esset contingens; etenim Petrus existens non distinguitur adhuc numericè à se ipso, ut possibili, neque possibilitas Petri distinguitur ad ipsum Petrum, immò est prædicatum essentialè ipsius: ergo si Omnipotentia non con-

nectitur cum ipsomet Petro subjectivè existente ; ut fatentur Contrarij, neque connectitur cum possibilitate Petri.

Solvuntur Argumenta.

10. Arguitur 1.: Omnipotentia est virtus productiva possibilium, si dantur ; sed possible necessario dantur ; ergò Omnipotentia est necessario productiva ipsorum : ergò est necessario connexa cum ipsis Respondeo distinguendo min. : sed possible necessario dantur, necessitate proveniente ex ratione formali intrinseca, & non repugnantia logica ipsorum, conc. min. : necessitate proveniente ab aliquo predicato divino, nego min., & utramque consequentiam. Possibilia ergò necessario possibilia sunt ex sua ratione formali, modo dicto quæst. 2. attamen hæc necessitas non est intrinseca Omnipotentia, sed omnino extrinseca, & accidentalis ita ut entitas absoluta Omnipotentia, seu quoad entitatem, & sufficientiam stare, licet possibilia per impossibile impossibilia rederentur.

11. Arguitur 2.: possible connectuntur essentialiter cum Deo : ergò & Deus cum possibilibus. Resp. concessio antec., negando consequentiam, quia non datur hæc con-

nexio mutua propter dicta in ultima probatione conclus. Undè inflo argumentum 1. entia actualia connectuntur essentialiter cum Deo : ergò, & Deus cum ipsis : ergò deficiente Petro, nunc actu existenti, deficit Deus? Mala consequentia. Secundò : unio, & quælibet relatio prædicamentalis connectitur essentialiter cum suis extremis : ergò & extrema connectuntur essentialiter cum unione & relatione ; non tenet hæc consequentia apud Contrarios : ergo nec argumenti.

12. Arguitur 3. : implicat virtus productiva alicujus termini absque termino productibili ; sed Omnipotentia est essentialiter virtus productiva possibilium : ergò implicat Omnipotentia sine possibilibus ; & consequenter connectitur cum ipsis. Respond. distinguendo mai. : implicat virtus productiva quoad efficientiam &c. conc. mai. quoad sufficientiam, & entitatem, nego mai. : inversis terminis distinguo minor, & nego consequ. Itaque Omnipotentia, quæ est formaliter ; & intransitive voluntas divina, ex suppositione, quod possible sint, dicitur, & denominatur productiva ipsorum ; facta tamen suppositione, quod possible reddantur impossibilia, tunc esset entitas absoluta ex parte sui, sufficienter productiva ipsorum.

rum, ut modo est respectu Chimerae.

13. Arguitur 4. : Deus connectitur essentialitèr cum impossibilitate impossibilem ; ergo, & cum possibilitate possibilem. Prob. antec. : Deus connectitur essentialitèr cum impossibilitate alterius Dei ; sed alter Deus est impossibilis : ergo, &c. Confirm. : Deus absolute, & essentialitèr non habet virtutem productivam alicujus impossibilis : ergo absolute, & absque ulla conditione habet virtutem productivam omnium possibilem : ergo essentialitèr connectitur cum quolibet possibili.

14. Pro solutione note, quod impossibilia sunt in duplici differentia : quedam sunt, ex quorum possibilitate per impossibile posita, destrueretur Deus : huiusmodi sunt alter Deus, & mendatium, v.g.; nam quia Deus est essentialitèr, & intrinsecè unus, infert essentialitèr impossibilitatem alterius Dei : & quia est summè, & infinitate verax, & sapiens, infert essentialitèr impossibilitatem mendatij in se ipso ; nam semel posito mendatio in Deo, non esset infinitè verax, & consequenter, nec Deus. Alia sunt impossibilia, ex quorum positione, si per impossibile ponantur, nulla sequitur imperfectio in

Deo : ut si daretur *Mons aureus* ; *Hircocerbus*, & alia huiusmodi. Hoc supposito.

15. Resp. distinguendo antec. : Deus connectitur essentialitèr cum impossibilitate impossibilem, ex quorum possibilitate, per impossibile posita, destrueretur Deus, concedo antec. : ex quorum possibilitate posita Deus non destrueretur, nego antec. ; per quod patet ad probat. Deus ergo connectitur cum impossibilitate impossibilem primi generis propter rationem dictam ; sed non cum impossibilibus secundi generis ; quia si ista redderentur possiblea, daretur in Deo virtus productiva ipsorum. Ad confirm. distinguo antec. : Deus absolute non habet virtutem productivam alicujus impossibilis primi generis, conc. antec. : secundi generis, nego antec. : & distinguo consequens : ergo absolute, & absque conditione habet virtutem productivam cujuscumque possibilis quoad sufficientiam, & entitatem virtutis, conc. consequ. : quoad efficaciam, & denominationem, nego consequ. Solutio constat ex argumento antecedenti.

16. Arguit. 5. : res producibilis, ut virtualitèr contenta in Omnipotentia, est ipsa omnipotentia ; sed dum res produ-

ducibilis deficeret, deficeret contineri in Omnipotentia; ergo & deficeret Omnipotentia: ergo hæc connectitur cum re producibili. In isto argumentum: res actualis contenta in Omnipotentia, est ipsa Omnipotentia: ergo dum res actuales, sic contenta deficeret, deficeret contineri in Omnipotentia: ergo re actuali deficiente, deficeret Omnipotentia: quod non concedunt Contrarij. Sed quia instantia non est solutio, respondeo disting. mai.: res producibilis, ut virtualiter contenta in Omnipotentia, est ipsa Omnipotentia, quod efficientiam, & denominationem, conc. maior: quoad sufficientiam, & entitatem, nego mai.; & disting. min. inversis terminis, & nego consequentiam.

17 Deficiente ergo re possibili virtualiter contenta in Omnipotentia, adhuc permaneret Omnipotentia, quoad sufficientiam capta; hoc est; permaneret entitas illius prædicati divini, quod contineret virtualiter possibilia, ex suppositione, quod ista non deficerent; & deficeret solū quoad denominationem, & efficientiam, quod est merè extrinsecū Omnipotentis, quæ materialiter, & entitative sumpta, semper statet salva; etiam si omnia possibilia creata per impossibile redderentur impossibilia.

18 Arguitur 6.: entitas Omnipotentis, ut est distincta ab alijs perfectionibus divinis, non potest intelligi nisi in ordine ad possibilia; sed entitas, quæ non potest intelligi nisi in ordine ad possibilia, non salvatur sine possibilibus: ergo talis entitas Omnipotentis non potest salvari sine possibilibus. Probatur mai.: entitas intellectus divini non potest salvari sine ordine ad intelligibilia; sicut nec entitas voluntatis sine ordine ad amabilia: ergo similiter, &c.

19 Resp. disting. mai.: entitas Omnipotentis non potest intelligi sine ordine ad possibilia, ex suppositione, quod ista dentur, conc. mai.: absolute, & inferendo possibilia per consequentiam formalem ex entitate materiali Omnipotentis, nego mai. Ad prob. disting. antec.: entitas intellectus divini, & voluntatis non potest intelligi sine ordine ad intelligibilia, & ad amabilia *ad intra*, conc. antec.; quia intellectus, & voluntas in Deo connectuntur essentialiter cum omnibus prædicatis divinis *ad intra*: sine ordine ad intelligibilia, & amabilia *ad extra*, subdistinguo antec.: nequit intelligi, ex suppositione, quod dentur, conc. antec., absolute, nego antecedens. Solutio satis clara est.

20 Arguitur 7. : si
possibilia impossibilia redderentur,
difficeret in Deo scientia
simplicis intelligentiæ, quia ista
est, quæ Deus ab æterno cog-
noscit possibilis; sed talis scien-
tia est Deo necessaria: ergo
deficientibus possibilibus, difficeret
in Deo aliquid necessarium,
& consequenter, &c. Hoc
argumentum, sicut, & alia plu-
ria; quæ hic objicere solent Con-
trarij maximè Pater Ribadane-
ra Tract. de scientia Dei, Dis-
put. 7., facile solvuntur hac
distinctione: difficeret scientia
simplicis intelligentiæ; quoad
efficientiam, & denominationem,
conc.: absolutè quoad sufficien-
tiam, & entitatem, nego. Vi-
dere, quæ diximus, tum nota-
bili 3.: tum in solutione ar-
gum. 4. Per quod solventur &
alia.

21 Arguitur tandem
pro Thomist.: Pater Æternus
connectitur essentialitèr cum
Verbo Divino; sed Verbum Di-
vinum procedit ex cognitione
possibilium: ergo Pater Æter-
nus, qui est Deus, connecti-
tur essentialitèr cum possibili-
bus. Resp. 1., quod min. est
absolutè falsa in nostris prin-
cipijs, ut videbitis in Theolo-
gia. Resp. 2. quod Verbum
procedit ex cognitione compre-
hensiva omnium, quæ possunt
cognosci, & cum defacto den-
tur possibilis, permitto pro

nunc, quod procedit ex cog-
nitione ipsorum; verumtamen
si per impossibile fierent impos-
sibilia, procederet Verbum Di-
vinum ex cognitione comprehen-
siva *ad intra*, & nullo modo
ex cognitione possibilium, quæ
iam impossibilia supponuntur.

QUEST. V.

*Quomodo essentia, & exist-
entia distinguantur?*

HUCUSQUE lac-
tum est de es-
sentia rerum
creatarum in statu possibili-
tatis considerata; nunc verò
est agendum de eadem essentia
in statu actualitatis posita, hoc
est, prout ponitur à parte rei
existens extra virtutem suæ cau-
sæ. Pro quo notate primò ex sæ-
pè dictis, quod per hoc nomen
essentia, nihil aliud intelligitur
nisi prædicata realia rei in pri-
mo modo dicendi per se. No-
tate 2., quod existentia, juxta
Aristot., 9. Metaphys. text. III.
est actu existere rem, non ita
sicut diximus in potentia. Ex
quibus benè definitur existentia
sic: *est ratio qua res constitui-
tur.* Notate 3., quod existen-
tia in communi sententia, est

reale positi quidditativum, intrinsecum rei existenti, se habens respectu essentiae ad modum actus. At tamen inter Authores hinc inde disputatur: an iste actus sit aliquod accidens respectu essentiae: an vero sit propria passio: an autem modus intrinsecus? Varij modi dicendi videantur in Nost. Mast. Disput. 8. Metaphysicè quest. ultima,

2. Nos dicimus, quod existentia, nec est accidens, nec passio, sed modus intrinsecus essentiae, qui est ipsi intimior quacumque ejus passio. Prob. quoad primam partem: accidens advenit enti in actu constituto, à quo potest adesse, vel abesse absque ejus corruptione; sed existentia non advenit enti in actu, sed potius constituit essentiam in actu existentem, ut patet ex ejus definitione, nec potest adesse essentiae, quin ista ponatur actu existens, nec abesse, quin hæc deficiat: ergo existentia non est accidens, &c. Prob. quoad secundam partem: existentia est prior quacumque passione rei: ergo non est passio rei. Prob. antec.: antequam demonstretur passio de subiecto, præsupponitur: an sit, vel existat subiectum, juxta dicta de obiecto Logicæ: g. existentia est prior, &c.

3. Prob. quoad tertiam partem: existentia actualis non est quidditas rei creatæ, nec de ejus quidditate; est enim quid posterius essentia; sed alia nec est accidens nec passio: er- est modus intrinsecus. Conf.: existentia non variat rationem formalem rei cujus est existentia: ergo est modus intrinsecus ipsius. Consequentia constat ex definitione modi intrinseci. Prob. antec.: quia homo in statu essentiae, seu possibilitatis, est idem formalissime homo, qui postea est in statu sub- jectivo existentiae: ergo, &c. Notate, quod hic solum est quæst. de essentia, & existentia in creatis; quia existentia Dei est prædicatum quidditativum, & essentiale ipsius. Quare hæc propositio: *Deus existit*, est necessaria: hæc verò: *homo existit*, est contingens, & quinti prædicabilis.

4. Notate tamen, quod quæst. est de essentia, & existentia uniformiter sumptis, hoc test, de essentia actuali, comparata ad actualem existentiam; & de possibili comparata ad possibilem; non autem de essentia possibili comparata ad existentiam actualem, quam pro tempore habere potest; nam in hoc secundo sensu solum distinguitur penes diversos status, si-

cū homo possibilis distinguitur à se ipso postea actu existente. In hac difficultate Thomistæ admittunt distinctionem realem strictam. Iesuitæ, & Nominales distinctionem rationis concedunt. Scotistæ verò communiter distinctionem formalem modalem admittunt. Cum quibus sit

PRIMA CONCLUSIO:

5 *Essentia actualis non distinguitur realiter ab existentia actuali, nec possibilis à possibili.* Est Doct. pluribus in locis, videndis in Maffrio. Prob. 1.: distinctio realis rei, & rei petit extrema realia à parte rei existentia; sed essentia, & existentia non sunt duo extrema realia à parte rei existentia: ergo, &c. Minor videtur evidens; quia si essentia, & existentia essent talia extrema, jam essentia, ut distincta ab existentia, esset extremum à parte rei actu existens, quod inconvenit; cum existentia sit ratio, qua essentia existit à parte rei. Prob. min.: omnis relatio realis, quæ actu est à parte rei, petit extrema realia, actu à parte rei existentia; sed distinctio realis actualis est relatio realis, actu à parte rei existens: ergo petit, &c.

6 Respondent aliqui Thomistæ distinguendo maior

probationis: distinctio realis rei à re, petit extrema realia, à parte rei existentia una, vel pluribus existentijs, concedunt maior: præcisè pluribus existentijs, negant mai.: & inversè terminis distingunt min. Parificat hoc exemplo, materiæ, & formæ, quæ sunt duo extrema realia à parte rei existentia, una dūtaxat existentia, cum materia existat per existentiam formæ.

Aptum sanè exemplum, sed æquè falsum, ac parificatum. Undè contra 1.: distinctio realis actualis petit extrema actu existentia pluribus existentijs: ergo nulla est solutio. Prob. antec.: omnis distinctio sapit naturam extremorum, interquæ versatur; sed distinctio inter essentiam & existentiam est actualis: & ut fundata in essentia habet propriam existentiam: ergo & quodlibet extremum habet suam propriam existentiam. Maior est vera. Minor quoad omnes partes constat. Inferò: ergo & ipsa essentia in qua fundatur talis distinctio actualis, habet actualem existentiam; alias fundatum, scilicet, distinctio, esset maioris entitatis, quam fundamentum, scilicet, essentia.

7 Contra secundò, & est ad hominem contra Thomistas: essentia supponitur existens pro priori ad existentiam: ergo diversis existentijs existunt.

Prob. antec. : existentia uniuersalis essentia, & in ipsa recipitur, tamquam actus in potentia subiectiva : secundo essentia exercet veram causalitatem materiale[m] erga existentiam, quam physicè recipit, & physicè sustentat; sed implicat in terminis, quod existentia uniuersalis essentia, aut in ipsa recipiatur, & sustentetur, & physicè causeatur, quia essentia supponitur existens pro aliquo signo naturæ ad existentiam : ergo essentia, &c. Maior est Thomistarum. Minor patet; quia existentia est ratio formalis, vel saltem conditio prærequisita ad hoc, ut essentia prædicta numerata præstet.

8 Confirm. : rationi dissonum est, quod subiectum actuale formæ recipiat suam existentiam ab illa eadem forma, quam in se recipit, & sustentat, sicut & quod causa recipiat existentiam ab illo effectu, quem producit; aliàs causa non existens produceret; sed essentia, juxta Thomistas est subiectum actuale, recipiens, & sustentans existentiam, istamque verè producens in genere causæ materialis : ergo implicat, quod essentia, in principijs Thomist., non sit existens pro priori ad illam existentiam, à qua, dicunt, distingui realitèr. Videtè 1. Physic., agendo de existentia materiæ primæ,

ubi alię responsiones infringuntur.

9 Prob. 2. conclus. ratione : existentia est id, quo res ponitur extra nihil, siue extra suas causas; sed res ponitur extra suas causas, non per aliud à se realitèr distinctum, sed per suam essentiam actualem : ergo quia hæc non distinguitur realitèr à sua existentia. Prob. minor : quodlibet ponitur extra suas causas per id, per quod excludit sui non esse; sed res per suam essentiam excludit sui non esse : ergo per hanc ponitur extra causas. Confirmatur : unum contradictorium solum auferitur per suum contradictorium; sed non esse essentia, opponitur contradictoriè esse essentia, non autem alicui positivo, ab essentia realitèr distincto : ergo non esse essentia solum auferitur per ipsam essentiam : ergo essentia se ipsa formalitèr existit.

10 Respondent aliqui, quod essentia, extra causas posita, habet actum quidditativum, & essentialem, non verò actum existentialem; quia istæ solum habetur ab existentia superveniente essentia, extra causas posita. Contra : essentia, extra causas posita, vel est aliquid in rerum natura per suam essentiam, vel est nihil, vel est medium inter utrumque? Non est nihil, sicut

ent fatentur Adversarij: nec est medium inter aliquid, & nihil; quia inter contradictoria, qualia sunt hæc; non datur medium: ergo est aliquid in rerum natura, productum à causa efficienti. Nunc sic; sed omnis actio productiva causæ efficientis, juxta Thomistas, & veritatem, terminatur ad dandam existentiam rei: ergo essentia extra causas posita per causam efficientem, se ipsa existit: & non existit per aliquid realiter distinctum.

11 Respondent alij Thomistæ, quod essentia actualis in signo priori ad existentiam est in statu medio inter possibilitatem, & existentiam, quem dicunt statum essentialem. Quare essentia pro illo signo est extra statum possibilitatis, sed non proveniens ad existentiam, donec habet illam existentiam distinctam. Contra: illa existentia distincta, superveniens essentiæ, in statu essentiali consideratæ, vel reperit essentiam aliquam in infra statum potentiæ objectivæ, vel totaliter extra ipsum? Primum repugnat, & secundum & nostra conclusio: ergo nulla est solutio. Minor quoad prim. part. constat; quam repugnat quod ens partim sit intra, & partim extra statum potentiæ objectivæ; alioquin essentia, quæ est indivisibilis, par-

tim esset, & partim non esset. Quoad secundam etiam patet; quia quod est totaliter extra statum potentiæ objectivæ, terminat actionem productivam agentis; sed hujusmodi actio dat existentiam: ergo, &c.

12 Prob. 3. Conclusio: nihil constituitur formaliter, & intrinsecè in suo esse per aliquid à se realiter distinctum; sed essentia, constituitur formaliter, & intrinsecè in suo esse per existentiam: ergo hæc non distinguitur ab illa. Confirm.: homo possibilis v. g., est signatè intrinsecè animal rationale & homo existens est exercitè intrinsecè animal rationale: sed homo existens nequit esse exercitè intrinsecè animal rationale per aliquid à se realiter distinctum: ergo est tale se ipso formaliter. Probatur min.: aliquid esse intrinsecè tale, necessario dicit esse tale per aliquid realiter identificatum cum ipso: ergo homo existens, &c.

13 Probat. 4. Conclusio: Petrus modo existens vel habet essentiam, extra causas positam in actu opposito potentiæ objectivæ formaliter, & intrinsecè, vel tantum denominativè, & per aliud? Sed primum est nostra conclusio, & secundum repugnat: ergo essentia Petri se-

ipsa est, formalitèr actu existens, & non per aliquid realitèr distinctum. Prob. minor quoad primam partem: quod est formalitèr, & intrinsecè in actu opposito potentiaè objectivæ, formalitèr, & intrinsecè existit per existentiam sibi intrinsecè identificatam: ergò si essentia Petri, &c. Antec. constat; quia sola existentia est ratio formalis formalitèr excludens potentiam objectivam. Prob. eadem minor quoad secundam partem: repugnat, quod essentia Petri modo actu existentis, sit formalitèr, intrinsecè, in potentia objectiva; sed si essentia Petri modo existentis, est tantum denominativè, & per aliud in actu opposito potentiaè objectivæ, adhuc, ut existens, est formalitèr, & intrinsecè in potentia objectiva: ergò non est tantum denominativè, &c. Minor patet in forma unita materiae, quæ relinquit materiam in potentialitate intrinseca, & formali.

14. Prob. 5. Conclusio: quando res actu existit, est actu una numero essentia, & unum numero ens; sed si essentia actualis distingueretur realitèr ab existentia, res, actu existens, non esset una numero essentia, nec unum numero ens: ergò, &c. Prob. minor: illa, quæ sunt duo numero distincta,

non sunt, nec possunt esse unum numero ens; sed supposita opinione Thomistæ, essentia, & existentia essent duo numero distincta: ergò, &c.

15. Prob. 6.: essentia actualis, ut res realitèr distincta; vel est res producta, & à Deo dependens, vel non? Si non: ergò datur aliqua entitas actualis improducta, & à Deo independens, quod repugnat: ergò tenentur dicere primum. Infetò: ergò essentia actualis pro priori ad illam existentiam superadditam, est actu existens. Probantur hæc consequentia: essentia actualis pro illo priori est terminus actionis productivæ; nam pro illo priori supponitur producta, & dependens à Deo: ergò pro illo priori actu existit. Prob. conseq.: omnis actio productiva, adhuc in sententia contraria, terminatur ad dandam existentiam rei: ergò cum essentia actualis in illo priori sit terminus actionis productivæ, ponitur actu existens: ergò non distinguitur realitèr ab illa existentia, per quam existit. Nota-
re benè hanc rationem.

16. Prob. tandem conclusio ad hominem: ideò, juxta Thomistas essentia realitèr distinguitur ab existentia, quia essentia non existit necessario, sed est indifferens ad existendum, &

non existendum; sed hoc idem habet existentia: ergo vel essentia non distinguitur realiter ab existentia, vel existentia quoque distinguitur realiter à se ipsa, quod implicat. Prob. minor: quod nunc non existit, & postea exiturum est, non existit necessariò; sed est indifferens ad existendum, & non existendum; sed existentia Anti-Christi v.g., non existit nunc, & postea exitura est: ergò non existit necessariò. Confirmatur: existentia, quæ nunc gaudet Petrus, non fuit ab æterno; alius Petrus fuisset ab æterno existens: ergo existentia Petri fuit ab æterno possibilis: g. sicut ejus essentia fuit ab æterno indifferens ad existendum, vel non existendum, ita & ejus existentia; & consequenter, &c.

17 Respondent aliqui, disparem esse rationem de essentia, & existentia. Ratio est; quia essentia non est ratio formalis existendi, bene verò existentia: & sic essentia indiget existentia, ut existat, non verò existentia alia existentia; quia ista est ratio formalis existendi. Parificatur hoc in unione, quæ, quia est ratio formalis uniendo, non indiget alia unione, sed se ipsa unit: extrema autem quia non sunt ratio formalis uniendo, indigent unione, ut dicantur unita.

18 Contra: ideo inferunt Thomistæ essentiam non esse rationem formalem existendi; quia ipsa est indifferens ad existendum, & non existendum; sed existentia quoque habet hanc indifferetiam: ergo, vel existentia non est ratio formalis existendi, vel essentia quoque est hujusmodi ratio. Confirmatur: si unio esset indifferens ad uniendum, & non uniendum æquè bene, ac extrema, unio non haberet rationem formalem uniendi, magis, quam extrema: ergo cum existentia sit æquè indifferens ad existendum, vel non existendum, ac essentia, non est ratio, cur illa sit ratio formalis existendi, & ista non.

19 Respondent alij, quod essentia non est ratio formalis existendi; quia potest concipi sine eo, quod res concipiatur existens; secus autem existentia. Contra 1.: quamvis existentia rei non possit concipi, quin existat, vel possit existere, falsum tamen est, quod non possit concipi existentia, quin res concipiatur actù existens; alioquin existentia Anti-Christi modo non posset concipi: ergo nulla est solutio. Contra 2.: concessio, quod essentia possit concipi sine existentia, hoc non probat distinctionem realem inter utramque: ergo non tenet solutio. Prob. antec.: quamvis

homo possit concipi, ut animal, quin concipiatur, ut rationalis, aut risibilis, non probat distinctionem realem, immò nec formalem ex natura rei, juxta Thomist., inter animalitatem, & rationalitatem in homine; ergò frustrâ hic recurrunt ad præcisionem conceptuum.

Solvuntur Argumenta.

20 Arguitur 1.: essentia est indifferens ad existendum, & non existendum: ergo distinguitur realitèr ab existentia. Prob. conseq.: illud, quod successivè subijcitur oppositis, distinguitur realitèr à quolibet ipsorum; sed eo ipso, quod essentia sit indifferens ad existere, vel non existere, successivè subijcitur oppositis, scilicet, *existere*, & *non existere*: ergo, &c. Maior constat; quia ideò materia distinguitur realitèr à forma, & privatione, quia successivè subijcitur utrique. Argumentum instatur in existentia, quæ ex dictis à num. 16., est indifferens ad existendum, & non existendum. Deindè: natura specifica est indifferens ad hanc, vel illam individuacionem: ergo distinguitur realitèr ab illa individuacione, quam

habet? Mala consequentia; sicut & argumenti. Directè tamen

21 Respondeo distinguendo antec.: essentia possibilis est indifferens ad existendum, & non existendum, omitto antec. falsum: essentia actualis, nego antec., & consequentiam. Essentia igitur actualis est ipsamet existentia, saltim realitèr, & identicè; etenim essentia actualis est terminus actionis productivæ, quæ ex natura sua terminatur ad dandam existentiam rei, juxta dicta à num. 10. Nec paritas de indifferentia materiæ priore est ad rem, quia hæc indifferentia est subjecti, physicè præexistentis ad omnem formam; non sic indifferentia essentiæ ad existentiam, fatentibus ipsismet Thomistis. Deindè, nec essentia possibilis est indifferens ad existentiam possibilem; quia ex dictis num. 4., istæ identificantur realitèr, non minùs, ac essentia actualis, & existentia actualis.

22 Arg. 2.: nulla res potest intelligi sub opposito illius, quod realitèr identificatur cum ipsa; sed essentia potest intelligi sub opposito existentia: ergo istæ non identificantur realitèr. Maior constat; nam ideò homo non potest intelligi sub opposito animalis; quia animal identificatur realitèr cum homi-

ne. Minor etiam patet; quia, qui considerat essentiam rei in hyme, intelligit talem essentiam non existere; sed non existere est oppositum existentiae: ergo essentia potest intelligi sub opposito existentiae. Argumentum instatur in existentia Anti-Christi futuri; nam dum quis considerat existentiam Anti-Christi, ut futuri, intelligit, ipsam non existere; sed non existere, est oppositum existentiae: ergo existentia potest concipi sub opposito, &c.

23 Resp. directè, concessa mai., disting. min.: sed essentia in statu possibilitatis potest intelligi sub opposito existentiae, omitto min. fallam; quia adhuc prout sic, non potest intelligi adæquatè sine existentia possibili ratione identitatis realis utriusque; sed essentia in statu actualitatis potest intelligi, sub opposito existentiae, subdisting. minorem: potest intelligi inadæquatè, & imperfectè, modo dicto Disput. 1. hujus, quæst. 4. num. 2., conc. min.: perfectè, & adæquatè, nego min. Itaque aliud est affirmare de subjecto oppositum illius prædicari, quod cum ipso realitè identificatur, aut negare tale prædicatum, & aliud intelligere, aut concipere subjectum, nihil prout cogitando de prædicato, realitè identificato cum ipso. Primum non

fit sine errore, & mendacioso; bonè verò secundum; quia: *absistentium non est mendacium*. Essentia igitur potest concipi imperfectè, gradualitè, non concepta existentia, non tamen potest concipi perfectè; quia existentia est modus intrinsecus essentiae, & nulla res potest perfectè concipi sine suo modo intrinsecò.

24 Arguit. 3.: illa distinguuntur realitè, quorum unum manet, altero non manente; sed essentia potest manere, destructa ejus propria existentia: ergo, &c. Minor probat.: humanitas Christi Domini non existit per suam existentiam propriam: nec accidentia Eucharistica panis, & vini existunt per suas existentias; sed essentia, tam humanitatis Christi, quam accidentium Eucharisticae manet eadem: ergo, &c. Maior constat; quia humanitas Christi existit per existentiam Verbi Divini: & accidentia Eucharistica per quandam novam, & supernaturalem existentiam. Hoc argumentum est Thomisticum, & ea facilitate qua proponitur, negatur, ab Scotistis, Resp. concessa mai., negando min., & mai. probat., sicut & probationem ipsius.

25 In primis Verbum Divinum assumpsit humanitatem, non

non objectivè, & in statu possibilitatis consideratam, sed actû, & subjectivè existentem; alias persôlas Divini Verbi uniretur actû, & immediatè entitati actû non existentî: Undè à personalitate solû recipit subsistere. De hoc in Theologia Tract. de Incarnatione. Accidentia Eucharistica retinent extra subjectum in Eucharistia inhaerentiam radicalem exigivam, perquamque constituuntur; & non per actualem, aut aptitudinalem, ut diximus in Logica, agendo de constitutivo accidentis. Undè ibi existunt sua propria existentia.

26 Arguit. 4.: quod convenit rei, independentè à causalitate effectiva causæ efficientis distinguitur realitèr ab omni eo, quod ipsi convenit cum dependentia à tali causa; sed essentia cujuscumque rei convenit ipsi independentèr à causalitate causæ efficientis, non verò existentia: ergo, &c. Minor constat; quia, quod homo sit animal rationale, non provenit à causa efficienti, bene verò, quod sit, vel existat. Confirmatur: omne necessarium distinguitur realitèr à quolibet contingenti; sed essentia rei est necessaria, & ejus existentia contingens: ergo istæ distinguuntur realitèr. Resp., concessa mai., negando minor.: & distingo antec.: quod homo sit animal

rationalè *actû existens*, non provenit à causa efficienti; nego antec.: quod sit animal rationale *objectivè*, & in statu possibilitatis, non provenit à causa efficienti, subdisting.: intrinsecè, & in genere causæ formalis, hoc est, quoad connexionem, seu non repugnantiam logicam prædicati cum subjecto, conc. antec., extrinsecè, & quasi effective, nego antec.

27 Itaque essentia actualis cujuslibet creaturæ ipsi communicatur à causa efficienti, non minus, ac ipsa existentia; etenim essentia actualis est realitèr ipsamet existentia. Quomodo autem creatura objectiva, & possibilis habeat suam essentiam in genere causæ formalis, independentèr à quocumque extrinsecò? Videte supra quæst. 2. per totam. Ad confirm. disting. min.: sed essentia rei est necessaria quoad connexionem essentialè, & non repugnantiam Logicam prædicati cum subjecto, conc. min.: alitèr, nego min.; quia essentia actualis est æquè contingens, ac ipsa existentia.

28 Arguit. 5.: nihil est in potentia ad se ipsum; sed essentia est in potentia ad existentiam: ergo essentia non est existentia. Resp. disting. mai.: nihil est in potentia subjectiva
ad

ad se ipsum, conc. mai.: in potentia objectiva, nego mai.: in versis terminis disting. min., & nego conseq. Instatur argumentum: nihil est in potentia ad se ipsum; sed existentia est in potentia ad existendum: ergo distinguitur à se ipsa. Prob. minor: ideò essentia est in potentia ad existentiam, quia res aliquandò existit, aliquando non; sed etiam existentia aliquandò existit, aliquando non, ut patet modò in existentia Anti-Christi: ergo, &c. Solutio directa argumenti patet ex dictis quæst. 1. hujus.

29 Arguitur 6.: id, quod convenit rei per se, distinguitur realitèr ab illo, quod convenit ipsi per accidens; sed essentia per se convenit rei; existentia vero tantùm per accidens: ergo, &c. Minor quoad primam partem constat. Quoad secundam prob.: quod convenit per se rei, convenit necessariò; sed existentia non convenit necessariò rei; alioquin res, non contingenter, sed necessariò existeret: ergo convenit per accidens. Resp. distinguendo mai.: id, quod per se convenit rei, distinguitur realitèr ab eo, quod ipsi convenit per accidens commune, & extrinsecum, conc. mai.: per accidens proprium, & intrinsecum, nego maiorem: in versis terminis disting. min.

quoad secundam part., & nego min. probationis.

30 Itaque essentia dicitur per se convenire rei, & existentia per accidens, non quia existentia sit accidens commune separabile ab essentia, sed quia existentia creaturæ non ingreditur conceptum quidditativum ipsius; nam cum existentia sit modus intrinsecus, supponit rem cujus est modus, in suo esse quidditativo constitutam. Existentia tamen est ipsi quid intrinsecum, & intimius quacumque ejus passione; quia, teste Doctore, circumscripta quacumque passione rei, non ideò excluditur ejus modus intrinsecus. Quare, cum existentia sit modus intrinsecus essentiæ, ipsi necessariò convenit, cum hac tamen proportionem, quod existentia actualis necessariò convenit essentiæ actuali, & essentiæ possibili, existentia possibilis.

31 Sed demus, quod fiat sermo de essentia possibili, comparata ad existentiam actua-lem. Dico, quod adhuc non distinguuntur realitèr, sed solum penès diversos status. Ratio est; quia id, quod modò est in potentia, erit illud idem numero, quod postea ponetur in actu. Et quandò ex connectione essentiæ cum existentia inferunt Thomistæ, quod res

non existeret contingentèr, sed necessariò, non benè philosophantur. Ratio est; quia, quod creatura contingentèr existat, tantùm provenit ex eo, quod habet totum suum esse, sibi communicatum à causa efficienti, potente ipsam producere, & non producere: & sicut totum esse communicatur creaturæ contingentèr, ita & essentia actualis cum existentia actuali realitèr identificata. Notate benè hanc rationem.

32 Arguit. 7. : illa distinguuntur realitèr, per quæ resolvuntur propositiones, seu quæstiones, realitèr distinctæ; sed per essentiam, & existentiam resolvuntur quæstiones, realitèr distinctæ: ergo, &c. Prob. minor: per existentiam solvitur quæstio: *an sit res?* Et per essentiam quæstio: *quid sit res?* ergo, &c. Resp. negando mai.; quia diversitas istarum quæstionum non infert distinctionem realem inter essentiam, & existentiam; alioquin essentia, & existentia Dei distinguerentur realitèr; nam in Theologia inquiritur: *an sit Deus?* Et etiam: *quid sit Deus?* ex quo insitari potest argumentum.

33 Arguit. 8. : invariata essentia rei, variatur ejus existentia: ergo &c. Prob. antec.; essentia Petri est eadem

hodièri, ac cràs; sed non sic existentia; quia existentia hodièri est non existentia crastina: ergò invariata, &c. Prob. minor: existentia hodièri est præsens, & existentia crastina est futura: ergò existentia hodièri, &c. Resp. negando antec. Ad prob., concessa mai., nego minor: ad probationem concedo, quod existentia præsens, id est, hodièri est intrinsicè existentia futura, scilicèt, crastina, nam istæ solum distinguuntur extrinsicè, & connotativè, hoc est, ratione coexistentiæ Petri ad diversa tempora, quod non facit ad rem.

34 Arguit. 9. : illa, quæ diversis potentijs cognoscitivis apprehenduntur, quarum una est intellectiva, & sensitiva altera, distinguuntur realitèr; sed essentia rei apprehenditur ab intellectu, & existentia per sensum: ergò, &c. Prob. minor: intellectus, juxta Arist., est universalium, & sensus singularium; sed essentia est quid universale, & commune, & existentia quid singulare: ergo, &c. Resp. 1. disting. mai.: illa quæ diversis potentijs sub ordinatis, &c. neg. mai. conc. disparatis & nullo modo subordinatis, mai.; & omissa min., nego conseq. Itaque objecta sensuum externorum, & præcipuè visus, & auditus, distinguuntur quia visus, & auditus non subordinantur inter se. Attamen, quia

quã omne id, quod attingitur à sensu potest percipi ab intellectu; cum intellectus verferetur erga omne ens, hinc est, quod ex distinctione intellectus à sensu non inferitur distinctio inter essentiam, ab intellectu cognitam, & existentiam, à potentia sensitiva attractam.

35 Resp. 2. cum Basilio, negando min. Ratio est, quia essentia actualis, de qua est quæstio, potest intelligi, & potest sentiri; nam id ipsum, quod sensus videt, intellectus cognoscit. Patet hoc in colore, cujus essentia percipitur, tam à visu, quam ab intellectu; diversimodè tamén; quia intellectus ipsum cognoscit quidditative per ejus definitionem, abstractendo ab esse singulari ipsius: visus verò requirit ejus actualem existentiam. Præterea concessa minor, non probatur intentum à Thomistis; quia quod intellectus sit universalium & sensus particularium, non probat distinctionem realem, immò, juxta ipsos, nec formalem inter naturam universalem, quæ percipitur ab intellectu, & sua singularia, quæ attingitur à sensibus: ergo nec probabit in præsentibus.

36 Arguit. X. : scientia simplicis intelligentiæ in Deo quæ versatur erga res possibili-
les, distinguitur ab scientia vi-

sionis, quæ est circa futura; etenim illa est necessaria, & hæc libera; sed non potest salvari hæc distinctio, quin essentia, & existentia distinguantur, ita quod essentia attingatur per scientiam simplicis intelligentiæ, & existentia per scientiam visionis: ergò, &c. Insto argumentum: existentia, ut possibilis cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ, & ut est de terminatè futura, pro tali differentia temporis temporis cognoscitur per scientiam visionis: ergo existentia distinguitur à se ipsa? Minime sanè.

37 Respondeo directè negando minorem; quia ad salvandam distinctionem utriusque scientiæ in Deo, sufficit diversitas modi tendendi in idem objectum Deindè: distinguuntur ex eo, quod Deus per scientiam simplicis intelligentiæ solum intelligit rem, ut possibilem cum ordine ad quamcumque temporis differentiam. Per scientiam verò visionis intelligit rem cum ordine determinato ad tale determinatum tempus, in quantum per decretum liberam suæ voluntatis, transfert rem ab statu puræ possibilitatis, decernitque ipsam fore pro tali determinato tempore. De hoc in Thologia.

38 Arguit. XI. : si essentia, & existentia non distin-

querentur realitèr in creatura, se-
queretur, quod creatura esset
Deus; sed hoc non: ergo, &c.
Prob. maior: tunc creatura esset
ens per essentiam; sed solus
Deus est ens per essentiam: er-
gò, &c. Prob. maior: ideò
Deus est ens per essentiam; quia
identificat secum existentiam; sed
etiam creaturam, juxta nos; ergò
&c. Resp. 1. negando duas pri-
mas maiores. Et dist. ultimam:
ideò Deus est ens per essentiam
quìa identificat secum, tam realitèr,
quam formalitèr suam existentiam,
conc. mai.; quìa identificat solum
realitèr, nego mai. Et disting. min.:
sed creatura identificat secum
realitèr suam existentiam, conc. min.;
realitèr, & formalitèr simul, nego mi-
norem. De hoc postea. Sed quìa
Nominales, & Jesuitæ, etsi no-
biscum conveniant in conclusio-
ne, renunt concedere distinctio-
nem formalem, ideò pro ipsis,
& pro nobis.

39 Respondeo 2. ne-
gando omnes maiores argumen-
ti; non enim ideò Deus dicitur
ens per essentiam, quìa identi-
ficat secum suam existentiam;
sed quìa in existendo non depen-
det à causa efficienti; etenim ne-
cessario existit. Creatura autem
quantumcumque identificet se-
cum suam existentiam, sive realitèr,
sive formalitèr, semper
in existendo dependet à causa

efficiente, à qua recipit suam
esse: & sic creatura semper exis-
tit cum contingentia ad existere
vel non existere.

40 Arguit. XII. ex
Patre Froylan: inter realitèr re-
cipiens, & realitèr receptum, da-
tur distinctio realis; sed existen-
tia est actus realitèr receptus in
essentia: ergò, &c. Prob. min.:
si existentia non esset actus rea-
litèr receptus in essentia, existen-
tia esset actus simpliciter infini-
tus; sed hoc non: ergò, &c.
Prob. maior.: si existentia non
esset actus realitèr receptus in
essentia, esset actus simpliciter
purus; sed actus simpliciter pu-
rus, est simpliciter infinitus: er-
gò, &c. Prob. mai.: si exis-
tentia non esset actus receptus in
essentia, existentia careret omni
possibilitate; sed quod caret omni
possibilitate, est actus simpli-
citer purus: ergò.

41 Prob. mai.: omnis
possibilitas provenit ex eo, quod
forma sit receptiva alicujus per-
fectivi ipsius, vel ex eo, quod
talis forma sit recepta, vel re-
ceptibilis in alio, sed existentia
juxta Scotistas, non est forma
recepta, nec receptibilis in alio:
& aliundè non est receptiva ali-
cujus, quod ipsa ulterius per-
ficere possit: ergò, &c. Maio-
rem supponit (sed non benè).
Prob. minor quoad secundam par-
tem.

rem : ultimum complementum rei non potest recipere aliquid quod sit perfectivum ipsius; alias non esset ultimum; sed existentia est ultimum complementum rei: ergo &c. Hoc argumentum vocatur à Froylan demonstrativum, & concludens. Videamus: an ita sit?

42. Resp. negando prim. min., & tres maiores subsecutas, & etiam pronunc nego quartam maiorem. Ratio est; quia potentialitas, sive limitatio rerum provenit ex eo, quod talis res non sit à se necessariò existens; sed potiùs cum dependentia ab alio, & quod in genere causæ efficientis ita producat, quod possit non produci; & cum existentia creaturæ sit cum huiusmodi dependentia, hinc est, quod licet existentia non sit recepta, nec receptibilis in essentia, non sequitur, existentiam esse actum simpliciter infinitum, nec simpliciter purum, sed potiùs finitum, & potentiale ad posse non esse, quemadmodum defacto est. Oppositum evenit in Deo, qui ita necessariò habet à se suam existentiam, quod non possit non habere ipsam.

43. Resp. 2. admissa illa maiori, arguendo ad hominem contra Thomistas: omnis potentialitas, &c; sed, licet

nec essentia, nec existentia recipiatur in alio, utraque tamen est receptiva accidentium: ergo ex argumento sequitur, essentiam, & existentiam esse quid potentiale, & limitatum. Minor constat ex ipsismet Thomistis, nobiscum fatentibus in Physica contra Jesuit., subjectum accidentium non esse materiam primam, sed compositum substantiale, resultans ex materia, & forma: ergo cum essentia actu existens, recipiat accidentia, juxta Thomistas, ex principijs ipsius Froylan sequitur, quod existentia sit potentialis, & finita. Deindè: ultima minor argumenti est falsa, quia non existentia, sed subsistentia est ultimum complementum rei, ut postea videbimus.

44. Arguit. deniquè: solus Deus est suum esse, & existere; sed hoc est, quia essentia: & existentia Dei non distinguuntur realitèr: ergo cum essentia, & existentia creaturæ non distinguantur realitèr, sequitur, quod creatura est suum esse, & existere; & consequenter Deus. Respondeo distinguendo mai.: solus Deus est suum esse, & existere, tam realitèr, quam formalitèr, conc. mai.: realitèr tantum, subdifi.: realitèr à se, & independentèr ab alio, conc. mai.: realitèr, & cum dependentia ab alio, ne-

go mai. , & minorem. Solutio hujus argumenti constat ex dictis in solutione argumenti undecimi , maximè in responsione secunda.

45 Quia tamèn omnia argumenta Thomistar. ut in plurimum instari possunt , notate pro omnibus sequentem instantiam : essentia & existentia distinguuntur realitèr in principijs Thomist. ; sed existentia habet suam essentiam : ergo essentia existentia distinguitur realitèr ab ipsa existentia : ergo , vel distinguitur realitèr à se ipsa , vel procedendum erit usque in infinitum. Minor constat ; quia omne , quod definitur habet suam essentiam ; etenim definitio est ipsa essentia ; sed existentia definitur : ergo , &c. Notate benè istam instantiam.

SECUNDA CONCLUSIO:

46 *Essentia , & existentia distinguuntur formaliter ex natura rei.* Est communis inter Nostrates , contra Nominales , & Jesuitas. Ante probat. verò notate , quod existentia creata est modus intrinsecus essentia: & sic , licèt essentia possit concipi conceptu inadæquato (modo explicato Disput. 1. hujus q. 4.) non concepta existentia ;

existentia tamèn , nec perfectè , nec imperfectè potest concipi sine essentia. Undè distinctio formalis ipsarum appellatur modalis , & est minima omnium distinctionum , quæ à parte rei dantur. Quo supposito ,

47 Prob. conclusio : essentia , & existentia aliquomodò distinguuntur ; sed non realitèr , ut probatum est , & aliudè non sufficit distinctio rationis : ergo distinguuntur formaliter. Probatur minor quoad secund. part. : hæc distinctio , vel esset rationis ratiocinatae , vel rationis ratiocinantis ; sed nequit esse rationis ratiocinantis , nec sufficit ratiocinatae : ergo. Prob. prima pars minoris : essentia , & existentia in creatis magis distinguuntur , quam in divinis ; cum existentia in creatis non sit prædicatum quidditativum , benè verò in divinis ; sed existentia , & essentia in divinis distinguuntur ratione ratiocinante ; quia intellectus chimericè operans , potest distinguere eandem formalitatem in plures conceptus : ergo in creatis distinguuntur majori distinctione.

48 Prob. eadem minor quoad secund. part. : de essentia , & existentia verificantur contradictoria à parte rei , nullo cogitante intellectu ; sed ad solven-

venda hæc contradictoria non sufficit distinctio rationis ratiocinare, ut patet ex dictis in Logica: ergo &c. Prob. maior: esse quidditatem rei, & non esse, neque de quidditate talis rei sunt contradictoria respectu ejusdem; sed essentia est quidditas rei, existentia verò non, nec de ejus quidditate: ergo, &c. Confirm. 1.: humanitas v. g., seu animal rationale, nullo cogitante intellectu est essentia hominis, minimè verò existentia humanitatis: ergo &c. Confirm. 2.: essentia rei ponitur directè in prædicamento, sed non ejus existentia: ergo idem, quod priùs.

49 Arguit. 1. ex Doct. in 3. dist. 6. quæst. 1. §. respondeo, ubi ait: *certum est de esse essentia, quod tantum differt ab essentia in modo concipiendi.* Hoc idem videtur repetere in Reportatis in eodem loco, ubi per *ly esse essentia* intelligit existentiam. Nunc sic; sed differre tantum in modo concipiendi, est differre per rationem: ergo sic differunt essentia, & existentia. Resp. explicandò mai.: certum est de esse essentia, sumpto *ly esse essentia* prout est concretum hujus nominis essentia, conc. mai.: sumpto *ly esse essentia* pro existentia condistincta ab essentia, nego mai.: & concessa min., nego conseq.

50 Doctor ergo in illis verbis accipit *ly esse essentia* non pro existentia, sed prout est concretum istius nominis *essentia*; & prout sic sola ratione distinguuntur, sicut homo, & humanitas; & regularitèr quodlibet concretum à suo abstracto. Quod hæc sit mens Doct., patet; nam ibi quærit: an in Christo sint duæ existentia distinctæ? Hoc est; an humanitas Christi habeat existentiam distinctam ab existentia Verbi? Et ad verba prolata prosequitur: *quod sunt in Christo tot alia esse, quot essentia.* Et versequenti ait: *sed de esse tali actualis existentia, prout distinguitur ab esse essentia, est dubitatio:* ergo Doct. loquitur de esse essentia concretivè sumpto.

51 Arguit. 2.: essentia actualis non potest objectivè præscindere ab existentia: ergo. Prob. antec.: essentia actualis, quantumcumquè objectivè præscinderetur ab existentia, semper conciperetur, ut existens; aliàs, non actualis, sed possibilis esset: ergo, &c. Respond. disting. antec.: essentia actualis, reduplicativè ut actualis, non potest objectivè, præscindere ab existentia, conc. antec.: essentia actualis specificativè, & nunde sumpta, nego antec.: & eisdem terminis distinguitur antec. probationis.

52 Replicabis: essentia, præcissa ab existentia, non amplius existit à parte rei: ergo non distingueretur à parte rei. Prob. antec.: existentia est ratio formalis, cùm essentia à parte rei existat: ergo præcissa ab existentia, &c. Resp. negando antec.; quia quantumcumque præcindat essentia ab existentia adhuc essentia existit à parte rei propter identitatem realem utriusque. Declaratur: humanitas Petri præcindit objectivè à risibilitate: ergo humanitas Petri sic præcissa, non est à parte rei risibilis? Mala consequentia. Sic ergo similiter in præsenti.

53 Arguit. déniqué: essentia actualis, ut formaliter distincta ab existentia, vel est dependens, & à Deo producta, vel non? Sed quodcumque dicamus reddit contra nos sexta probatio primæ conclusionis, posita num. 15.: ergo, &c. Resp. quod argumentum ibi factum urget Thomistas, dicentis, essentiam, & existentiam distingui tamquam duas res, quarum quælibet potest produci productione distincta à productione alterius; non autem nos, qui asserimus, quod essentia actualis, ut distincta ab existentia, non producitur sine ipsa existentia. Ratio est; quia productio, & non productio sunt contradictoria, quæ de eadem

re physica verificantur, non autem de formalitatibus metaphysicis, quæ se solis non possunt terminare actionem productivam, sed solum ratione totius, cum quo identificantur.

QUÆST. ULTIMA.

Solvuntur aliqua dubia de essentia, & existentia.

I **D**ubitabis 1.: an cuiuslibet formalitati metaphysicæ propria correspondeat existentia? Loquendo de existentia physica, sive totali, sive partiali, certum est, huiusmodi existentiam non correspondere formalitatibus metaphysicis. Dubium ergo est de existentia, metaphysicè considerata, & proportionalitèr sumpta ad essentiam cuiuslibet formalitatis metaphysicæ. In hac difficultate, licet *Mastrius Disp. 6. de Anima quæst. 6. art. 2. n. 226.* partem affirmativam, ut probabilem defendat; postea tamen *Disput. 8. Metaphys. negativam* tenet, quem sequuntur aliqui *Moderni*. Pars verò affirmativa est familiaris inter *Scotistas*, & conformior menti *Doctoris*.

CONCLUSIO:

2 *Quælibet formalitas Metaphysica habet suam propriam existentiam metaphysicam.* Ita Doct. in 4. dist. 45. quæst. 3. §. ad secundum principale, ubi ait: *existentia actualis primo conuenit naturæ: undè hæc natura non est existens formaliter, quia hæc, sed per naturam: illam autem naturam, ut existentem, intuitiue cognoscit intellectus.* Hæc Doct. Ex quo sic probatur conclusio; eadem est ratio de natura communi metaphysicè considerata, quod habere, vel non habere propriam existentiam ac de reliquis prædicatis metaphysicis; sed illa ut præcissa ex natura rei à differentiis individualibus habet propriam existentiam ex natura rei distinctam ab existentia differentiarum individualium; ergo & quælibet formalitas Metaphysica. Maior est vera. Minor, quam concedit Mastrius in Animalica, & negat hic in Metaphysica, prob. ex Doct. cit.: objectum cognitionis intuitiue habet propriam existentiam; sed natura communis ut præcissa à differentiis individualibus, est objectum cognitionis intuitiue: ergo habet propriam existentiam. Maior constat; quia cognitio intuitiua terminatur ad objectum,

ut existens. Minor est expressa in autoritate Doct.

3 *Confirmatur: eadem est ratio de formalitatibus metaphysicis diuinis, ac de creatis; sed singulæ formalitates diuinæ habent suam propriam existentiam: ergo & creatæ.* Prob. minor, juxta Mastriam, & omnes Scotist. in tract. de Visione, intellectus Beati potest diuinitus videre intuitiue sapientiam diuinam v. g., non visa bonitate; & essentiam diuinam, attributis non visis; sed implicat visio intuitiua objecti, quod non habeat propriam existentiam, ut patet ex definitione cognitionis intuitiue: ergo, &c.

4 *Arguit hic Mast. authorit. Doct. in 2. dist. 3. q. 3., ubi ait: non enim esse existentie habet proprias differentias alias ab ipsis esse essentie; quia tunc oporteret ponere propriam coordinationem existentiarum, aliam à coordinatione essentiarum: ergo, juxta Doct., non dantur tot existentie metaphysicæ in individuo, quot formalitates metaphysicæ.* Resp. negando consequentiam; quia Subt. Doct. in illa quæst. 3. inquit: an substantia materialis individuetur per existentiam actualem? Hoc est: an existentia actualis sit principium individuationis numericæ in substantia materiali?

Et resolvit negativè; quia inquit: *esse existentie*, eo modo, quo distinguitur ab *esse essentia*, non est ex se distinctum, nec determinatum; non enim *esse existentia*, &c.; ut supra. Et prosequitur: *sed præesse determinativè* (supra *esse existentia*) *ex determinatione alterius*: ergo non determinat aliquid aliud.

5 Ex quibus verbis liquido constat, quod Doct. solum vult, quod sicut ipsa essentia cujuslibet formalitatis se ipsa non individuatur, sed per aliquid, ipsi superadditum, ita & existentia tali formalitati correspondens, individuatur, & determinatur ad esse hoc per illud idem, per quod individuatur, & determinatur ejus essentia; & consequenter existentia non est de se hæc, & individua; quia ut inquit Doct. infra, v. *præterea*: eadem questio est de *existentia*, quo, & unde contrahitur; ut fit hæc, quæ est de natura. Videte Lichetum super hunc locum, & clarè constabit, nihil favere Mastrio.

6 Alia argumenta à ratione, quæ hic proponit, tam Mastrius, quam Discalziari Villac., solum probant, quod formalitates metaphysicæ non habent proprias existentias metaphysicas in eo rigore, ut se solis possint ter-

minare actionem productivam physicum agentis, quod nos ultro fatemur, ut monitarius numer. 1. huius. Quare, meo videri, hæc difficultas multum habet de nomine, & sic Mast. potest exponi, si à contrarietate sententiæ vellit liberari.

7 Dubit. 2.: an ex essentia, & existentia fiat compositio, & qualis? Hic loquimur de essentia, & existentia uniformiter sumptis, ut diximus quæst. antec. num. 4. Dico: ex essentia, & existentia uniformiter sumptis, fit compositio, non physica, nec metaphysica perfecta, sed imperfecta modalis, quæ est minima inter omnes compositiones à parte rei. Prob. ex dictis conclus. 2. quæst. ant.: compositio est unio distinctorum: ergo qualia fuerint extrema distincta, talis inde resultabit compositio. Nunc sic; sed essentia, & existentia solum distinguuntur distinctione formali modalis, quæ est omnium distinctionum à parte rei minima, & imperfecta: ergo compositio inter talia extrema resultans, est solum metaphysica imperfecta. Nihil de novo se offert obijciendum contra hanc conclusionem.

8 Dubit. ultimo: an essentia sit perfectior existentia. Resp. affirmativè contra Thomis-

tas. Prob.: essentia est radix passionum, & principium substantialium operationum cujuslibet rei; sed nihil eorum convenit existentiae, nam haec solum est conditio necessaria, ut essentia eliciat praedictas operationes: ergo essentia est perfectior existentia. Prob. mai.: humanitas est, quae est rationalis, discursiva, risibilis, & capax Beatitudinis: ergo &c. Confirm.: id, quo res essentialiter, & specificè constituitur est perfectius in tali re; sed res essentialiter, & specificè constituitur per essentiam, non verò per existentiam: ergo, &c.

9 Dices 1. contra hoc: existere est effectus propriissimus Dei: ergo existere est perfectissimum in creatura. Resp. negando antec.; quia existentia non est effectus ita appropriatus Deo, quod non conveniat etiam creaturae, quandò actione reali causat. Vel si non: quæro à Contrarijs: quid producat causa creata? Si dicant, quod existentiam, sequitur intentum, scilicet, quod existentia est quo-

que effectus causae creatae. Si respondeant, quod producit essentiam; iterum quæro: vel producit essentiam, ut tantum in potentia; & hoc est nihil producere: vel producit ipsam essentiam extra suas causas? Et tunc sequitur nostrum intentum; quia essentia extra suas causas, est ipsa existentia, seu essentia actu existens, ut supra latè probatum est

10 Dices 2.: actus à toto genere est perfectior potentia; sed existentia est actualior essentia: ergo. Resp. distinguendo mai.: actus est perfectior potentia, vel simpliciter, vel secundum quid, conc. mai.: præcisè simpliciter, nego mai.; alioquin intellectio, & volitio, quae sunt actus potentiae intellectivæ, & volitivæ, essent simpliciter perfectiores intellectu, & voluntate, quod est falsum; cum tantum sint perfectiores secundum quid, quod & verificatur in presenti de essentia, & existentia.



DISPUT. IV.

DE INDIVIDUATIONE rerum.

PRO perfecta explicatione entis realis, restat nunc agere de principio individuationis, non tam secundum considerationem logicam, quamvis secundum hanc aliqua dicemus, quam secundum considerationem metaphysicam, seu prout individuum est indivisibile in partes subjectivas.

QUÆST. I.

Quodnam sit principium individuationis rerum?

HÆC quæstio, quæ una ex principalioribus est, tractatur à Doctore, in 2. dist.

3. per sex quæstiones, & à Nost. Mast. per novem. In ipsa tot sententiæ, quot capita. Undè breviter per varia notabilia impugnabimus aliquos modos dicendi. Sed prius adverte, quòd quæstio non est de principio individuationis in genere causæ efficientis; quia ex dictis 2. Phyc., Deus in genere causæ efficientis est, qui determinat causas secundas; tam naturales quam liberas ad individuationem effectus. Est ergò quæstio de principio formali individuationis: per quid, v.g. Petrus sit ita Petrus, quod sit Petrus, & simul distinctus à Ioanne? Advertite 2., & hoc est contra N. Aureolum, quod res non sunt individuatæ se ipsis formaliter, sed per aliquid ipsis superadditum à ipsis formaliter ex natura rei distinctum. Patet hoc ex Logica, agendo de universali metaphysico, ubi diximus, quod natura communis, primo intentionaliter sumpta, est ex se communis, & nullo modo singularis.

2 Adverte tandè, quòd, cum Petrus habeat materiam primam, formam substantialem quantitatem, connexionem omnium accidentium, quæ ipsi inhærent, circumstantias loci, & temporis, &c., & tandè petreitatem de omnibus istis est quæst.: quænam ex istis sit principium formale individuationis? Nam quæ-

libet ex his opinionibus suam
habet P. tronum. Sed certè quia
iam in Scholis opiniones de in-
viduatione per existentiam, vel
per collectionem omnium acci-
dentium, vel per ordinem ad
circumstantias loci, temporis, &c.
penes inusitatæ sunt, breviter,
his omisis, alios modos dicen-
di impugnabimus.

3 Dico 1. : *quantitas
non est principium individuationis.*
Est contra Goffredum, & alios.
Prob. : quod supponit rem iam
singularem non est principium
individuationis ipsius; sed quan-
titas supponit rem, cui inhæ-
ret, iam singularem: ergo, &c.
Prob. minor: omne accidens
commune supponit rem, cui in-
hæret, singularem; sed quanti-
tas est accidens commune: er-
go, &c. Maior conitatur; quia dif-
ferentia inter accidens proprium,
& commune est, quod accidens
proprium primò inhæret naturæ
communi, quàm ejus individuo;
nam ideò Petrus est risibilis;
quia homo est risibilis, accidens
verò commune primò inest in-
dividuo, quam naturæ; nam
ideò homo est albus; quia Pe-
trus est albus. Confirmatur: quan-
titas non potest præstare aliquid
substantiale; sed gradus indivi-
dualis substantiæ est substantia-
lis: ergo nequit provenire à
quantitate.

4 Dico 2. : materia pri-
ma, nudè sumpta, non est
principium individuationis. Est
contra Div. Thomam prima part.
q. 2. art. 1. ad tertium; &
quæst. 50. art. 4., licèt non
omnes Thomistæ ipsum sequan-
tur. Prob. 1. : individuum ge-
nitum est realitèr distinctum ab
individuo corrupto; sed eadem
numero materia prima, quæ
erat in individuo genito, ma-
net in individuo corrupto, &
è contra: ergò materia prima
nudè sumpta, non est princi-
pium individuationis. Secundo:
principium individuationis est
de se hoc, & non communica-
bile pluribus; sed materia prima
non est de se hæc, & incommu-
nicabilis, sed potius contrahibilis
per differentias individuales, ip-
sam singularizantes: ergo, &c.

5 Dico 3. : materia
prima signata, seu sigillata quan-
titate (quomodocumque explicetur
à Thomistis hæc sigillatio
non est principium individua-
tionis. Prob. 1. : individuum
substantiæ non potest intrinse-
cè constitui in ratione formali
individui per aliquod ens per acci-
dens; sed materia prima, signa-
ta quantitate, quomodocumque
explicetur hæc signatio est ens
per accidens: ergo, &c. Prob.
2. : individuum substantiale est

directè reponibile in prædica-
mento ; sed ens per accidens,
quale est materia signata quan-
titate , non est directè reponibi-
le in prædicamento , ut dixi-
mus in Logica : ergò , &c.
Deindè : materia prima nequit
signari quantitate immediatè,
juxta Thomistas ; quia materia
prima , juxta ipsos , non est sub-
jectum immediatè signabile à
quantitate ; cum quantitas in eo-
rum principijs non recipiatur im-
mediate in materia , sed in com-
posito. Tandem : sunt plura in-
dividua , quæ carent materia,
ut Angeli , accidentia , & for-
mæ simplices. His ergo opinio-
nibus rejectis , sit

6 Notra conclusio :
principium formale individuati-
onis rerum , sive res sit substan-
tialis , sive totalis , sive partia-
lis ; sive spiritualis , aut mate-
rialis , est hæcceitas. Ità Doct.
in 2. dist. 2. quæst. 6. , cum
omnibus suis , & pluribus Ex-
traneis. Conclusio prius est ex-
plicanda , quam probanda. De-
claratur hoc exemplo : Petrus
v.g. continet in se gradus sub-
stantiæ , corporis , animalis , ho-
minis , & petreitatis. Excepto
gradu petreitatis , qui est indi-
vidualis , omnes priores gra-
dus sunt quidditatiivi , generici,
vel specifici , secundum quod
sunt magis , vel minus commu-
nes multis ; & sola Petreitas est
proprie singularis , & incommu-

nicabilis , constituens cum prio-
ribus gradibus Petrum in ratio-
ne talis individui. Idem dicen-
dum est de quavis alia re.

7 Undè principium in-
dividuationis materiæ est ultima
realitas ejus ; in forma ultima
realitas formæ ; in composito , ul-
tima realitas compositi ; in Ga-
briele ultima realitas ipsius : &
tandem in accidenti , ultima rea-
litas accidentis. Hæc ultima rea-
litas indiscriminatim appellatur
singularitas, individualitas , in Pe-
tro *petreitas* , & tandem ab Sco-
titis vocatur *hæcceitas* in omni-
bus rebus. Certum est , quod hoc
nomen *hæcceitas* novitatem ge-
nuit apud aliquos Thomistas ;
sed quandò de re constar , no-
vitas vocabili , non debet Phi-
losophum offendere. Per *hæccei-
tatem* idem intelligimus , ac per
hanc numero rem.

8 Alio modo explicat
Doct. cit. naturam differentiæ
individualis per comparisonem
ad differentiam specificam , sic :
differentia specifica , v.g. ratio-
nalitas , potest comparari , vel
ad id , quod est infra se , vel
ad id , quod est supra se , vel
ad id , quod est iuxta se. Si
compararetur ad id , quod est in-
fra se , ipsi repugnat dividi in
plura essentialitè , & specificè
distincta ; quia nulla species in-
fima potest dividi in plures spe-
cies.

cies. Si autem comparetur ad id, quod est supra se, scilicet, ad rationem genericam animalis, tunc realitas specifica dicitur contrahens, & determinans; realitas verò generica dicitur contrahibilis, & determinabilis. Si tandem comparetur ad id, quod est juxta se, scilicet, ad irrationalitatem, quæ est differentia opposita, tunc quælibet est primò diversa ab altera.

9 Ità similiter differentia individualis, v.g. petreitas potest comparari ad id, quod est quasi in frase; & tunc ipsi repugnabit, dividi in plura numero distincta: & simul per ipsam repugnabit Petro, dividi in plures Petros. Dixi: *quasi in frase*; quia ex quæst. sequenti; non datur conceptus communis individui. Si autem comparetur petreitas ad id, quod est supra se; scilicet ad humanitatem, tunc humanitas, est realitas specifica, contrahibilis; & petreitas est realitas individua contrahens humanitatem ad Petrum. Tandem, si comparetur petreitas ad id, quod est juxta se, hoc est, ad differentiam individuaalem oppositam, scilicet pauleitatem, tunc illa est primò diversa ab ista; quia in nullo conceptu quidditativo conveniunt.

Tandem notate, quod sicut realitas specifica contrahens, & determinans realitatem potentialem genericam, est quædam formalitas positiva, superaddita nature genericæ, & ab ipsa formaliter distincta; ità realitas individualis est formalitas positiva, contrahens, & determinans realitatem communem specificam, cui superadditur, & à qua formaliter distinguitur. Differunt tamén in hoc, quod realitas specifica pertinet ad esse quidditativum rei; non verò realitas individualis; quia ista est ex se incommunicabilis: juxta Doct., ut diximus in Logica, agendo de specie, omnis quidditas creata est de se communis, & communicabilis pluribus: ergò cum differentia individualis sit de se incommunicabilis, non erit de quidditate nature, quam constituit in esse individui. His prælibatis, facilitèr.

11 Prob. 2. Conclusio: differentia individualis, ità se habet ad individuum, sicut differentia specifica ad speciem, cum proportionem explicatam; sed quia differentia specifica contrahit, & determinat genus ad speciem, dicitur principium formale specificationis: ergò, cum differentia individualis contrahat, & determinet naturam specificam ad esse talis individui, ipsa erit principium formale indi-

viduationis ; sed hujusmodi differentiam individualem appellamus hæcceitatem : ergò hæc est tale principium.

12 Prob. 2. Conclusio : principium formale individuationis est illa entitas , ad quam immediatè sequitur unitas numerica ; sed sequitur immediatè ad differentiam individualement , scilicèt , ad hæcceitatem : ergo , &c. Maior constat ; quia quælibet unitas sequitur suam propriam entitatem , tamquam passio ipsius. Prob. min. : unitas numerica , Petri v.g. ; sequitur immediatè ad aliquam entitatem ; non ad entitatem naturæ genericæ , vel specificæ Petri : ergo ad differentiam individualement. Prob. min. : entitas naturæ ; tam genericæ , quam specificæ Petri habet suam unitatem propriam , minorem numerati , ex dictis in Logica : ergò unitas numerica non sequitur ad has entitates.

13 Confirm. : principium individuationis est radix proxima , ad quam sequitur repugnantia divisibilitatis in ultérieures partes subjectivas ; sed hæcceitas in omnibus rebus , sive substantialibus , sive accidentalibus ; sive totalibus , sive partialibus ; sive materialibus , sive spiritualibus est hujusmodi radix proxima : ergo. Minor conf-

rat ; quia quod est unum numero , non potest dividi in plura.

14 Prob. tandem conclus. de accidentibus : Thomistæ uno ore fateantur , quod individuantur per ordinem ad suum subjectum : nulla res individuat per ordinem ad id , quod est sibi extrinsecum ; sed subjectum est extrinsecum accidenti : ergo , &c. Confirm. : nulla res individuat per ordinem ad rem alterius prædicamenti ; sed subjectum accidentium , ut in plurimum , est res alterius prædicamenti : ergo , &c. Minor constat ; quia paries , qui est subjectum albedinis , spectat ad prædicamentum substantiæ , & albedo ad prædicamentum qualitatis. Urgetur : quod est indifferens ad aliquod , non individuat per ipsum ; sed accidens extra subjectum , v.g. albedo , est indifferens ad subjectari in pariete , tabella , vel lapide : ergo , &c.

Solvuntur Argumenta.

15 Arguitur 1. ex Aristor. 5. Metaph. Text. 12. , ubi ait : *ea sunt unum numero , quarum materia est una* : ergo à materia defumitur unitas numerica :

ergo materia est principium individuationis. In isto argumentum : ea sunt, &c. ; sed eadem numero materia est in individuo genito, & corrupto : ergo ea sunt unum numero : ergo individuum ligni, & ignis sunt idem numero, quod est inauditum. Resp. 1. explicando Philos. Ea sunt unum, & materialiter conc. individualiter nego : hoc modo omnia entia materialia sunt unum non numero, sed aliter, hoc est, quatenus conveniunt in materia. Resp. 2. aliter explicando antec. : illa sunt unum numero, quorum materia est una, sumpto ly *materia* pro differentia individuali, seu pro hæcceitate, conc. antec. : sumpta ly *materia* pro altera parte physica compositi, nego antec. Eisdem terminis distinguo utrumque consequens.

16 Aristot. ergo non sumit sibi materiam pro materia physica, quæ est altera pars compositi, sed pro hæcceitate, seu pro differentia individuali, quam ipse sæpe vocat materiam, eo quia assimilatur materiæ primæ in hoc, quod sicut materia prima subjicitur omnibus formis, ita differentia individualis dat individuo esse ultimum subjicibile omnibus gradibus de tali individuo prædicabilibus. Sed replicat Joannes à Sancto Thoma : Aristot. 12. Metaphys.

text. 49. 11. probat Deum esse unum numero, quia caret materia ; sed hic Philosophus non sumit materiam pro hæcceitate, quia tunc ejus probatio faceret hunc sensum : Deus est unus numero, quia caret hæcceitate : ergo non tenet solutio. In isto argumentum : Deus est unus numero, quia caret materia : ergo materia non est principium individuationis numericæ. Consequentia pater ; quia Deus est unus numero, & non habet materiam, quæ juxta argumentum est principium unitatis numeralis.

17 Resp. directè distinguendo mai. Arist. probat, Deum esse unum numero, quia caret materia, nedum physica, sed etiam metaphysica, quæ dicitur hæcceitas, conc. maiorem ; præcisse quia caret materia physica, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Philosophus ergo probat, Deum esse unum numero, quia caret, non materia physica, sed metaphysica, seu individuali differentia essentiæ divinæ superaddita ; nam essentia divina est de se hæc, & singularis, & non per hæcceitatem, sibi superadditam, ut evenit in creatis. Quare non est paritas de Deo ad creaturam in ratione individuandi.

18 Arguitur 2. : principium formale individuacionis est illud, quo posito, alio quocumque ablato, ponitur individuum, & quo sublato non ponitur; sed materia prima, assignata quantitate, est huiusmodi: ergo, &c. Prob. minor: ablato quocumque ab individuo materiali præter materiam signatam quantitate, adhuc remanet substantia illa incommunicabilis; sed substantia incommunicabilis est individuum: ergo, &c. Resp. negando min. Ad probat. nego mai. Ratio est; quia si ab individuo materiali tollas formam, jam non remanet individuum, nec substantia incommunicabilis; nam ad ablationem formæ, necessario destruitur compositum physicum, physicè, & essentialitèr, constans ex materia, & forma: & licet ablata materia, destruatür individuum, hoc non probat, materiam esse principium individuacionis; sed solum, quod sit pars essentialis, & intrinseca compositi; quod non est ad rem.

19 Arguit. 3. : ista hæcceitas, aut est aliquid distinctum à materia, & forma signatis, vel non? Si non? cessat quæstio. Si est aliquid distinctum, aut est substantia, aut accidens, aut nihil? si nihil pro nihilo reputatur. Si est substantia, aut est materia, aut forma, aut compositum? Non materia, &

forma, ut concedit Scotus: ergo erit compositum: ergo erit à se ipso individuum, quod negat Scotus. Si est accidens, aut respectivum, aut absolutum? Non respectivum; quia hoc est posterius absoluto: ergo est absolutum: ergo est quantitas: & sic opinio Scoti de hæcceitate, vel est nulla vel coincidit cum alijs opinionibus. Hoc argum. Herbæi plauditur à Thomist., ut convincens. Sed

20 Resp. quod hæcceitas est quid distinctum à materia, & forma signatis. Et quando quæritur: an sit substantia, vel accidens? Dico, quod nec formalitèr, & quidditativè, est substantia, nec formalitèr, & quidditativè accidens; benè verò realitèr, & identicè erit unum, & alterum. Si hæcceitas determinat substantiam ad esse formale individui, erit realitèr, & identicè substantia. Si determinat accidens, aut absolutum, & tunc erit accidens absolutum; aut respectivum, & tunc hæcceitas erit accidens respectivum. Videte dicta Disput. 1. quæst. 8. de inclusione entis in ultimis differentijs.

Arguit. 4. : ex nostra sententia sequitur, quod in composito physico dentur tres hæcceitates, una materiæ primæ, alia formæ, & tertia com-

possit ; sed hoc est absurdum ; quia tunc darentur tres existentia & consequenter tria individua in composito : ergo , &c. Resp. concedendo maiorem , & negando minorem ; quia cum materia habeat suam propriam existentiam , similiter , & forma , & etiam entitas compositi sit realiter distincta à materia , & forma simul sumptis ; inde est , quod in quolibet composito physico tres dantur hæcceitates , duæ partiales , & incompletæ , subordinatæque hæcceitati totius. Idem proportione servata , dicendum est de formalitatibus metaphysicis , propter dicta quæst. antec. dubio 1.

22 Arguit. 5. : actus singularis supponit potentiam singularem ; sed hæcceitas est actus singularis : ergo supponit potentiam singularem : ergo talis potentia est singularis ante hæcceitatem , & consequenter , &c. Resp. distinguendo mai. : actus singularis physicus supponit potentiam singularem , conc. mai. : actus singularis metaphysicus , nego mai. : & inveris terminis distinguo minorem , & nego conseq. Actus ergo physicus ut est forma substantialis , est entitas realiter distincta ab entitate materiæ , quam actuat ; & quia ex potentia materiæ educitur talis actus , si est materialis , necessario præsupponit

potentiam physicam materiæ , subjective præexistentem , & singularem. Actus verò metaphysicus , uti hæcceitas , non distinguitur realiter , sed formaliter ab illa potentia communi , quam contrahit , proptereaque non præsupponit talem potentiam , seu naturam physicè præexistentem , & singularem ; sed potius est ratio singularizandi naturam in esse formali talis singularis.

Arguitur 6. : quod convenit uni , & repugnat alteri , supponit ipsa distincta ; aliàs non magis repugnaret uni , quam alteri ; sed petreitas convenit petro , & repugnat Paulo : ergo præsupponit Petrum , distinctum à Paulo : ergo petreitas non est principium individuationis. Resp. distinguendo maiorem : quod convenit uni , & repugnat alteri , supponit ipsa distincta , si hoc non sit principium constitutum unius , & distinctivum ipsius ab alio , conc. mai. : si est tale principium , uti est petreitas , quæ constituit Petrum , & ipsum distinguunt à Paulo , nego mai. : & concessa min. , nego conseq. Solutio est clara , & argumentum potest instari in quocumque principio individuationis , quod assignent Contrarij.

24 Arg. 7. : hæc hæcceitas esset perfectior differentia

specifica, hoc est: petreitas esset perfectior rationalitate; sed hoc est absurdum: ergo. Prob. maior: ex Aristot. 7. Metaphys.: quæ sunt posteriora generatione sunt perfectiora; sed hæc hæcceitas, utpotè ultimus gradus substantialis individui, esset posterior generatione differentia specifica: ergo, &c. Resp. 1. nego mai.: & disting. mai. probationis: quæ sunt posteriora generatione, sunt perfectiora, si ambo sint essentialia, quidditativa, aut ambo sint accidentalia, conc. maj.: si unum est essentialia, & alterum non, nego mai. Hæcceitas ergo cum non sit ejusdem ordinis cum differentia specifica; quia ista est essentialis, et quidditativa, illa vero non; hinc est, quod, etsi sit posterior generatione differentia specifica, non evadit perfectior illa. Deindè argumentum instatur in risibilitate, & calore, quæ sunt posteriores generatione rationalitate, & igne; & tamén non sunt perfectiores; & hoc propter rationem datam in solutione.

25 Resp. 2. nego major., & concessa minor., nego suppositum minor.; supponit namque, quod hæcceitas, seu differentia individualis generetur, quod est falsum; quia solum congeneratur, aut producit ad generationem entita-

tis physicae, quæ se sola potest terminare actionem productivam. Undè prædictum axioma solum habet locum in rebus realiter distinctis, & per diversas actiones reales producibiles, quæ non sunt differentia specifica, & hæcceitas, quæ identificantur, & per eandem actionem producuntur. Utraque solutio est bona.

26 Arg. 8. ex nostra sententia sequitur, quod aqua divisa in plures guttas, habeat tot entitates individuales, quot sunt guttæ divisa: & quod, si illæ guttæ iterum quoadunentur in unum globum, tot entitates individuales iterum pereant; sed hoc est absurdum: ergo, &c. Prob. min.: absurdum est, quot tot entitates de novo acquirantur in divisione aquæ, & tot de novo pereant in conjunctione absque ulla generatione, aut corruptione partium aquæ; sed in tali divisione, aut conjunctione nulla datur generatio, aut corruptio de novo: ergo &c. Resp. concedendo maior., quoad prim. part., & negando quoad secundam. Ad prob. minoris, conc. præmissas, & nego consequentiam. Ut solutio intelligatur notate ex dictis 1. Physic., quod totum integrale homogeneous, ut est aqua, non distinguitur realiter à suis partibus. Quo supposito

27 Dico, quod partes aquæ, sive sint diversæ, sive unitæ semper retinent suam unitatem, & suam distinctionem realem entitativam; consequenterque suas individuales, & intrinsecas hæcceitates. Et si quæras: quid deperdat aqua in divisione, aut quid acquirat in conjunctione? Resp. quod in divisione deperdit indivisibilia terminativa, quibus copulatur: & in conjunctione acquirat alia indivisibilia terminativa, quibus iterum quoadunatur. Dixi *indivisibilia*; quia estò non sint eadem numero cum antecedentibus, sunt tamen ejusdem speciei. Quare partes aquæ, sive alterius totius homogenei singulæ retinent suas hæcceitates distinctas, sive sint unitæ in toto, sive non.

28 Arg. 9. : si individua differrent per suas hæcceitates; æquè inter se differrent duo individua ejusdem speciei, ut Petrus, & Paulus; ac duo individua diversarum specierum, ut Petrus, & Bucccephalus; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probat. mai. : duo hæcceitates sunt inter se primò diversæ; sed quæ sunt primò diversa, æquè inter se differunt: ergo, si individua, &c. Resp. negando mai. : nam Petrus, & Paulus, estò differant per suas hæcceitates;

quæ sunt primo diversæ, conveniunt tamen in natura specifica hominis: Petrus vero, & Bucccephalus, non solum distinguuntur per hæcceitates, sed etiam per suas naturas specificas. Undè, licet principia individualia sint primo diversa, non tamen individua; quia non oportet, tantam esse distinctionem inter res constitutas, ac inter res constituentes, ut docet Doct. in 2. dist. 3. quæst. 6.

29 Arguitur deniquè: natura non potest individuari per aliquid commune; sed hæcceitas est quid commune: ergo, &c. Maior est expressa Doct. persæpè citati, impugnantis alias sententias ex hoc principio. Probat. min. : omnes hæcceitates in particulari conveniunt in communi hæcceitatis ut sic: nam hæc prædicationes: *hæcceitas Petri est hæcceitatis: hæcceitas Pauli est hæcceitas*, &c., sunt veræ, non minus, ac prædicationes alterius cujuscumque naturæ: ergo hæcceitas est quid commune. Noster Mastr. hic ait, hoc argumentum esse efficacius omnibus propositis. Feteor sanè esse efficacem contra Mastr., non vero contra nos. Quod

.

QUÆST. II.

An ab individuis possit abstrahi aliqua ratio communis?

I **N**ON est dubium, quod à quolibet individuo possunt abstrahi plures rationes communes, ut ratio hominis, animalis, substantiæ, &c., in quibus unicè conveniunt omnia. Quæstio est: an Petrus, & Paulus habeant aliquem conceptum objectivum individui, ut sic, in quo conveniant? Hoc idem quæritur de petreitate, & pauleitate. Et non est fermo de conceptu objectivo, formato ab intellectu sine fundamento in re; nam talis conceptus chimericus potest fieri ab intellectu. Difficultas ergo est: an detur à parte rei aliqua realitas, communis individui, in qua uniuocè conveniant individua? Vèl saltem, an detur conceptus objectivus inadæquatus, & imperfectus, in quo cum fundamento conveniant individua? Hoc secundum affirmat Matrius, cui adherent Villac-, Salmantinus, & alij. Partem negativam tueretur Pontius cum alijs; cum quibus sit

CONCLUSIO:

2 *Non datur conceptus objectivus individui, in quo omnia individua conveniant. Idem dico de hæcceitate, & differentia ultima ut sic, respectu ipsarum in particulari. Prob. 1. ex Doct. in 2. dist. 3. quæst. 6. §. Ad quæstionem ubi ait: differentia specificæ ultimæ sunt primo diversæ: & idè ab eis nihil unum per se commune potest abstrahi. Et infra de differentijs individualibus sic concludit: & sicut responsum est de differentijs primo diversis, ita respondeo de entitatibus individualibus, quæ sunt primò diversa, id est, in nullo eodem numero convenientia. Ex quibus prob. conclusio: in hæcceitate non potest assignari ratio communis contrahibilis, & ratio particularis contrahens: ergo non datur conceptus communis hæcceitatis ipsis in particulari. Prob. antec.: si in hæcceitate assignaretur ratio particularis contractiva, vèl ista includeret rationem hæcceitatis in communi, vèl non? Si includit; eodem modo inquiritur de ista; & sic usque in infinitum. Si non includit: ergò non est ratio, eür petreitas, potiùs quam ista alia ratio contractiva, includat rationem hæcceitatis ut sic; & consequenter, &c.*

3. Responde Mastrius quod hæc ratio solum probat, non dari à parte rei realitatem communem hæceitatis, quæ sit à parte rei contrahibilis per realitatem hæceitatis in particulari; uti datur à parte rei realitas communis naturæ specificæ contrahibilis per differentias individuales. Non tamen probat, non dari conceptum communem hæceitatis, per intellectum inadæquatè concipientem realitatem hæceitatis; quia eadem realitas à parte rei potest dividi per intellectum in duos conceptus inadæquatos, quorum unus sit communis, & contrahibilis & alter particularis, & contrahens; per quod vitatur processus in infinitum.

4. Contra 1. : quod ratio objectiva entis inadæquatè concepta, sit præcissa à differentijs ultimis, & modis intrinsecis, non tollit processum in infinitum in conceptibus objectivis, semel dato, quod ens includatur formalitèr in differentijs, & modis: ergò idem dicendum est, hic. Antecedens est Mastrij cit. Disput. 1. quæst. 8. Prob. consequ. : ideò dato, quod ens includeretur formalitèr in differentijs ultimis, non vitaretur talis processus; quia intellectus cum fundamento in re potest distinguere rationem entis in rationem

communem contrahibilem, & in rationem particularem contrahentem: & de ista quæreretur: an sit formalitèr ens, vel non? Sed hoc idem potest facere intellectus cum ratione hæceitatis: ergò vel in differentijs ultimis non datur processus in infinitum ex eo, quod sint formalitèr entia, vel dabitur in hæceitatibus, si in istis datur ratio objectiva communis. Maior est Mastrij nobiscum. Prob. min.: distinguat quis in petreitate rationem communem hæceitatis, & rationem particularem hæceitatis; & quærat: an hæc in particulari includat rationem formalem hæceitatis ut sic, vel non? Si includit: en processum in infinitum; quia de ista iterùm, atque iterùm quæritur. Si non; inquirò: cur hæc hæceitas in particulari non includit rationem hæceitatis, & petreitas ipsam includit? Nam de utraque æqualis est ratio.

5. Contra 2. quæsta convenientia imperfecta hæceitatum in ratione communi ipsis, vel est convenientia imperfecta cū fundamento in re: vel est chimerica? Si hoc secundum; cessat quæstio. Si primum; contrarior est convenientia, & similitudo inter Deum & creaturam in ratione formali entis, quam inter petreitatem; & pauleitatem in ratione hæceitatis

ut sic, sed, juxta Mastrium, inter Deum, & creaturam solum est convenientia virtualis cum fundamento in re in ratione entis: ergo hæc non datur inter hæcceitates. Prob. maior: Deus, & creatura conveniunt in ratione communi quidditativa de ipsis formalitèr prædicabili; sed non sic petreitas, & pauleitas in ratione hæcceitatis: ergo maior est convenientia, &c.

6 Prob. min., & est secunda probatio Conclusionis: de ratione formali intrinseca hæcceitatis est, quod sit de se hæc, & singularis: ergo non datur conceptus communis hæcceitatis formalitèr, quidditativè prædicabilis de ipsis in particulari. Antec. est per se notum. Prob. conseq.: repugnat, quod aliquid concipiatur cum fundamento in re, modo sibi repugnante à parte rei; sed si hæcceitatis de se hæc, & singularis, conciperetur cum fundamento, ut communis, conciperetur modo, sibi repugnante à parte rei: ergo. Maior est Doct. in 2. dist. 3. quæst. 7. num. 4. ubi probans, plures Angelos posse esse sub eadem specie, ait: *quælibet* quidditas creaturæ potest intelligi, sub ratione universalis absque contradictione: si autem ipsa esset de se hæc, & singularis, contradictio esset, intelligere eam sub ratione universalis; sicut est contra-

dictio, intelligere *Essentiam Divinam sub ratione universalis, vel universalitatis*. Hæc Doct., ex quibus.

7 Prob. min. supra posita: ideò, juxta Doct., non repugnat plures Angeli sub eadem specie; quia quidditas naturæ Angelicæ non est de se hæc, & singularis: ergo cum hæcceitas, quomodocumque capta sit de se hæc, & singularis, nequit concipi cum fundamento, ut universalis. Confirmatur: ideò repugnat concipere Essentiam divinam, ut universalem cum fundamento in re; quia de se est hæc, & singularis; sed hæcceitas est de se hæc, & singularis: ergo &c. Urgetur: ideò Petrus est singularis, & non universalis, quia Petrus non est communis pluribus: ergo si hæcceitas esset communis, non esset de se, hæc, & singularis: ergo non esset principium individuationis contra Mastrium.

8 Prob. tandè m Concluzio: non est maior convenientia inter hæcceitates, in ratione hæcceitatis, quam inter duo undequaque diversa, in quantum diversa, sed duo undequaque diversa nequeunt habere rationem aliquam objectivè communem, in qua conveniant: ergo neque hæcceitates. Maior constat; convenientiâ hæcceitarum, juxta Mastri- &

& suos, est in ratione differendi; sed hoc habent primò diversa in ratione diversorum: ergo &c. Prob. minor: quæ in aliqua ratione objectiva communi conveniunt, non sunt undequaque diversa, ut de se patet: ergo, &c.

9 Confirmatur ex Mastrii, contra ipsum Disput. 2. Metaphys. docet, ens reale, & rationis convenire in eo, quod sicut dantur plura individua entis realis, sic etiam & rationis: & sicut ens reale distinguitur ab ente rationis, ita & è contra; sed hoc non obstante, docet Mastrius, quod non potest abstrahi ratio aliqua objectivè communis, adhuc inadæquatè concepta, in qua conveniant ens reale, & rationis: ergo, ut consequenter procedat, idem debet dicere hic de hæcceitatibus. Alias inconsequentias Mastrii vide in Authoribus.

Solvuntur Argumenta.

10 Arguitur 1. ex Doct. in 1. d. 23. q. unica in fine, ubi ait: *potest dici quod ab individuis non tantum potest abstrahi species, quæ dicit quidditatem individuorum, sed etiam aliquid*

quasi proprium. Hoc idem confirmat in eodem primo. dist. 26. sub num. 48., agendo de personis divinis. Ergo, juxta Doct. ab individuis, &c. Fateor has auctoritates reddere satis probabilem opinionem Mastrii. Sed certè ad primam ipsamet Mstr. tenetur respondere, Quod sic ostendo: Doctor docet, quod sicut potest abstrahi species ab individuis, ita & individuatio ab omnibus individuis; sed species ita abstrahitur ab individuis, quod importet realitatem communem, adæquatè conceptam, in qua omnia individua conveniant, juxta Doct., & Mastrius: ergo individuatio ita abstrahitur, quod importet realitatem objectivè adæquatam in qua omnia individua conveniant, quod est contra Mastrius: ergo tenetur explicare auctoritatem,

11 Resp. ergo, quod Doct. in his locis nihil assertivè docuit, sed, vel in opinione aliorum, ut patet ex verbis „antecedentibus, dist. 23. in „quibus ait: & videtur, quod „oportet ponere aliquod positivum possibile abstrahi ab eis „propter verba Augustini; & „Magistri; quæ adducta sunt „contra opinionem. Vel loquutus est in opinione, sibi satis probabilis; ex quo solum sequitur, quod opinio Mastrii sit probabilis in via Doctoris. Eodem

modo responderetur ad authorit. ex dist. 26., in qua quæstione varias proponit opiniones Subt. Doct. & quod à Personis divinis possit abstrahi aliquis conceptus communis, ut satis probabile reputat.

12 Arguit. 2. : omnia individua sunt similia in ratione individui : ergo, &c. Prob. antec. : de quolibet individuo potest prædicari, quod sit individuum : ergo, &c. Resp. disting. antec. : omnia individua sunt similia similitudine materiali, & sinonoma, conc. antec. : similitudine formali, & univoca, nego antec. Eisdem terminis distinguitur antec. probationis. Idem ergo est, dicere : Petrus est individuum, ac dicere : *Petrus est Petrus*, quæ est prædicatio materialis, & identica ; minime sufficiens ad unitatem conceptus univoci.

13 Replicabis : omnia individua habent similitudinem univocam in ratione individui : ergo nulla est solutio. Probat. antec. : illa, quæ unica definitione definiuntur, habent similitudinem univocam ; sed omnia individua unica definitione definiuntur : ergo, &c. Resp. negando antec. Ad probationem distinguo mai. : illa quæ unica definitione propriè dicta possunt definiri, habent similitudinem

univocam, conc. mai. : definitione impropiè sumpta, nego mai. ; & distingo min. : sed omnia individua unica definitione, impropiè, sumpta, definiuntur, conc. min. : definitione propriè dicta, subdistinguo min. : definitione propriè dicta, quæ sit propria, & immediata naturæ specificæ in ipsis inclusæ, conc. min. : quæ sit propria, & immediata ipsorum individuum, nego minorem, & consequentiam.

14 Iam Disp. 3. summarum sect. 2., loquendo de conditionibus definiti, diximus, quod ad hoc, ut aliquid sit definibile, debet esse universale; quapropter singularia, seu individua, de quibus non datur scientia, excluduntur à ratione definiti ; nam licet Petrus propriè definiatur per hoc, quod sit animal rationale, tamen hæc definitio solum mediatè convenit ipsi ; quia ideò Petrus est animal rationale ; *quia homo est*. Undè, dum dicitur : *Petrus est individuum : petreitas est hæc-ecitas*, tales prædicationes sunt impropriæ, materiales, & identicæ. Eodem modo responderetur ad idem argumentum prout propositum à Villacastin.

15 Arguit. 3. ex ipso : iste syllogismus : *omne individuum est incommunicabile ; sed Pe*

*Petrus est individuum : ergo est incommunicabilis ; est bonus : ergo ratio individui est univoca. Probat. conseq. : si nihil daretur commune univoceum individuis , talis syllogismus esset vitiosus ; sed hoc non : ergo , &c. Resp. negando antec. , quod supponitur. Ratio est ; quia syllogismus ; cujus omnes termini sunt particulares , est vitiosus , cum ex puris particularibus nihil sequatur ; sed talis est prædictus syllogismus , nam , licet in maiori ponatur ly *omne* quod est signum universale , tamen propositio facit hunc sensum : *omnis Petrus est incommunicabilis ; sed hic homo est Petrus : ergo ; &c.* Ubi ly *omne* , vel *omnis* semper distribuit naturam aliquam communem per sua singularia , non autem naturam singularem , qualis est individuatio , cui repugnat distributio.*

16 Arguit. denique : individua non solum conveniunt in nomine individui , sed etiam in ipsa ratione communi faciendi ultimò differre : ergo , &c. Prob. antec. : petreitas , & pauleitas , ita intrinsicè , & essentialitèr participant rationem hæcæitatis in communi , sicut Petrus , & Paulus rationem humanitatis ; sed Petrus , & Paulus non solum conveniunt in nomine , sed etiam in ratione significata per humanitatem : ergo ,

&c. Insto argum. : petreitas , & pauleitas ita intrinsicè , &c. ; sed Petrus , & Paulus ita participant rationem humanitatis , quod hæc dicat realitatem communem , ex natura rei distinctam à Petro , & Paulo : ergo Petreitas , & Pauleitas important realitatem ipsis communem à parte rei ; quod non concedent arguentes.

17 Resp. directè negando antec. Ad probat. nego maiorem : quia , ut diximus in probatione conclusionis , si ultimis differentijs posset assignari aliquid per quod convenirent , & aliquid per quod differrent , redderet eadem quæstio de istis differentijs , per quas differrent ; quia istæ quoquè haberent , inter se convenire , & differre ; & sic usque in infinitum ; & si non de hac , quæ sic differret , ut nullo modo conveniret , procederet nostra conclusio. Videte Doctorem Salmantinum in Logica Disput. 3. de specie , quæst. 5. in quæst. appendice , qui est contrariæ opinionis sit , nihil particulare arguit.

¶¶¶ ¶¶¶ ¶¶¶ ¶¶¶ ¶¶¶
 ¶¶¶ ¶¶¶ ¶¶¶ ¶¶¶
 ¶¶¶ ¶¶¶ ¶¶¶
 ¶¶¶ ¶¶¶
 ¶¶¶

QUÆST. III.

*An individua ejusdem speciei sint
æqualia in perfectione
entitativa?*

1 **E**X titulo constat, non esse quæstionem de æqualitate accidentali, & extrinseca; nam videmus unum individuum, v. g. Petrum, esse melioris complexionis, pulchrioris formæ, acutioris ingenij, quam Paulus. Nec est quæstio de æqualitate intensiva, aut extensiva, nam calor, ut octo, est perfectior, & intensior calore, ut duo, licet ambo sint intra eandem speciem. Similiter, non est quæstio de perfectione essentiali, & quidditativa; quia omnia individua ejusdem speciei habent eadem prædicata essentialia, & quidditativa. Tota ergo difficultas est de perfectione entitativa, quæ præcisè consistit in differentijs individuantibus, & ultimo distinctivis, & constitutivis individuorum in suo esse entitativo individuali. De hac ergo sit

CONCLUSIO:

2 *Inter individua ejusdem speciei non datur inæqua-*

litas perfectionis entitativæ in suis rationibus individuantibus. Est Doct. pluribus in locis, Scotistarum melioris notæ, contra alios paucos, plures Antiquos, & communem Recentiorum. Prob. 1. ex Doct. in 2. dist. 20. quæst. 2., ubi docet, individua speciei humanæ posse indifferenter generari à quolibet parente; sed hoc esset falsum, si individua speciei humanæ essent inæqualis perfectionis individualis: ergo non sunt. Prob. min.: imperfectus non potest producere perfectius; sed eo ipso quod individua speciei humanæ possent indifferenter produci à quolibet parente, & quod parentes essent inæqualis perfectionis individualis, & entitativæ, jam imperfectus produceret perfectius: ergo, &c.

3 Prob. 2. conclus. ex dictis Disput. 1. Metaph. quæst. 2., & 8.: differentiæ individuales non sunt formaliter bonæ, nec formaliter perfectæ: ergo nullam perfectionem possunt tribuere individuis, quæ constituunt. Consequentia est bona; quia nemo dat, quod non habet. Prob. antec.: quod non est formaliter ens quantum quantitate perfectionis, nullam bonitatem formalem, nec formalem perfectionem includit; sed differentiæ individuales, ut petreitas, & pauleitas v. g. non sunt

sunt formaliter entia quanta, quantitate perfectionis : ergo &c. Maior est certa , & minor habetur probata locis citatis Disp.

1. Maffrius hic numero 169. in fine sic confirmat conclusionem : individua ratione individuorum sunt primò diversa, nec aliquam entitatem ejusdem rationis participant præter naturam specificam. Optima confirmatio , sed vereor , ne contra confirmantem quæst. antec.

4 Prob. 3. conclusio : effectus formalis individuationis est æqualis in omnibus individuis : ergo hæc sunt æqualia in tali perfectione. Prob. antec., effectus formalis individuationis est , reddere individuum alteri incommunicabile ; sed implicat unum individuum esse magis , & minus incommunicabile , quam alterum : ergo , &c. Confirm. : munus differentiae individualis nihil aliud est , quam facere naturam specificam hanc , & individuum ; sed totum hoc habetur absque inæqualitate perfectionis in linea individuantis , & in individuis : ergo , &c. Ex quo inferitur , quod individua ejusdem speciei nullam aliam admittunt dissimilitudinem substantialem , præter hanc , quæ est , unum non esse aliud. Dixi *substantialem* ; quia ex num. 1. possunt esse dissimilia accidentaliter.

5 Prob. denique Conclusio : si aliqua inæqualitas perfectionis proveniret ex differentia individuali , maximè ex differentia individuali animarum rationalium ; sed ex ista nulla provenit inæqualitas perfectionis : ergo , &c. Maior constat ; quia propter animas racionales , præcipuè ventilata fuit inter Auctores hæc difficultas. Unde proponi solet in Libris de Anima Prob. min. : intantum provenit inæqualitas perfectionis ex differentia individuali animarum , in quantum una Anima rationalis , melius , & perfectius operaretur , quam alia ; sed hoc non infert inæqualitatem perfectionis inter Animas racionales : ergo , &c. Prob. minor : quicumque excessus perfectionis qui reperitur quoad operationes inter diversos homines , reperitur etiam in eodem homine quoad diversa tempora ; sed ex eo , quod homo perfectiori modo operetur uno tempore , quam alio , non inferitur , quod ejus Anima sit perfectior modò , & modò imperfectior : ergo , &c. Minor conceditur ab omnibus.

6 Prob. mai. : experientia videmus , hominem perfectiori modo operari , quandò est juvenis , quam quandò puer : & quandò senex , quam quandò juvenis : similiter plures sunt morbi , qui ita lædunt sensus , &

organa, quod subjectum; vel pro tempore; vel in totum maneat privatum exercitio operationum humanarum; sed nihil horum provenit ex eo, quod eadem anima modo sit perfectior, modò imperfectior entitativè, sed tantum ex varietate temperamenti corporis; & organorum, quæ magis, vel minus purgata sunt: ergo cum hujusmodi varietas operationum sufficienter colligatur ex diversitate temperamenti accidentalis, & aliorum humorum sine ulla diversitate substantiali, aut individuali corporis, & animæ, malè arguitur excessus perfectionis substantialis in una anima rationali, præ alia.

7 Confirm.: si ex perfectione operationum argueretur perfectio aliqua substantialis in operante, talis excessus perfectionis non differentiæ individuali, sed naturæ specificæ tribui debet: ergo differentia individualis nullum excessum perfectionis potest tribuere individuo. Prob. antec.: excessus perfectionis cujuscumque operationis debet tribui illi, quod est principium, & ratio agendi; sed in hoc individuo, Petro v.g., natura singularis specifica, & non individualitas, est ratio agendi; etenim individualis, solum est conditio requisita in agente, ut agat: ergo si ex perfectione; &c. Videte Aristot. 3.

Metaph. text. 11., ubi docet quod in individuis ejusdem speciei non datur prius, & posterius, hoc est, magis, aut minus perfectum. Videte etiam dicta in Logica de proprietatibus substantiæ, quarum una est, quod substantia non subscripiat magis, & minus. Nec contra hoc facit S. Doct. 8. Metaphysicæ quæst. 3. ubi videtur tenere oppositum; ibi enim problematicè loquitur, sed postea in sententiarijs hanc conditionem substantiæ non semel docuit.

Solvuntur Argumenta.

8 Arguitur 1.: genus contrahitur per differentias específicas inæquales: ergo & species contrahitur per differentias numerales inæquales: ergo istæ dicunt inæqualitatem in perfectione entitativa. Resp. conc. antec., & nego consequentiam. Ratio est; quia differentijs specificis non repugnat inæqualitas perfectionis, nedum entitativæ, sed etiam essentialis; immò est omninò necessaria, cū species differant. Differentijs verò individualibus repugnat hujusmodi inæqualitas, ut satis liquet ex rationibus probativis conclusionis. Undè, si vis, potest instare argu-

gumentum: genus contrahitur per differentias specificas inæquales essentialiter: ergo & species per differentias numerales inæquales essentialiter, quam non concedunt Contrarij.

9 Arguit. 2. ex Ari-
taga: licet cognitio individua-
lis, qua ego cognosco Petrum,
non differat specie à cognitione
individuali, qua cognosco Pau-
lum, tamen cognitio individua-
lis, qua simul cognosco Petrum,
& Paulum, est specificè perfe-
ctior cognitione, qua solum Pe-
trum cognosco; sed hæc duæ
cognitiones sunt individua ejus-
dem speciei: ergo inter hæc da-
tur inæqualitas perfectionis. Mai-
oritas; quia perfectior est cog-
nitio, terminata ad plura, quam
ad unum tantum. Resp. ne-
gando suppositum mai., scili-
cèt, quod ego, vel alia quæ-
vis creatura unica cognitione in-
dividuali cognoscam simul Pe-
trum, & Paulum, nam dum
iplos simul cognosco, ut distin-
ctos, aut per modum plurium,
necessariò iplos cognosco cog-
nitione duplici numericè distinc-
ta: & istæ cognitiones inter se
comparatæ, sunt æqualis perfe-
ctionis entitativæ, quamvis gra-
dualitèr possint esse inæqualis.

10 Arguit. 3. ex Ovie-
do: duo individua ejusdem spe-
ciei possunt habere aliquod præ-
dicatum essentialè, ipsis com-

mune, quod non sit commune
alijs individuis ejusdem speciei:
ergo secundum hoc prædicatum
possunt physicè excedere: alii
prædicatum ipsis, & reliquis in-
dividuis commune: g. secundum
hoc prædicatum possunt individua
esse inæqualia in perfectione.

Resp. negando antec.; quia im-
plicat in terminis, quod duo
individua ejusdem speciei habeant
aliquod prædicatum commune,
& intrinsecum omnibus alijs in-
dividuis ejusdem speciei. Præ-
terea, dato simul prædicato, in-
quiro: est individuale? Non;
quia à Contrarijs ponitur commu-
ne, & nihil individuale est com-
mune multis. Est genericum?
Minus; quia ab Adversarijs po-
nitur ut commune pluribus, so-
lo numero differentibus. Inferò:
ergo est specificum. Nunc sic;
sed prædicatum specificum in-
trinsecum, repertum in aliqui-
bus duobus, & non in alijs, fa-
cit illa duo specie diversa ab om-
nibus alijs: ergo cum nos in
præsenti quæst. loquamur de di-
versitate individuali, & non de
specificâ, casus argumenti nullo
modo facit ad intentum.

11 Arguit. 4. sicut ani-
ma est magis; vel minus perfe-
cta, ita corpus præparat: ergo
inter animas datur inæqualitas
perfectionis. Antec. est Philof.
2. de Generatione animalium.
cap. 3. Respond. disting. conse-
quens: ergo inter animas diver-

sa speciei datur inæqualitas, concedo consequentiam : inter animas ejusdem speciei , subdistinguo : inæqualitas accidentalis, conc. conseq. : substantialis, seu individualis, nego conseq. Philosoph. ergo in illo capite agebat de animabus specie; diversis; nam tractabat de diversa specifica organizatione corporum. Et si vis fiat in eo, quod suum dictum debeat intelligi de animabus ejusdem speciei, illa maior, vel minor perfectio debet sumi accidentalitèr, & non entitativè.

12 Arguit. 5. : Salomon Sapient. 8. gratias Deo agit, eo quod sortitus sit animam bonam, comparative ad alios homines : ergo alij homines non sunt sortiti animam equè bonam, ac Salomon; & consequentèr inter ipsas est inæqualitas. Resp. disting. antec. : Salomon sortitus est animam bonam, comparative ad alios homines, bonitate accidentali, & extrinseca, conc. antec. : bonam substantiali, & intrinseca bonitate, nego antec. : & inversis terminis disting. consequens. Salomon ergo ratione dispositionis corporalis, & donorum, tam gratiæ, quam naturæ, quæ Deus ipsi gratis contulit, sortitus est animam bonam, Sed hæc bonitas erat omninò extrinseca animæ Salomonis; po-

tuitque alijs pluribus conferri licet demus, quod hucusque non sit collata homini puro, neque in posterum alicui conferenda, quod tamèn valde dubium est; maximè si fiat comparatio inter Salomonem, & Immaculatam Virginem.

13 Arguit. 6. : Anima Christi Domini fuit perfectior omnibus alijs animabus rationalibus; sed Anima Christi Domini est ejusdem speciei cum reliquis animabus hominum : ergo, &c. Maior constat ex censura Universitatis Parisiensis, damnantis oppositum, tamquam erroneum. Resp. distinguendo maior. : Anima Christi Domini fuit perfectior accidentalitèr omnibus alijs animabus, conc. mai. : essentialitèr, & intrinsecè, nego maiorem, & concessa min., nego conseq. Ad illud de censura Universitatis Parisiensis dico, quod potest explicari in sensu distinctionis. Vel plus ad rem resp. cum Nostro Pontio, quod hujusmodi Censura Parisiensis non transivit squamam, seu limites illius Universitatis : quinimmò addit ipse Pontius, quod similis censura non vigeret modo in illa Academia, in qua plura nunc actu tenentur, quæ olim simili nota censurata fuere, & damnata a particularibus Doctoribus.

14 Arguit. denique: duo homines, quorum materia esset numero distincta, magis inter se different, quam duo homines, quorum materia esset eadem numero; sed isti duo homines, quorum materia esset eadem numero non distinguerentur specie, sed numero: ergo illi duo quorum materia esset distincta numero, distingueretur plus quam numericè. Inferò: ergo inter distinctionem specificam, & numericam dabitur medium; sed non aliud nisi distinctio, sive in æqualitas individualis: ergo inter individua ejusdem speciei datur hæc inæqualitas. Hoc argumentum præmit illos, qui in Physica tenent, duas formas substantiales completas scilicet, duas Animas racionales posse simul informare eandem numero materiam, non autem nos, qui docuimus, hoc esse impossibile adhuc divinitus, Vide ibi. Sed resp., quod casu, quo materiae illorum hominum essent omninò eadem, ab hominibus, habentibus diversas materias solum distinguerentur magis ex parte materiæ, non autem ex parte formæ, de qua procedit quæst.

DISPUT. V.

& ultim.

DE SUBSISTENTIA creata.

ULTIMO loco agendum venit de subsistentia entis naturalis, quæ consequitur ad individuationem. Non agimus de ipsa, ut communi ad Divinam, & creatam naturam; subsistentia namque Divina alterius ordinis est, ad Philosophumque non attinet de ipsa pertractare, sed ad Theologum. Præcisè ergo hic agimus de subsistentia creata. De quaque sit.

QUÆST. I.

Quid sit subsistentia creata?

TAMQUAM fide certum supponimus, subsistentiam creatam esse aliquid (si-

ve hoc sit positivum, sive negativum, de quo postea) realiter distinctum à natura, quam reddit formaliter subsistentem; nam de fide est, Verbum Divinum assumpsisse naturam humanam, sed non assumpsit personam, seu subsistentiam humanam; alioquin in Christo Domino essent duæ personæ; una Divina, & altera humana, quod est hæresis Nestoriana: ergo quia subsistentia creata est quid realiter distinctum à natura quam afficit. Ex hoc etiam infertur quod subsistentia distinguitur realiter ab existentia. Tū; quia ista ex dictis identificatur realiter cum natura; tum, quia in veriori sententia natura humana Christi Domini, retinet suam propriam existentiam, non verò subsistentiam. Sed ut dicenda de subsistentia melius intelligantur.

2 Notate 1., quod subsistentia ex dictis 1. Physic., tripliciter sumi potest. Primò *communissime*, prout est idem ac solitariè existere. Hoc modo subsistentia potest convenire accidenti, quando istud est à subjecto separatum, & ut est in Eucharistia. Secundò potest sumi *communitè*, scilicet, quando alteri aliquid non in heret, nec habet aptitudinem ad inhærendum. In hoc sensu omnis substantia, sive completa sive incompleta, sive composita vel simplex, potest dici subsis-

tens; nam & si forma substantialis insit materiæ; hoc est, per informationem, & non per inhæSIONEM, ideòque facit unum per se cum materia. Tertio denique sumitur subsistentia *proprie*, & est quando res est in ultima actualitate, ita ut non sit amplius ordinabilis ad aliquem actum simpliciter ultra istum, quem habet; qui quidem actus ulterior possit esse actus ejus per se. Unde subsistentia in hoc sensu idem est, ac ratio formalis qua natura completa redditur inordinabilis, ac incommunicabilis alteri, ut supposito. De subsistentia in hac tertia acceptione loquimur in presenti.

3 Notate 2., quod hæc tria nomina: *subsistentia*, *suppositivitas*, & *personalitas* in idem coincidunt, & solum distinguuntur penes diversitatem naturarum, quas afficiunt. Si subsistentia afficit naturam substantialem, sive hæc sit intellectualis, ut est Divina, Humana, & Angelica; sive non intellectualis, ut natura equi, lapidis, &c.; tunc dicitur suppositivitas, & etiam subsistentia, & totum substantiale completum resultans, dicitur subsistens, & suppositum. Si autem subsistentia afficiat naturam præcisè intellectualem, tunc non solum dicitur subsistentia, & suppositivitas, sed etiam personalitas; nam denominatio per-

sonæ solùm convenit naturæ intellectuæ. Undè totum completum, & conflatum ex natura, & persona non solùm dicitur subsistens, & suppositum, sed etiam persona.

4. Notate 3., quòd hoc nomen *hypostasis* idem sonat, ac *persona*. Undè, etsi aliqui Sancti Patres negavere in divinis *hypostases*, hoc solùm fecerunt, ne viderentur ponere in Deo tres naturas. Sed iam usus Scholasticorum obtinuit, quod hoc nomen *hypostasis* non significet naturam, nisi ad summum in obliquo. Undè hæc tria nomina: *subsistentia*, *suppositum*, *persona*, seu *hypostasis*. ab invicem comparata, se habent tamquam superius, & inferius. Quarè valet *est suppositum*: ergo *subsistens*. Non tamen è contra: *est subsistens*: ergo *suppositum*; quia anima separata est subsistens, & tamen non est suppositum. Similiter valet: *est persona*: ergo *suppositum*; non tamen vice versa; quia equus est suppositum, & tamen neutè est persona. Istæ autem: *est persona*: ergo *suppositum*, *subsistens*, valet; quia sunt ab inferiori ad superius affirmativè. His ergo suppositis.

5. Dico; quod *persona* sic definitur, juxta Ricardum de S. Victore, 4. de Trinitate cap. 22.: *est intellectuæ*

naturæ, incommunicabilis existentia. Per hanc definitionem exponit Subr. Doct. definitionem Boerij dicentis: *persona est rationalis naturæ individua substantia*. Sed certè hæc definitio Boerij absolutè capta, sustineri non valet; alias cum Verbum Divinum assumpserit naturam individuum, & singularem, assumpserit etiam naturam personatam, quod, ut dixi, est plus, quam falsum. Sed quia hic agimus de subsistentia *ut sic*, & prout præscindit à supposito, & persona, sic rectè definitur: *est substantialis naturæ incommunicabilis existentia*. In hac definitione omnes conveniunt; sed quia ex illa particula *incommunicabilis*, oritur magna difficultas, discutienda quæst. sequenti, ut melius percipiatur aliqua prænotanda sunt.

6. Noto 1., quod aliquid potest dici communicabile dupliciter, *ut quod*, & *ut quo*. Communicabile, *ut quod* identificatur realiter cum illo, cui communicatur, & de ipso potest prædicari in recto. Sic quodlibet superius est communicabile suis inferioribus, de quibus in recto prædicatur, ut animal homini, & homo Petro. Communicabile *ut quo* est illud, quod potest communicari alteri, à se realiter distincto per modum formæ, vel partis. Sic anima communicatur

corpori, forma materiæ, & albedo parieti. Ex qua duplici incommunicabilitate infertur, quid sit communicabile, *ut quod*, & *ut quo*; nam oppositis terminis explicantur; sed ut plenius capiatur.

7. Nota 2., quod dependentia naturæ, seu communicabilitas *ut quo*; & per modum formæ quam dicit aliqua natura in ordine ad suppositum est triplex: actualis, aptitudinalis, & potentialis. Communicabilitas actualis naturæ in ordine ad suppositum habetur, quando suppositum actu terminat dependentiam talis naturæ in subsistendo. Sic natura humana Christi modò dependet à supposito Verbi, cui est actu communicata. Communicabilitas, seu dependentia aptitudinalis in natura est, quando natura habet inclinationem naturalem ad dependere, & communicari alteri supposito, ab illo, in quo est. Sic natura humana Christi adhuc retinet propensionem naturalem ad communicari suo supposito creato. Dependentia, & communicabilitas potentialis, *ut quo*, est non repugnantia, seu mera capacitas naturæ ad dependere, seu communicari alieno supposito. Sic etiam natura humana in Christo solùm habet meram capacitatem ad communicari, & dependere à supposito divino.

8. Nota 3., quod per ordinem ad istam triplicem dependentiam, seu communicabilitatem triplex etiam independentia, seu incommunicabilitas potest considerari in natura in ordine ad suppositum. Prima incommunicabilitas actualis habetur in natura, quando actu non dependet a supposito extrinseco. Sic natura mea modò habet negationem dependentiæ, & communicationis ad suppositum alienum. Secunda incommunicabilitas aptitudinalis habetur in natura, quando non habet inclinationem ad suppositari per suppositum alienum. Sic eadem mea natura habet independentiam & incommunicabilitatem aptitudinalem; quia non habet inclinationem ad alienum suppositum. Tertis tandem incommunicabilitas potentialitas habetur in natura, quæ habet ab intrinseco repugnantiam ad actum oppositum. Sic albedo dicitur incommunicabilis Angelo; quia ipsi repugnat.

9. Nota 4., quod ut aliqua natura singularis dicatur suppositata, subsistens, aut personata, requiritur, quod habeat istam duplicem incommunicabilitatem, *ut quo* actualem, & aptitudinalem. Ità, quod natura singularis sit absolute independens ab alieno supposito, tam actu, quam apti-

tudine. Hoc est, ut natura dicatur subsistens, non solum requiritur, quod non sit actu communicata alteri supposito, ab illo, in quo est, sed etiam, quod non habeat aptitudinem, nec inclinationem naturalem ad sic communicari. Ratio totius est, quia una incommunicabilitas sine alia non sufficit ad rationem personæ, vèl suppositi. Non prima; quia anima separata habet incommunicabilitatem actualem; non enim est actu communicata corpori: & tamen non est suppositum, nec persona; alias non esset communicabilis corpori. Neque secunda sufficit; nam natura humana modo in Christo, habet incommunicabilitatem aptitudinalem ad suppositum Verbi; quia licet natura humana sit actu communicata supposito Verbi, non tamen habet inclinationem naturalem ad tale suppositum, sed potius ad suum suppositum creatum, quo caret.

10 Tertia incommunicabilitas *ut quo*, scilicet potentialis non requiritur in natura ut dicatur *suppositata*. Ratio est; quia omnis natura creata habet non repugnantiam, seu capacitatem ad communicari alieno supposito saltem divino. Unde natura mea, licet modo habeat non repugnantiam ad communicari alteri supposito, adhuc ve-

ré dicitur subsistens, & personata. Quare, ut natura dicatur propriè subsistere, requiritur duplex incommunicabilitas *ut quo* actualis, & aptitudinalis. Seu, quod idem est: requiritur in ipsa duplex negatio communicabilitatis *ut quo* actualis, & aptitudinalis alieno supposito. Ex hac explicatione subsistentiæ, inter Scotistas communiter recepta, & apud Exteros parum extranea, oritur.

QUÆST. II.

*In quo formalitèr consistat
subsistentia creatura?*

I CUM, ex dictis, subsistentia sit: substantialis naturæ incommunicabilis existentia, & hæc incommunicabilitas duplex sit actualis, & aptitudinalis, hinc ex una parte videtur inferri effectum formalem subsistentiæ esse merè negativum, quatenus per illam duplicem negationem explicatur. Sed alio capite videtur omninò necessarium, quod effectus formalis primarius subsistentiæ sit aliquod positivum, ad quod consequatur, tamquam effectus secundarius illa duplex negatio communicabilitatis. Un-

dè sensus genuinus quæst. est: an substantia consistat formaliter in aliquo positivo: an verò in negativo? Seu expressius: an substantia addat præcisè supra naturam, quam afficit, unam, vel duplicem illam negationem communicabilitatis, supra explicatæ; an verò ipsi superaddat aliquam entitatem positivam, ad quam illa una, vel duplex negatio consequatur?

2 In hac percelebri difficultate, antiquis penitus ignota, & Modernis valdè ardua duplex ex diametro opposita versatur sententia. Prima asserit, substantiam formaliter consistere in positivo, seu superadere naturæ singulari modum positivum, & absolutum. Sic communiter Thomistæ, & Patres Societatis. Quoad Scotistas est magna dissentio; aliqui enim præcisè defendunt sententiam de positivo ut sunt Liquerus, Rada, Zentinus, & Gabatius. Secunda sententia per oppositum propugnat, substantiam non consistere formaliter in positivo, sed solummodò in negativo. Sic Mastrius, Arerinus, Vulpes, Faber, Pontius, & novissimè Salmantinus Gonzalez, Mexia, & alij.

3 Circa mentem Subt. Doct., non satis inter se concordant ipsimet Scotistæ. Ratio dissidendi oritur ex eo, quod Subt.

Doct. in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 3., agens de hac difficultate, hæc habet: *quid autem sit illud proprium, quo natura est personata? Duæ videntur viæ probabiles: una quod persona sit persona per aliquid positivum in natura, ultra illud, quo natura est individua: & hoc sive illud positivum sit absolutum, sive respectus. Alia via, quod per solam negationem additam naturæ, sit persona.* Hæc Doct. Ex quibus aliqui Scotistæ, ut Merinerus, Delgadillo, & alij faciunt Doctorem problematicum, & consequenter utramque sententiã proponunt defensandam, solvuntque argumenta, quæ contra utramque fieri solent. Noster Mastrius, quamvis positivè teneat, utramque partem esse probabilem apud Doctorem (quod accerrimè negat Pontius, sed firmiter stare pro sententia de negativo, tamen defendit sententiam de negativo: ut probabiliorem. Quid nobis sit?

CONCLUSIO.

4 *Substantia, seu personalitas consistit formaliter in negativo.* Est Authorum secundæ sententiæ, nostrique Doct. citati in 3., aliisque in locis. Et quamvis hæc conclusio varijs rationibus probari soleat, tam philosophicis, quam Theologicis, ex istis tamen duas duntaxat

rationes, philosophicam unam, & Theologicam alteram adducam. Prob. 1. ratione philosophica: si personalitas creata consisteret formalitèr in aliqua entitate positiva, realitèr distincta à natura singulari, tunc natura singularis posset produci, & à Deo conservari sine personalitate; sed hoc est inconveniens: ergo personalitas creata non consistit in aliquo positivo: ergo in negativo. Prob. maior: omne absolutum prius alio, & à posteriori realitèr distinctum potest à Deo produci, & conservari, sine illo, quod est posterius; sed natura creata singularis est entitas absoluta prior naturalitèr entitate personali, & ab ipsa realitèr distincta: ergo, si personalitas creata, &c.

5 Respondent aliqui, quod illa entitas positiva personalis necessariò, & indispensabilitèr fluit à natura singulari, si non præveniatur ab altero supposito terminante ejus dependentiam in personando: & sic, falsa est, inquit, utraque maior. Sed contra: eadem ratione, qua Deus impedivit fluxum, seu resultantiam personalitatis creatæ in natura humana, quando Verbum fuit incarnatum, potuit quoque ipsam impedire etiam si Verbum non fuisset incarnatum: ergo dato, quod personalitas creata sit entitas positiva, non sequitur ita

necessariò ejus resultantia à natura, quod à Deo non possit impediri. Prob. antec.: impedimentum resultantiæ personalitatis creatæ à sua natura non habet connexionem essentialem, & intrinsicam cum inclusione alterius personalitatis: ergo eadem ratione, qua Deus &c.

6 Prob. antec.: impedimentum talis resultantiæ est prius naturalitèr, quam unio alterius personalitatis cum illa natura, à qua resultare fingitur: ergo impedimentum resultantiæ personalitatis creatæ, &c. Prob. antec.: ideò illa natura unitur à Deo subsistentiæ alienæ, quia per impedimentum resultantiæ, propriæ substantiæ creatæ, datur locus subsistentiæ alienæ: ergo &c. Antec. constat; quia si non impediretur resultantia subsistentiæ propriæ, non daretur locus ad introducendam subsistentiam alienam; cum ambæ sint simul impossibiles in eadem natura.

7 Confirmatur: omnis efficientia proveniens à causa secunda in genere causæ efficientis, potest impediri à Deo per solam suspensionem sui concursus absque productione alicujus positivi; sed illa resultantia, seu fluxus, quo personalitas creata fluit à sua natura, est efficientia causæ secundæ in genere causæ efficientis: ergo potest im-

impediri à Deo, absque eo, quod vice ipsius producat aliquid positivum: ergo Deus potest facere, quod natura creata à parte rei existat expoliata omni personalitate, tam propria, quam aliena, eo ipso quod personalitas creata sit quid positivum.

8 Suaret negat, & instat Maximam Doct. scilicet, *omne absolutum prius naturaliter, & à posteriori realiter distinctum posse à Deo produci, & conservari sine illo quod est posterius.* Instantia est hæc: quantitas est prior figura: corpus prius præsentia locali; sed quantitas non potest esse sine omni figura, nec corpus sine aliqua præsentia locali: ergo falsa est maxima Scoti, & consequenter probatio conclusionis. Sed contra: instantia non valet: ergo. Prob. antec.: 1., quia ex dictis 1. Physicorum, quantitas potest reduci à Deo ad punctum, in quo casu non haberet figuram: & ex dictis 4. Physic. corpus potest esse sine omni loco: ergo tenet minor Suarez. Secundo, quia ipsa permissa adhuc tenet maxima Scoti, quæ tantum procedit de absoluto, quod sit prius alio absoluto à se realiè distincto: figura autem, & præsentia localis sunt entitates respectivæ, si non intrinsecus, saltem extrinsecus advenientes: undè semper tenet maxima Sco-

ti, & deficit instantia Suarez.

9 Alij ex Contrarijs, advertentes efficaciam Maximæ Scoti, non audent negare, quod Deus possit conservare naturam sine omni personalitate tam propria, quam aliena, semèl quod personalitas sit quid positivum. Unde respondent concedendo primam majorem nostræ probationis, & negando minorem, quia non est inconveniens, quod natura producat, & conservetur à Deo sine omni personalitate. Sic respondent plures Thomistæ, & aliqui Scotistæ cum Liqueo, & Sendin. Sed

10 Contra, & simul probatur prima minor probationis: si natura singularis, Petri v.g., esset denudata ab omni personalitate, tam propria, quam aliena, vel posset elicere omnes operationes, sibi connaturales, vel non? Sed utrumque est inconveniens: ergo, &c. Prob. min.: in primis nequit dici, quod natura Petri in prædicto casu non haberet suas operationes proprias; sed aliundè absurdum est dicere, quod eas haberet: ergo &c. Minor postea probabitur. Nunc probatur maior: natura Petri in tali statu haberet omnia principia, tam proxima, quam remota suarum operationum: ergo non potest dici, quod eas non eliceret. Pro-

bat. antec. , tunc casus natura Petri haberet animam rationalem cum suis potentijs, intellectu scilicet, & voluntate; sed ista sunt principia respectivè proxima, & remota intelligendi, & volendi, quæ sunt operationes humane: ergo, &c. Confirmatur: anima separata potest formalitèr intelligere, & velle: ergo multo melius potest elicere tales operationes, quando constituit singularitatem non personatam, quia potentia animæ in hoc secundo statu non sunt magis incompletæ, aut insufficientes ad operandum; immò sunt magis completæ, quàm in statu separationis.

11 Respondent aliqui, quod, licet Deus possit conservare naturam singularem sine personalitate, hæc tamen nullam eliceret operationem, non ex defectu alicujus principij quoad agendi; quia hæc omnia haberet: sed ex defectu principij quoad, quale est suppositum; nam ex Philof. 1. Metaphysic., *actiones sunt suppositorum*. Contra: tale dictum non reperitur in Aristot., ut infra videbimus. Deindè, dato, quod sit ipsius, adhuc talis propositio est absolute falsa: ergo non tenet. Probat. antec. primò: accidentia Eucharistica supposito priori miraculo conservativo ipsorum sine

subjecto, naturalitèr agunt. Secundò anima separata intelligit, & vult; sed neque accidentia Eucharistica; neque anima separata sunt suppositata: ergò suppositum non requiritur ita essentialitèr ad operandum, quod natura singularis sine personalitate non possit agere.

12 Nunc probatur minor supra posita, scilicet, quod sit absurdum, naturam singularem sine aliqua personalitate proprias habere operationes. Absurdum est, quod personalitas sit omninò superflua respectu naturæ, quæ dicitur persona; sed si natura singularis eliceret proprias operationes independentèr à personalitate, personalitas esset superflua naturæ: ergò. Probat. min.: illud est superfluum naturæ, sine quo natura potest agere, & pati æquè benè, ac cum illo; sed natura singularis in casu posito æquè benè posset agere, & pati sine personalitate, ac cum illa: ergo.

13 Si dicant: personalitas est necessaria, ut perfectio consummata naturæ. Contra: idèd aliqua forma dicitur perficere subjectum, quod afficit; quia ipsum reddit aptum, ut benè se habeat in ordine ad aliquam actionem, vel passionem: & si natura est sic apta independentèr à personalitate, personæ

litas non est perfectio consummata, nec complementum ipsius: ergo non tenet responsio. Si nemum dicant: substantia est necessaria, ut reddat naturam singularem alteri supposito incommunicabilem. Contra: nulla forma positiva ponitur præcisè huic subjecto ad præstandum ipsi effectum merè negativum; sed substantia, seu forma positiva, juxta contrarios: & incommunicabilitas est quid merè negativum: ergo substantia non ponitur præcisè ad præstandam naturæ incommunicabilitatem; nam ad hoc sufficit merè negatio,

14 Et si quæras: quomodo evitatur hæc difficultas, in nostra sententia de negativo? Dico, quod facilitè; quia illud negativum, in quo dicimus, substantiam creatam consistere non potest auferri à natura, nisi adveniente illo, cujus est negatio, sed adveniente illo cujus est negatio hoc negativum, in quoque consistit substantia, non potest poni in natura absque substantia aliena: ergo in nostra opinione facilitè salvatur, naturam non posse esse sine aliqua substantia. Probantur præmissæ per modum unius: negatio formalitè, & immediatè non tollitur nisi per formam positivam, quam negat; sed forma positiva, quam negat substantia, Petri v. g., est unio naturæ Petri ad suppositum alienum: ergo casu

quo natura Petri expoliaretur sua substantia propria, dummodò ita sit quid negativum necessariò ponenda est unio ejusdem naturæ ad alium suppositum distinctum, quod non eveniret in sententia de positivo.

15 Prob. 2. Conclusio ratione Theologica: personalitas creata est inassumptibilis à Verbo: ergo non consistit in aliqua entitate positiva. Antec. est commune. Probat. conseq.: omnis entitas positiva est in potentia obedientiali simpliciter ad hoc, ut dependeat à Persona Divina; sed personalitas creata non est simpliciter in potentia obedientiali ad dependendum à Persona Divina: ergo, &c. Maior est Doct. Quodlibeto 19. §. de Tertio articulo: & etiam in 3. dist. 1. quæst. 1. Minor est evidens; nam si personalitas creata esset in potentia obedientiali ad assumi à Deo, iam eadem numero natura humana Christi esset personata duplici personalitate simul: & etiam in Christo darentur duæ personæ; sed primum repugnat ex dictis 1. Physic.; & secundum est hæreticum: ergo.

16 Respondent contrarij, concedendo antec., & negando conseq. Ad probationem distinguunt maiorem: omnis entitas positiva pertinens ad veritatè naturæ humanæ, & ad constitutionem essentia essentialè ipsius, est

potentia obedientiali, &c., concedunt mai.: non pertinens ad veritatem naturæ humanæ, nec ad ejus constitutionem essentialem, est in potentiâ obedientiali, &c. negant maiorem. Volunt dicere in substantia, quod etsi entitas personæ creatæ sit formalitèr positiva, non est tamen assumptibilis à Verbo Divino; quorum ratio est; quia non est de veritate naturæ humanæ, nec prædicatum essentialè ipsius.

17. Contra 1.: quamvis entitas personæ humanæ sit extra essentialiam, seu rationem essentialè naturæ humanæ, tamen eo ipso, quod sit entitas positiva, erit æquè assumptibilis à Verbo, ac alia quævis entitas ad veritatem naturæ spectans; nam ex eo, quod sit entitas inassumptibilis, inferimus nos, quod non sit positiva: unde quæcumque disparitas contrariorum, erit petitio principij: ergo non tenet eorum responsio. Contra 2.: quod personalitas non sit entitas ad veritatem naturæ spectans, non probat, personalitatem esse inassumptibilem à Verbo: ergo nulla est solutio. Prob. antecedens, & præcipuè contra Scristas contrarios: singularitas non est de ratione essentiali, constitutiva naturæ humanæ; sed hoc non obstante singularitas defacto fuit assumpta à Verbo Divino; quod assumptit

naturam singularem, actu existentem: ergo &c.

18. Alio modo formalizatur ista probatio Theologica: si personalitas creata esset entitas positiva esset à Deo incurabilis; sed repugnat aliqua entitas positiva in natura humana, quæ sit incurabilis; alioquin Redemptio non esset undequaque perfecta: ergo. Maior est Doct. quodlib. 19. citantis pro se Damascenum, qui Lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 6. sic ait: *totum enim totus assumpsit me: & totus toti unicus est, ut toti salutem largiretur; nam quod inassumptum est, incurabile est.* Ex quibus sic probatur maior: quod fuit inassumptibile à Verbo, fuit incurabile; sed illa entitas positiva personæ fuit inassumptibilis à Verbo: ergo & incurabilis. Nunc probatur prima minor: Verbum Divinum, ex vi præsentis Decreti, ita sibi univit naturam humanam, quod in ipsa tantum sanavit quantum Adamus per peccatum originale infirmavit; sed Adamus infirmavit omnem entitatem positivam in natura humana: ergo repugnat entitas positiva in natura humana, quæ sit inassumptibilis à Verbo: ergo cum repugnet assummi entitatem personalem, sequitur, quod ista non sit positiva sed nega-

tiva.

Solvuntur Argu- menta.

19. **A**RGUIT. 1. : sub-
stantia secunda
constituitur per
aliquid positivum : ergo à for-
tiori substantia prima ; quia ista
ex Philos. cap. de substantia ; est
maximè substantia. Nunc sic ; sed
substantia prima est suppositum,
seu persona : ergo suppositum
constituitur per aliquid positi-
vum. Resp. conc. entymema, &
negando subsumptam. Ratio est ;
quia Aristot. non cognovit dis-
tinctionem realem inter naturam
singularem, & suppositum ; im-
mò, nec inter ipsammet singu-
laritatem, & suppositum ; prop-
tereaque pro eodem usurpavit
substantiam primam, seu singu-
larem, ac suppositum ; quæ ta-
men sunt inter se realitè distin-
cta, ut Fides docet : & ut sic
substantia prima, scilicèt naturá
singularis, constituitur per ali-
quid positivum, hoc est, per
ipsammet singularitatem, non
erò suppositum creatum. Hæc
est genuina responsio : vide aliam
in Authoribus.

20. Arguitur 2. : sup-
positum dicit perfectionem ; sed
negatio, utpotè non ens,

nullam dicit perfectionem : er-
go suppositum, seu personalitas
non consistit in negatione. Prob-
maior : si suppositum non dice-
ret perfectionem, non perfice-
ret naturam ; sed hoc est contra
communem modum loquendi
Philosophorum : ergo dicit per-
fectionem. Resp. disting. mai. :
suppositum in conereto, & prout
supponit pro natura completa in
genere substantiæ, dicit perfe-
ctionem, conc. mai. : suppositum
in abstracto, & formalitèr
captum ; pro ipsamet supposita-
litate, seu personalitate, dicit
perfectionem, nego, & concessa
minori, nego conseq.

21. Itaque suppositalita-
tas, seu personalitas formalitèr
sumpta, utpotè mera negatio in
nostris principijs nullam dicit
perfectionem : immò etsi consi-
deret in positivo adhuc non di-
ceret perfectionem. Ratio est ; quia
personalitas, sive in positivo
constat, sive non, est ultima
realitas naturæ ; sed ultima rea-
litas completiva rei non est for-
malitèr ens, nam ex dictis Dis-
putatione 1. hujus, est ens non-
quantum quantitate perfectionis
ergo personalitas, etsi in posi-
vo consisteret, non diceret per-
fectionem. Ad probationem ma-
ioris distinguo mai. : si supposi-
tum non diceret perfectionem,
non perficeret propriè, & posi-
tivè naturam, conc. mai. : im-
pro-

propriè, & negativè, nego mai. Perficere negativè naturam nihil aliud est, quam excludere à natura dependentiam à quocumque supposito extrinsecò, & hoc est, quod tribuitur naturæ per personalitatem.

22 Arguit. 3. : si suppositum consisteret in negativo, non significaret aliquid substantiale per se unum, sed potius aggregatum ex natura reali. & negatione; sed hoc est falsum: ergo, &c. Resp. distinguendo mai. : si suppositum, &c. non significaret in abstracto aliquid unum, conc. mai. : non significaret in concreto subdistinguo mai. : secundum id, quod superaddit naturæ, conc. mai. secundum naturam singularem, quam conotat, & includit, nego mai. Natura igitur singularis, & individua est unum per se substantiale, cui nihil deficit, quam quod afficiatur negatione communicationis ad aliud suppositum. Immo argumentum inicitur; quia etsi personalitas constitat in positivo, advenit tamen naturæ singulari, actu existenti; sed quod ita advenit, non facit unum per se, sed aggregatum per accidens: ergo, &c.

23 Arg. 4. : omnis negatio, vel est formalitèr nihil, vel est formalitèr ens rationis: ergo si suppositum est formalitèr negatio, vel est formalitèr, nihil, vel est forma-

malitèr ens rationis. Resp. dist. antec. : omnis negatio, vel est formalitèr nihil positivum, aut negativum; vel est formalitèr ens rationis, conc. antec. : est formalitèr nihil positivum præcisè, vel ens rationis, nego antec., & conseq. Suppositivitas ergo, licet sit formalitèr nihil positivum, est tamen aliquid negativum, seu non ens reale negativum, juxta dicta Disp. 1. de ente positivo; & negativo. Videte ibi.

24 Arguit. 5. : omnis negatio fundatur in aliquo positivo: ergo negatio communicationis, quam dicit suppositivitas fundatur in aliquo positivo, ad quod sequatur. Resp. distinguendo antec. : omnis negatio, quæ necessariò, & indispensabilitèr convenit rei, fundatur in aliquo positivo, conc. antec. : quæ ipsi convenit separabilitèr extrinsecè, & per accidens, nego antec. & conseq. Explicatur: quia negatio irrationalitatis ita necessariò convenit homini, quod ipsi repugnat affirmatio prædicati oppositi, ita talis negatio fundatur in aliquo positivo. Negatio autem lucis in aere, quia ipsi convenit extrinsecè, & per accidens, hoc est, per absentiam corporis luminosi, ideò talis negatio non fundatur in aliqua entitate positiva. Sic similiter in præsentia; nam negatio communicationis, ut quo, quam dicit

natura singularis, Petri v.g., ad suppositum alienum, solum extrinsecè, & per accidens convenit naturæ Petri, quatenus tali naturæ non repugnat assumi per aliud suppositum, maximè divinum. Quare negatio communicationis in natura, utpotè separabilitèr ipsi conveniens, non fundatur in aliquo positivo, sicut nec modò negatio lucis in aere.

25 Arguitur 6.: si personalitas creata esset negatio alterius personalitatis in me esset negatio negationis; sed negatio negationis est quid fictitium: ergo. Resp. 1., quod si per illam aliam personalitatem intelligatur Personalitas Divina, tunc maior est falsa; quia personalitas Divina est entitas positiva; nam dicit negationem non solum communicationis actualis, & aptitudinalis, sed etiam negationem communicationis potentialis; quia ipsi ab intrinseco repugnat communicari. Undè negatio Personalitatis Divinæ in me non est negatio negationis, sed negatio entitatis positivæ, qua careo. Resp. 2. quod si per illam personalitatem intelligitur personalitas creata, tunc vel negandum est suppositum, scilicèt, quod natura mea sit personabilis per aliud suppositum creatum: vel neganda est maior; quia talis negatio in me esset negatio unionis hypostaticæ ad aliud sup-

positum, quæ unio hypostatica non est negatio, sed quid positivum.

26 Arguit. 7.: Personalitas Divina consistit in aliquo positivo: ergo, & creata. Prob. conseq.: personalitas creata univocè convenit cum personalitate Divina; sed hoc esset falsum si una consisteret in positivo, & alia negativo; quia ex dictis Disput. 1. de natura entis, nihil est commune univocum positivo, & negativo: ergo, &c. Resp. conc. antec., & negando consequentiam. Ad probationem distingo mai.: personalitas creata univocè convenit cum Divina in duplici negatione communicabilitatis actualis, & aptitudinalis ad alienum suppositum, conc. maiorem; in negatione communicabilitatis potentialis, nego mai. Iam diximus q. 1. hujus, illam duplicem negationem dependentiæ actualis, & aptitudinalis sufficere, & esse necessariam ad constituendam rationem personæ simpliciter: negatio autem communicabilitatis potentialis, quæ solum Personæ Divinæ convenit, non requiritur simpliciter ad rationem personæ, excepta Divina: & sic in hoc tertio gradu non univocantur Persona Divina, & Humana.

27 Arguit. 8.: Natura Divina præcissa à personalitatibus

bus non habet dependentiam, sed potius negationem dependentiæ, tam actualem, quam aptitudinalem à quocumque alio; sed natura sic præcisæ, non est suppositum: ergo suppositum non constituitur per illam duplicem negationem dependentiæ. Hoc argumentum procedit ex non intelligentia istius termini *dependentia*; nam Subt. Doct. in hac materia intelligit per dependentiam; communicabilitatem, & per *ly independentiam*, incommunicabilitatem. Quare hic, idem est dependere, ac communicari alteri supposito, sive proprio, sive alieno. Unde negatur maior argumenti; quia natura Divina sub illa præcisione, licet non percipiatur; ut actu communicata, non tamen habet negationem communicationis; alioquin absolutè esset incommunicabilis, quod est absurdum.

28 Arguit. 9. : Personalitas Verbi supplet vices personalitatis creatæ in natura humana Christi; sed si personalitas creatæ consisteret in negativo, personalitas Verbi nihil ibi suppleret: ergo quia non consistit. Confirmatur: Verbum in Incarnatione assumpsit non personam creatam, sed naturam; sed si hæc consisteret in negativo, personalitas Verbi nihil assumpsisset: ergo non consistit. Huic

alisque argumentis ex dictis SS. PP. maximè fidunt Adversarij. Sed tamen

29 Resp. distinguendo mai. : Personalitas Verbi supplet vices personalitatis creatæ quoad aliqua, conc. mai. : quoad omnia, nego maiorem. Persona ergo Divina supplet vices personalitatis creatæ quoad hoc, quod in illo instanti, in quo natura humana fuit hypostaticè unita Verbo, per se subsistenti, si sibi dimissa fuisset; unita fuisset proprio supposito; Verbum verò ipsam præoccupavit, faciendo, ipsam subsistere per suam subsistentiam divinam. Non autem supplet quoad omnia; alias personalitas Verbi tribueret naturæ, quod non dependeret à supposito extrinseco, nec ipsi esset actu communicata, quod à supposito Verbi terminetur.

30 Ad confirmationem distinguo mai. : Verbum divinum assumpsit naturam creatam id est, impedivit in natura resultantiam personæ creatæ, conc. mai. : in alio sensu, nego maiorem. Unde, sive personalitas consistat in positivo, vel negativo, benè salvatur loquutio SS. PP., si accipiatur *ly consumpsit*, per *ly impedivit resultantiam Personæ*: nec in alio sensu potest capi; aliàs probaret, quod Verbum Divinum defacto sumpsit naturam humanam, jam perso-

naturam personalitate creata, quod nullus Theologorum defacto asserit. Unde ly *assumpsit*, & *coassumpsit*, debent sumi modo explicato.

31 Arg. X.: natura fuit exaltata per unionem ad Verbum; sed stante opinione de negativo potius fuisset depressa, & humiliata, quam exaltata: ergo personalitas non consistit in negativo. Prob. min.: independens est nobilius illo, quod dependet; sed natura sine unionem ad Verbum fuisset ab alio independens; & per unionem ad ipsum redditur dependens: ergo, &c. Argumentum patitur instantiam, etiamsi personalitas consistat formaliter in positivo; quia natura in se subsistens dicitur independens ab alieno supposito; & si ab alieno supposito assumatur, necessario erit ab ipso dependens: ergo nihil plus probat argumentum in sententia de negativo, quam in opinione de positivo.

32 Resp. tamen directe negando min. Ad prob. distinguo mai.: independens est nobilius eo, quod dependet a supposito creato alieno, conc. maior: est nobilius eo, quod dependet a supposito Divino, nego mai.; in versis terminis distinguo minor, & nego conseq. Dependens igitur ab alieno supposito creato est impectior, quam independens nature per se sub-

sistentis: ceterum dependens nature a supposito Divino est perfectior, quam independens ejusdem nature in se ipsa subsistentis, cum per talem subsistentiam divinam exalteretur, & nobiliteretur natura humana.

33 Arguit XI.: ex nostra sententia sequeretur quod natura humana pro instanti priori ad assumptionem ipsius a Verbo, fuisset in se personata personalitate propria; sed hoc est falsum: ergo. Prob. mai.: natura personalitatis, per nos consistit, in habere negationem communicationis actualis, & aptitudinalis; sed natura humana pro instanti priori ad assumptionem a Verbo, haberet utramque negationem: ergo esset personata. Resp. negando mai. Ad probat. disting. min.: sed natura pro instanti priori positivo ad assumptionem a Verbo haberet utramque negationem, nego minorem: pro instanti priori privativo, vel negativo, subdistinguo min.: haberet utramque negationem ad suppositum alienum, conc. min.: ad suppositum proprium, nego min.; quia natura numquam potest expoliari aptitudine ad suum suppositum proprium.

34 Pro intelligentia istius, & aliorum plurium in diversis Materijs, advertite ex

Doct. in 2.d. 1. q. 3. §. *Respon-*
deo. Et in 3. dist. 3. quæst. 1.,
 quod ordo naturæ est duplex *po-*
sitivus, scilicet, & *privativus*.
 Hinc ergo, quod convenit tertio
 prius prioritate ordinis positivi
 naturæ, re vera prius inest ter-
 tio, quam suum posterius: un-
 de materia prius inest composi-
 to, quam forma: & forma: &
 substantia in toto per accidens
 est prior accidenti. Quod verò
 convenit tertio prius prioritate
 ordinis privativi naturæ dicitur
 ipsi convenire prius, quam aliud,
 non quod re vera inest prius de-
 facto, quia prius inestet, si non
 impediretur ab agente extrinse-
 co: sic privatio dicitur prius
 convenire materiæ, quam for-
 ma, etiam si materia concrea-
 retur simul cum ipsa; in quo
 enim casu privatio defacto non
 infuisset materiæ, inestet tamen,
 si non impediretur ejus resultantia
 ab agente extrinseco intro-
 ducente formam.

35 Declaratur hæc do-
 ctrina amplius alio exemplo: in
 Deipara v.g., ordo naturæ præ-
 cedebat prioritate privativa na-
 turæ ordinem gratiæ, non eo
 quod natura Deiparæ pro ullo
 instanti positivo fuisset sine tota
 plenitudine gratiæ; sed quia es-
 set, si non præveniretur ab agen-
 te extrinseco, scilicet, Deo. Con-
 trahatur ergo hæc doctrina ad

argumentum: natura humana
 Christi Domini prius habuit ne-
 gationem unionis ad Verbum,
 quam fuisset unita, non quod pro
 aliquo instanti positivo naturæ fui-
 set sine tali unione; sed quia
 prius infuisset talis negatio, si
 non impediretur ejus resultantia
 à Deo, ipsam uniente Verbo in
 eodem instanti, in quo negatio
 talis unionis resultare debebat.

36 Arguit. XII.: ex
 nostra sententia sequeretur, hu-
 manitatem Christi Domini esse
 substantiam adeò completam: ac
 modo est substantia Petri; quia
 nulla entitas positiva ipsi deest;
 sed hoc est falsum: ergo. Resp.
 concedendo mai. cum probat.
 imbibira, & negando min.; nam
 si Christus est ita perfectus ho-
 mo, ac Petrus, cur ejus huma-
 nitas non debeat dici substantia
 ita completa, & integra, ac hu-
 manitas Petri? Immò Doct. in
 3. dist. 1. quæst. 1. ex hoc me-
 dio improbat opinionem de po-
 sitivo; quia ex ipsa sequeretur,
 naturam assumptam carere illa
 entitate positiva, quæ ponitur
 ultimum complementum naturæ
 in lynea subsistendi, quod non
 benè sonat.

37 Arguit. XIII.: Doct.
 proximè citatus utramque opi-
 nionem docet ut probabilem: er-
 go non est absolutè subsistenti-

dum, personalitatem consistere in negativo, si volumus stare doctrinæ Scoti. In primis potest negari absolute consequentia; nam si Subt. Doct. utramque opinionem judicat probabilem, cerè relinquit nobis locum amplectendi eam partem, quæ nobis magis placuerit. Sed in rei veritate opinionem de negativo; ut probabiliorē reputat; nam in eodem 3. dist. 5. quæst. 2.: & quodlib. 19. §. de Tertio articulo in virtute opinionis de negativo resolvit quam plures difficultates improbando pro; tunc positive opinionem de positivo. Vide dicta num. 3. hujus.

38 Arguit. denique: si suppositum consisteret formalitèr in negativo, sequeretur, quod Deus non redimeret nos: & quod actiones satisfactoriæ Christi Domini non essent infiniti valoris; hoc est absurdum, immò, & hæreticum: ergo Probat. mai.: eo ipso, quod suppositum constituatur formalitèr per aliquid negativum, actiones non possunt refundi in suppositum, tamquam in principium ipsarum; quia negativum nequit influere in positivum: ergo cum Personalitas Verbi suppleat vices personalitatis creatæ in humanitate Christi: Verbum non producet ut quod actiones humanitatis Christi: ergo Verbum non erit Redemptor Noster, sed so-

la humanitas: ergo nec operationes; Christi erunt infiniti valoris. Hæc & alia similia, quæ congerunt Thomistæ hic contra nostram conclusionem; abundè solvantur à Nostratibus in Theologica Tract. de Incarnatione.

39 Notate, quod omnia hæc argumenta hac via procedentia procedunt ex suppositione cujusdam propositionis, quam Thom. attribunt Philosopho 1. Metaphys., quæque, juxta ipsos sic se habet: *actiones sunt suppositorum*. Qua suppositione supposita, ut vera, sic arguunt: suppositum influit in operationes naturæ; sed si personalitas esset quid negativum, non posset influere in tales operationes; quia istæ sunt positivæ: ergo & personalitas est quid positivum. Minor, aiunt Thomistæ, est evidens. Maior est Arist. consequentia est bona: ergo consequens, quod adversatur nostræ conclusioni, est verum. Videamus nunc: an præfata propositio sit Philosophi necne?


40 Aristot. ergo 1. Metaph. cap. 1. circa medium sic ait: *actus autem; & omnes generationes circa singularia sunt.* Vel ut alia habet translatio: *actiones sunt singularium.* Quæ propositio sic vel sic exposita, est valdè diversa ab ista: *actiones sunt suppositorum*: nam prima facit hunc sensum: omnis actio pro-

productiva terminatur ad aliquid singulare; quod verum est; quia nihil universale produciitur extra naturam rerum. Secunda vero hunc sensum facit: supposita sunt principia elicitive operationum, quod est falsum. Ex quo sequitur, quod illa maior argumenti: *suppositum influit in operationes naturæ*; est absolute neganda. Suppositum ergo requiritur ad operandum, non tamquam principium physice influens, nec *ut quod*, nec *ut quo* nec *ut tale*, nec *ut partiale* in operationes naturæ, sed tantum se habet ut conditio prærequisita, ad hoc ut natura suas exerceat operationes.

41 Unico verbo: si tibi in aliquo argumento obiiciatur hæc propositio: *actiones sunt suppositorum*, tamquam de mente Philosophi, ipsam absolute nega: & dicant Thomistæ ubinam à Philosopho doceatur? Si vero proponatur talis propositio absolute, & non ut est mente Philosophi, sic eam poteris distinguere: actiones sunt suppositorum *elicitive*, nego: *denominative*, conc.; quia totum, seu suppositum denominatur agens

ab actione elicita à natura singulari, quæ est principium physice influens in suas operationes. Qui plura circa hanc propositionem voluerit, videat *Mastr. Disp. 11. Metaphys. quæst. 5.*; & *Nostrum* Quirogam in questionibus selectis quæst. ultim.

32 Ex his denique patet solutio ad argumentum, Theologicè propositum; nam suppositum Verbi nullum habet influxum in operationes humanitatis Christi, ipsas tamen dignificat, ita quod sint valoris infiniti, non *simpliciter*, ut volunt Thomistæ, sed *secundum quid*. Nec ex eo, quod suppositum Verbi non influat in actiones humanitatis, sequitur, quod *Deus* non redemit nos, quia sicut dicitur: *Christus redemit nos agendo*; ita dicitur: *redemit nos patiando*; quia *passus, mortuus, et sepultus est pro nobis*; sed nemo Thomistarum audebit dicere, quod suppositum Verbi fuit in rigore passum, aut mortuum; ergo quia suppositum Verbi non influit in operationes humanitatis Christi, Sed utinam, ut redemit nos, & nos glorificet in æterna Beatitudine. Dictaque cædant in honorem, & gloriam D. O. M. &c.



Señor Fr. Felipe Frustan, Estudiante
en Arebalo año L. 76



Fr.
Fr. Felipe Frustan
Vazquez

I N D E X

DISPUTATIONUM

Quæstionum, & Sectionum, quæ in tribus libris de Anima, uni- versaque Metaphysica comprehenduntur.

- D**ISP. I. De Essentia, & speciebus animæ ut sic. Fol. 4.
 Quæst. I. Quid, & quotuplex sic anima? Ibid.
 Quæst. II. In quo consistat ratio vitæ in actu primo? fol. 10.
 Quæst. III. An in quodlibet viventi reperiantur plures animæ? f. 16.
 Quæst. IV. An omnes animæ sint divisibiles? & quæ sint;
 in quasque partes? fol. 26.
 Q.V. Quænam partes corporis viventis informentur ab anima? f. 35.
 DISP. II. De Potentijs, & actibus animæ in communi. f. 48.
 Quæst. I. Quomodo potentiæ animæ distinguantur inter se, &
 ab anima? Ibid.
 Quæst. II. Quomodo potentiæ specificentur per suos actus; &
 actus per objecta? f. 60.
 Quæst. III. & ult. De actu vitali. f. 65.
 DISP. III. De Animabus naturalibus Animæ. f. 68.
 Quæst. I. Quid sit habitus quænamque eorum causa proxi-
 ma, & immediata? Ibid.
 Quæst. II. Quænam potentiæ sint capaces habituum. f. 73.
 Quæst. III. Quomodo habitus acquisiti concurrant cum po-
 tentijs ad suos actus producendos? f. 80.
 DISP. IV. De Anima vegetativa, ejusque potentijs. f. 87.
 Quæst. I. Quid sit anima vegetativa, à quoque producat? Ibid.
 Quæst. II. Quod sint potentiæ animæ vegetativæ, & quo-
 modo inter se distinguantur? f. 89.
 DISP. V. De Anima sensitiva, ejusque potentijs. f. 92.
 Quæst.

- Quæst. I. An sit : & quid sit anima sensitiva ? Ibid.
- Quæst. II. Quæ sint potentia animæ sensitivæ : & quænam earum activitas ? f. 94.
- Quæst. III. Quid , & quoruplex sit objectivum sensibile? f. 97.
- Quæst. IV. Resolvuntur aliqua dubia de potentia sensitiva re-
latè ad suum objectivum? f. 105.
- Quæst. V. , & ultim. De Speciebus? f. 111.
- Seçt. I. An sint species sensibiles ? Ibid.
- Seçt. II. Quænam sit causa materialis , & subjectiva spe-
cierum sensibilibum? f. 117.
- Seçt. III. De Causa effectiva , & conservativa specierum
sensibilibum. f. 122.
- Seçt. IV. De Divisibilitate , & intensiõne specierum sensi-
bilibum. f. 132.
- Seçt. ultim. De Muneribus specierum sensibilibum, f. 136.
- DISP. VI. De Potentijs externis animæ sensitivæ. f. 139.
- Quæst. I. In qua difficultates ad sensum visus pertinentes
examinantur. Ibid.
- Quæst. II. De Tactu Auditu , & sono. f. 150.
- Quæst. III. De Olfatu , & odore. f. 154.
- Quæst. IV. De Gustu , & Sapore. f. 157.
- Quæst. V. De Actu , & tangibili. f. 159.
- DISP. VI. De Sensibus internis Animæ sensitivæ. f. 168.
- Quæst. I. An sit , & quoruplex sit sensus internus? Ibid.
- Quæst. II. In qua de appetitu sensitivo agitur. f. 181.
- Quæst. III. In qua de potentia loco motiva agitur. f. 187.
- Quæst. ult. De Quibusdam affectionibus animæ sensitivæ. f. 189.
- §. I. De Somno , & vigilia. Ibid.
- §. II. De Somnijs , & eorum divinatione. f. 192.
- §. Ultim. De Respiratione , alijsque proprietatibus animalium. f. 194.
- DISP. VIII. De Anima rationali secundum se. f. 196.
- Quæst. I. An Anima. rationales sit spiritalis , simplex , &
immortalis? Ibid.
- Quæst. II. An anima rationalis reduplicativè , ut rationalis
informet corpus? f. 203.
- DISP. IX. De Potentia intellectiva , ejusque actibus. f. 205.
- Quæst. I. In qua difficultates intellectus agentis , & patien-
tis proponuntur , resolvuntur. Ibid.
- Quæst. II. Quodnam sit objectum intellectus? f. 216.
- Quæst. III. Quem , qualemque conceptum possimus habere
de rebus pro Itatu isto? f. 227.

- Quæst. IV. Quodnam sit primum cognitum nostri intellectus pro statu isto? f. 233.
- Quæst. V. In quo consistat formalitèr intellectivo? ubi de ejus causa productiva? f. 239.
- Quæst. VI. Quid sit verbum mentis; à quoque producat? f. 247.
- Quæst. VII. De Triplici intellectus operatione. f. 250.
- Quæst. VIII. De Reliquis actibus intellectus. f. 257.
- Quæst. IX. An intellectus possit plura simul cognoscere? f. 265.
- Quæst. Ulr. De Memoria intellectiva. f. 270.
- DISP. IX. De Voluntate. f. 272.
- Quæst. I. Quid sit voluntas, & an ipsa sola sit potentia libera? Ibid.
- Quæst. II. Quid, & quotuplex sit libertas? ubi de actu libero. f. 275.
- Quæst. III. Quenam sit radix tam intrinseca, quam extrinseca libertatis creatæ. f. 281.
- Quæst. IV. An sit possibilis pura omisio libera? f. 289.
- Quæst. V. Quodnam sit objectum voluntatis? f. 291.
- Quæst. VI. In qua alia dubia de objecto voluntatis expediuntur. f. 297.
- Quæst. VII. De Varijs actibus voluntatis præcipuè de intentione, electione, & imperio. f. 304.
- Quæst. Ulr. An voluntas sit potentia perfectior intellectu? f. 313.
- DISP. Ulrim. De Anima separata. f. 317.
- Quæst. An status separationis animæ à corpore sic illi naturalis, vel violentus? f. 318.
- Quæst. II. De Potentijs, speciebus, habitibus, cognitione & modo cognoscendi animæ separatæ. f. 320.
- Quæst. Ulr. De Potentia locomotiva Animæ separatæ. f. 328.
- TRACTUS ULTIMUS IN TOTAM METAPHYSICAM.*
- DISP. Unica præmialis Metaphysicæ. f. 334.
- Quæst. I. Quodnam sit objectum attributionis Metaphysicæ. f. 335.
- Quæst. II. Quæ res spectent ad considerationem Metaphysicæ. f. 340.
- DISP. I. De Natura entis realis ut sic. f. 345.
- Quæst. I. Quid sit ens reale, & quotuplex? Et de ordine divisionis ipsius. Ibid.
- Quæst. II. An divisio entis in quantum, & non quantum sic admittenda, & quomodò? f. 350.
- Quæst. III. An ens reale ut sic dicat unum conceptum tam formalem, quam objectivum à suis inferioribus perfectè præcisum? f. 356.
- Quæst. IV. An conceptus iste objectivus entis realis ut sic

- sit formalitèr ex natura rei distinctus à suis inferioribus? f. 371.
- Quæst. V. An ens sit univocum Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti? f. 399.
- Quæst. VI. An ens sit univocè commune enti reali, & rationis? f. 406.
- Quæst. VII. Per quod contrahatur ens ad sua inferiora? f. 411.
- Quæst. Ultim. An ens reale ut sic includatur quidditativè, & formalitèr indifferentijs ultimis; modis intrinsecis, & proprijs ejus passionibus? f. 413.
- DISP. II. De Passionibus entis. f. 425.
- Quæst. I. Resolvuntur dubia de passionibus entis in communi. Ibid.
- Quæst. II. An unitas passio entis consistat formalitèr in positivo, vèl in negativo? f. 430.
- Quæst. III. Quid sit veritas secunda passio entis: & in quo formalitèr consistat? f. 436.
- Quæst. IV. Quid, & quotuplex sit bonitas, tertia passio entis? f. 436.
- DISP. III. De Possibilitate, & existentia entis. f. 439.
- Quæst. I. Proponuntur aliqua dubia præambula. Ibid.
- Quæst. II. A quo oriatur possibilitas rerum? f. 442.
- Quæst. III. An creaturæ in statu possibilitatis habuerint aliquod esse actuale ab æterno? f. 449.
- Quæst. IV. An Omnipotentia sit essentialitèr connexa cum possibilibus? f. 457.
- Quæst. V. Quomodò essentia, & existentia distinguantur? f. 463.
- Quæst. Ult. Solvantur aliqua dubia de essentia, & existentia. f. 480.
- DISP. IV. De Individuatione rerum. f. 484.
- Quæst. I. Quodnam sit principium individuationis rerum? Ibid.
- Quæst. II. An ab individujs possit abstrahi aliqua ratio communis? f. 394.
- Quæst. III. An individua ejusdem speciei sint æqualia in perfectione entitativa? f. 500.
- DISP. V., & ult. De Subsistentia creata. f. 505.
- Quæst. I. Quid sit subsistentia creata? Ibid.
- Quæst. II. In quo formalitèr consistat subsistentia creata? f. 509.





63





274